UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola Prodigi Euangelici

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigi Evangelici Reditv Ad Patrem

**Bosquier, Philippe**

**Moguntiae ; Coloniae, 1615**

**Nutzungsbedingungen**

urn:nbn:de:hbz:466:1-55940

Visual Library

N. 3306

# ACADEMIÆ PECCATORVM

PARS QVARTA,

QVÆ

# POENITENTIA PECCATORVM

SEV

CONCIONES DE PRODIGI EVANGELICI REDITV AD PATREM.

AVCTORE

R.P.F. PHILIPPO BOSKHIERO

CÆSARIMONTANO, MINORITA

Obseruant. Prouinciæ Flandriæ.




MOGVNTIÆ,

Sumptibus IOANNIS CRITHII.

ANNO M. DC. XV.

# TABVLA ARGVMENTORVM QVÆ HOC QVARTO CONCIONum Tomo continentur.

## ARGVMENTVM I.

1. *Quod quatuor cauſæ mouerint authorem ad prædicandam in iſta vrbe pœnitentiam.*
2. *Dat pro exemplo pœnitentiæ, Prodigum Euangelicum & cur ipſum præ reliquis.*
3. *Reſponſum contra improbantes tale exemplum.*

## II.

1. *Aduerſa aperiunt hominum oculos.*
2. *Proſpera claudunt.*
3. *Quod quibuſdam aduerſa quam proſpera magis conducant.*

## III.

1. *Quod quam primum aperiuntur oculi, ingredi debeat homo in ſeipſum.*
2. *Quis fuerit author dicti γνῶθι σεαυτὸν, noſce teipſum.*
3. *Quantum boni adferat dictum hoc deductum in opus.*

## IV.

1. *Proprium eſſe impiis, ignorare ſeipſos: & quid*

*inde sequatur.*

2. *Quantum ignorantia nostri nobis adferat detrimentum.*

3. *Quinam huius vitij effectus.*

V.

1. *Ignorantiam sui, nocere ignoranti.*

2. *Ignorantiam sui, nocere proximo.*

3. *Ignorantiam sui, nocere ipsi Deo.*

VI.

1. *Cognitionem sui, iuxta excellentiam suam preseruare à peccato & quod magni pretij res, homo sit, ex multorum sententia.*

2. *Quod homo maximum quid sit, propter similitudinem Dei.*

3. *Quod homo maximum quid sit, propter glorificationem sui per Incarnationem filij Dei & Redemptionem.*

VII.

1. *Quod Christus Iesus pauculis verbis (in se reuersus) res significauerit pulcherrimas, & quas.*

2. *Qui desiderat reuerti ad Deum, debet ab aliis se excutere occupationibus.*

3. *Vnde sit, quod Deo simul, & mundo vacare non possimus.*

VIII.

1. (In se reuersus) *exponi posse* (per contra se) *quod vbiq; pugna sit, & sæpe contra ipsum Deum.*

2. *De triplici contra Deum pugna.*

3. *Quomodo Prodigus tandem pugnam inierit cum Satana, conuersus ad Deum.*

IX.

1. *Hominem in negotiis admodum esse inconstan-*

*ter*

rem, maxime in rebus salutis.

2. Totum mundum, in duas diuidi ciuitates, admodum diuersas.

3. Quod homo partes, ac principem sæpe mutet.

X.

1. Duas habemus imperfectiones, diuinæ constantiæ contrarias, quæ in Prodigo nostro non fuerunt.

2. Duo requisita ad faciendam pœnitentiam, quæ in nostro fuerunt Prodigo.

3. Vtrum aliquando licet deserere partes.

XI.

1. Quod verba ista, magnam contineant exaggerationem miseriarum nostri Prodigi.

2. Quantum profuerit aliquibus, à patria, & suis aliquanto tempore abfuisse.

3. Prodigi patrem, & herum, Dominos fuisse admodum diuersos, in famulos: & patrem ipsius fuisse liberalissimum.

XII.

1. Textus noster sex continet genera hominum diuersæ conditionis, & quæ inter eos differentia & conuenientia.

2. Qui homines ibi moraliter significentur.

XIII.

1. Hominem non duci nisi præmiis, ac pœnis; ac ideo hæc duo semper necessaria.

2. Deus nobis præmia, & pœnas proposuit.

3. Vtrum sufficiat ad salutem æternam, & consequendum præmium, bene viuere.

XIV.

1. Quod in omni actione plurimum valeat bona intentio.

2. De quibus mercenariis ibi locutus sit Dominus.
3. Qui mercenarij dici possint, qui non, contra nonnullos calumniatores.

XV.

1. Panem, nobilissimum esse hominis alimentum.
2. Quod ob pulcherrimas rationes, de panibus agatur, in plurali numero.

XVI.

1. Iterum cur dixerit panibus in plurali, & non solum pane.
2. Cur potius abundare pane, quam alio cibo.
3. Verbulum vnum de quibusdam mercenarijs.

XVII.

1. Cur Prodigus, in summa perplexitate, maluerit ad Patrem quam alio reuerti.
2. Præclaram rem esse meditari conuersionem, & cur.

XVIII.

1. Quomodo ista verba Prodigi: Surgam & vadam ad patrem meum, conueniant gentilibus.
2. Quomodo conueniant publicanis tempore Christi, & generatim peccatoribus omnibus.
3. Quomodo optime quadrent in Hugenotas: quomodo Papa Romanus vere vniuersalis pater sit, cum bona precatione.

XIX.

1. Quod Prodigus noster admodum fidens fuerit, vnico saltu recta vadens ad Patrem, sine litteris, sine intercessoribus, & vnde hæc ipsi fiducia.
2. Virum Principes recte faciant scriptis & mediatoribus tractantes subditorum negotia.

XX.

1. *Quod Prodigus noster, propter intercessores ipsos, bono iure eis noluerit vti.*
2. *Quod propter personam propriam, quo minus eis vteretur iustas habuerit causas.*
3. *Quod bene fecerit non vtendo, sed per se eundo propter respectum patris.*

XXI.

1. *Vtrum liceat peccatoribus, aliquo ad Deum mediatore vti; & quis ille sit.*
2. *Vtrum liceat & expediat, defunctos sanctos adhibere intercessores.*
3. *Quæ argumenta in contrarium fieri possint; & quomodo soluenda.*

XXII.

1. *Quæ fuerit confessio Prodigi, & quæ debeat esse nostra.*
2. *Quod malefaciant qui in confessione, de omnibus à Sacerdote interrogari volunt.*

XXIII.

1. *Vnde videatur auricularis confessio non esse iuris diuini.*
2. *Quod certo iuris diuini sit, ad salutem necessaria, iugum suaue; per octo, aut nouem rationes.*
3. *Cur Laici vnus alteri confiteri non possit, specialim fœminis: & quid respondendum ad obiectiones contra confessionem auricularem.*

XXIV.

1. *Quod pater Prodigi benignissimus fuerit, idque*

*in Prodigum plurimis oſtenderit modis.*

2. *Quod tanta patris illius clementia immenſam Dei repræſentet miſericordiam in pœnitentes.*

3. *Bonum eſſe ſi Reges & ſuperiores omnes patrinam iſtam clementiam imitentur.*



# CONCIO PRIMA.

7. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν εἶπε. *Græca.*
7 *In se autem reuersus, dixit.* *Vulgata.*
7. *Quumq; ad se redijsset, ait.* *Syriaca.*

## ARGVMENTVM.

1. *Quatuor causæ mouerunt authorem ad prædicandam in ista vrbe pœnitentiam.*
2. *Dat pro pœnitentiæ duce Prodigum Euangelicum, & cur ipsum præ reliquis.*
3. *Responsio contra ducis istius obtrectatores.*

## AVE.

### I.

*Quatuor causæ, mouerunt Authorem, ad prædicandam pœnitentiam in ista vrbe.*

QVM nunquam ex hoc loco sermonem fecerim, & hic omnium primus sit, precor, Auditores, hunc vobis & mihi esse salutarem. Vnde autem incipiam commodius quam à peccatorum lachrymis & pœnitentia? quod vt faciam agmen me compellit rationum; exemplum videlicet magnorum in hac re artificum, personæ auditorum, tempus, & necessitas huius scientiæ.

1. Exemplum Magnorum, qui quoties ora ad dicendum aperuerunt, semper à pœnitentia clamorem suum inchoarunt. *Venit Ioannes Baptista, prædicans* *Matth. 3.*
*in deserto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Vt præiuit Præcursor, sic & subsecutus Magister, alijq; post ipsum discipuli; ac nominatim Sanctus Petrus. *Nisi pœnitentiam egeritis,* *Luc. 13.*

Mar. 6. *omnes similiter peribitis*, non semel dicit Christus. Et *exeuntes duodecim prædicabant, vt agerent pœnitentiam*: egressi bini omnes illud sermonis habuere principium. S. Petrus cum primum recepit in ardentis linguæ specie Spiritum Sanctum, statim clamat: *pœnitemini, vt deleantur peccata vestra.* Primus ac communis magnorum magistrorum illorum clamor est, *pœnitemini, pœnitemini*, ac inde mihi visum fuit de pœnitentia primos ad vos inchoare sermones.

Act. 3.

* 2. Personæ Auditorum etiam illuc nos permouent; nihil enim æque nobis curandum arbitror, quam vt accommodatos auditorio faciamus sermones, siue litterati doctique sint, siue plebæi ac idiotæ, versati in curijs, versati in castris: Inter milites de equitate, de fide inter mercatores, de controuersijs inter Hugenotas. Quamcunque de scripturis sumamus materiam, bona est; non tamen omnibus æque oportuna. quid enim idiotis ac sincere Catholicis cum controuersijs, ac de fide disceptationibus? quid militi cum mercatorum vsuris? quid mercatori cum perfidia & violentia militari? Contra hæreticos conuenit argumenta sumere ex Alphonso de Castro, aut Bellarmino, qui illo posterior. Inter milites bonum est capitula S. Iohannis Baptistæ ad ipsos recensere: & sic de cæteris. Tractatus autem de pœnitentia omni loco, omni tempori conuenit: omnes enim peccauimus, & vbicunque hominem inuenias, inuenies & pœnitentiæ egentem, quamuis enim alij plus, alij minus, nemo tamen sine peccato est.

3. Reg.] *Non est homo qui non peccet.*

Iob. 25.] *Nemo mundus à sorde, neq; infans, cuius est vnius diei vita super terram, secundum 70.*

Iac.] *In multis offendimus omnes.*
*Septies in die cadit iustus.*

1. Ioan. 1.] *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Psal.] *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.*

Rom. 3.] *Omnes peccauerunt & egent gloria Dei.*

Rom.

Rom.11.] *Concluſit Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur.*

Rom.11.] *Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato.*

D.Auguſt.lib.de natiuit.& grat.contra Pelag.] *Virgine excepta, ſi omnes illos ſanctos & ſanctas qui in ſcripturis ſanctiatis non modo non peccaſſe, verũ etiam iuſte vixiſſe referuntur, cum hic viuerent congregare poſſemus, & interrogare, vtrum eſſent ſine peccato: quid fuiſſe reſponſuros putamus quãtalibet fuerint in hoc corpore excellẽtia ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent, vna voce clamaſſent, quod ait Ioannes Apoſtolus: ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.*

Quis noſtrum primam illam innocentiæ veſtem non maculauit, quam candidam in baptiſmo accepimus? vbi inueniemus qui cum prima baptiſmi tabula poſt naufragium ita ſeruetur, vt ſecunda pœnitentiæ tabula non indigeat? Exceſſit ad ſignificandum ſingularem quandam ſanctitatem, non ab omni peccato exemptionem doctiſſimus ille Franciſcani Ordinis Alexander de Hales, fons Theologorum, cuius ſcriptis (vt Homeri fragmentis Poetæ) poſteri omnes, & ipſe ſanctus Thomas ſua locupletarunt, exceſſit inquam cum ſæpe ſanctum noſtrum Bonauenturam, ob laudatos mores, & vitæ ſanctitatem, ob gratiam corporis, ob ſuauiloquentiam ac omnem in conuerſatione humanitatem, de illo pronuntiauit: *Non videtur Adam in homine iſto peccaſſe*, non, non, rigide loquẽdo non ſubſiſtit, *omnes enim in eo peccauerunt*, omnes inde trahimus longã actualium peccatorum noſtrorum catenã, tac inde conuenientiſſime hinc pœnitentiæ materiam auſpicor: Cum S. Auguſtinus dicat, neminem, etſi ſibi peccati nullius conſciũ, ſine pœnitentia tamẽ hinc debere recedere.

*In offi. Ord. Minorum in octaua S. Bonau.*

*Auguſtinus de pœnitentia*] *Vita humana quantalibet polleat fœcunditate iuſtitiæ, ſine peccatorum remiſſione tamen non agitur.*

*Breu. Rom. 18. Auguſti.*

*Idem.*] Sine quotidianis leuibuſque peccatis hæc vita non ducitur.

Infantibus ſimillimi ſumus, qui ſe rurſus collutu-

lant,

lant, etsi à matribus bene loti; & quamuis sine scelere viuatur, de venialibus tamen intelligendum, *nemo sine crimine viuit*, & est sine omni peccato.

*3. Tempus quo ad prædicandum venio, ô quantum pœnitentia tractatum requirit! omnium rerum tempus est, risus, ploratus, nec omnia semper conueniunt; quædam lætioribus festis tempestiua sunt, Resurrectioni, Ascensioni, &c. quia gaudium habent: quædam tristibus, vt diei animarum, cum prophetæ Iob leguntur, & in vigilijs mortuorum, tristia tractanda sunt, non læta cantica, ne dicatur, *Musica in luctu importuna narratio.* Quædam ambigua sunt, & quasi ambidextra semper oportuna, vt tractatio de amore Dei & proximi; quia illa semper grata, & quia gemina charitas scopus est fidei, prophetarum, concionantium. huc spectat & tractatus de Pœnitentia; quia semper offendimus, semperque ea indigemus; si non vt sacramentum est, attamen vt virtus est, & quamuis omnibus horis sit tempestiuus, hoc tamen Aduentus tempore, longe maximè. Aduentus enim & conciones ad hoc ab Ecclesia constitutæ sunt, vt populus ducatur ad præparandum viam Domini, vt prædicabat S. Iohannes Prodromus: *Agite pœnitentiam, fiant praua in directa & aspera in vias planas*, vt mala omnia eliminentur ab anima, quam Deus venit inhabitaturus, aut per sacramentum, aut per gratiam, & ideo heri in vesperis cecinit Ecclesia, *Fratres Hora est, iam nos de somno surgere.* Et alibi: *In aduentu summi regis mundentur corda hominum.*

*D. Greg. Rom. 13. Ereu. Rom.*

*4. Sed quæ huius necessitas? multa argumenta sunt iucunda, vtilia, non tamen necessaria, vt quæ tractant de virginitatis gloria, de paupertatis voto, de obedientia, ac similibus: omitti tamen etiam possunt, cum Christus Iesus, nec Apostolos, nec nos, ad hoc obligarit, sed nostræ ea permisit libertati: *qui potest capere, capiat*, dicit Magister de Virginibus; *Præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, dicit discipulus. Nostrum autem de pœnitentia argumentum, non tantum iucundum & vtile, sed necessarium est

est: cum peccatores simus Deoque inuisi, nec alia nobis sit via redeundi cum Deo in gratiam, quam per pœnitentiam. Verissimum est, quod PP. Cappucini fere superliminaribus suis inscribunt, nisi fallor sumptum ex Granatensi: *aut pœnitendum, aut ardendum: si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Nec panis vitæ, nec medicina ægro, nec nauis transfretaturo mercatori, nec alæ volaturis auibus magis necessariæ, quam pœnitentia peccatoribus, vt ex hac vita ad æternam transeant. quid dixi? nimis opinor parum: magis enim illa quam vlla res necessaria. Deus enim defectum omnium istorum miraculose supplere potest; fecitque non raro, potest nutrire sine pane, *Nam non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*: sanare potest sine vnguentis, sine pharmacis, resina; testimonium dant leprosi cœci, &c. quos sanauit, cum & mortuos plures suscitauerit verbo. Potest sine nauigio in vlteriorem transferre ripam; testimonio est S. Petrus, qui vndas vt solidam calcauit. Vestra sancta Aldegundis similiter Sabin prope Maubeuge, cum Angliæ Rex illã ad matrimoniũ insequeretur. S. Barbara in montem se abdens, ad alteram in tutum transiuit partẽ, cum patris gladius tergo eius immineret. Et quis ignorat populum Israelis diuisum mare penetrasse? Potest facere Deus, vt sine alis quis volet: vbi enim Iesu Christi alæ, cum cœlum ascenderet? vbi erunt nostræ, cum rapiemur cum Christo in aëra? Sed seruare non potest sine pœnitentia peccatorem potestate ordinaria, nec fecit vnquam potestate absoluta. Conijcite, si placet, an vlli nostrũm aliquando facturus sit: quis beatus iste Phœnix, qui istam sortiretur fortunam? Agam igitur de pœnitentia, & docebo quomodo recte fiat: non præceptis tantum, sed & exemplo, quod nobis enarrauit maximus mundi pœnitentiarius Christus Iesus. Exemplum dico Prodigi Euangelici, cuius reditum (Deo iuuante) hoc aduentu tractabimus, incipientes ab illis verbis: *in se autem reuersus dixit, quanti mercenarij*, &c. cum tantæ necessitatis sit pœnitentia,

*Matth. 4.*

tia. O thema pulchrum! Deus mihi animum & eloquentiam tanto obiecto dignam, vestris precibus concedat.

## II.

*Dat pro exemplo pœnitentiæ Prodigum Euangelicum, & cur ipsum præ reliquis.*

PRodigumne dicetis mihi? imo Prodigum, sed cur ipsum præ cæteris? Pœnitentia Dauidis nonne illustrior, aut Magdalenæ, aut Thaidis, aut Pelagiæ, duo exemplaria satisfactionis, sicut & præuaricationis: quoniam quilibet suæ artis libenter Patronum aliquem imitandum desumit, eumque quem potest perfectissimum. Pictores Apellem aliquem aut Ninũ vestrum, monumentum æternum vestræ vrbis, propter vnam quam Antuerpiæ depinxit muscam; Musici Orlandum nostrum Lassum gloriam Montium, Poetæ Virgilium, Oratores Ciceronem, Milites, Alexander Achillem, Iulius Cæsar Alexandrum, Themistocles Miltiadem, nonnulli & nostrum Carolum quintum, Causidici Ciceronem; pœnitentibus autem nullum celebrius propositum, vnquam est exemplum, quam hoc ignoti Prodigi sine nomine, qui forte nunquã in rerum natura extitit. Parabolæ enim sumptæ sunt frequenter ex rebus, quæ fuerunt nunquam, sed tamen possunt & potuerunt euenire. Optime, auditores, efficiam vt mihi consentiatis hac in parte. Do vobis exemplum Prodigi pro patrono, in honorem Christi Iesu, qui illud ore suo sacro nobis adaptauit.

Do ipsum, quia omnium viribus contemperatus est, nihil in sua pœnitentia dixit, aut fecit, quod nos totum non possimus; quorundam pœnitentia mirabilis magis est, quam imitabilis, plus habens supererogationis, quam necessitatis, & obligationis: vt integras absque omni cibo ieiunare septimanas, quod nonnulli fecerũt Anachoretæ; incinerare cibos, quod aliquoties S. Franciscus, forte & Dauid, iuxta illud

*cinerem*

*cinerem tanquam panem manducabam*, ac alia aliorum sexcenta, quæ Prodigum feciſſe non legimus, miſericordiam nihilominus conſecutum cum inſigni ouatione. Solitudo & ieiunia Magdalenæ nonnullis nimium grauia, lachrymæ, & publicæ ad Chriſti pedes in conuiuio aduolutiones, pleriſque nimium viderentur erubeſcendæ; exurere in conſpectu omnium, plenoque foro, quicquid corporis quæſtu male partum, vt Thais fecit, ſcortũ Antiochenum, induſtria Paphnutij abbatis conuerſa, nimium aliquibus haberet verecundiæ, & diſpendii. Celare ſub virili veſte nomen, & habitum fœminæ, & montem habitare ſolitarium, vt Pelagia fecit, meretrix Antiochena, conuerſa ab Epiſcopo Nonno, delicatulis quibuſdam videretur intolerabile. Ad omnem galli cantum cum S. Petro deplorare abnegationem, rigare lachrymis ſtratum, ſurgere media nocte, ac ſepties in die confiteri Domino, vt pro adulterio fecit Dauid: *Potum meum*, ait, *miſcebam cum fletu*, exempla forte eſſent pœnitentiæ, quæ omnes nec vellent, nec poſſent imitari, quamuis exemplum ſecuti adulterij: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire*, dicerent illi. Sed ſeipſum retegere, delictum ſuum patri confiteri, & proclamare indignum ſe nomine filij, & totam ſuſcipere Prodigi pœnitentiam, quis eſt, inquam qui erubeſceret, tam molliter, tam ſuauiter confiteri, quis diceret ſe non poſſe? formulam igitur hanc imitandam exhibeo, tanquam facilem, plene tamen ſufficientem, vt ad eam magnus etſi peccator, in verum Chriſtianum conformetur.

*Pſalm.* *Luc. 7.* *In vitis PP.* *Ibid.* *Pſalm.* *Ioan. 6.*

Propono illum quia omnes integræ pœnitentiæ partes, tam vt virtus eſt, quam vt ſacramentum eſt, in eo inueniuntur. Contritionem quæris, aut ſaltem attritionem? ecce largam attritionem minimum venientem ex notitia & diſplicentia miſeriarum ſtatus ſui tam abiecti, quam calamitoſi. *In ſe reuerſus dixit quanti mercenarij*, &c. Confeſſionem quæris verbalem, auricularem, ad pedes hominis. Ecce hic: *Et dixit, Pater peccaui in*

*ui in cœlum & coram te, iam non sum dignus, &c.* Bonus quæris propositum confitendi, & diligens examen ea debite ad pedes competentis iudicis explicandi? ecce hîc, *& dicam Patri*, inquit: *Pater peccaui in cœlum &c.* satisfactionem inquiris, aut saltem propositum subijciendi te arbitrio confessarij, ad leuem ad grauem, qualiscunque fuerit; vbi quæso, inuenitur melius quam in hoc homine? *dicam ei*, inquit, *iam non sum dignus vocari filius, fac me vnum ex mercenarijs tuis.* Confiteor indignum me pulchro filij nomine, ac vt filius haberi: statue de me vt lubet, habe me vel vt mercenarium, vt seruum, vt seruitium abiectissimum. Insuper, propositum quæris desistendi à peccato, eiusque occasionibus? *Surgam*, inquit, recedam ab impio hoc domino, impioque obsequio: an propositum vitam in posterum rectius semper instituendi? ecce tibi, *& ibo ad patrem.* Diligentiam quæris efficiendi quod bene erat propositum, sine procrastinatione (vitium heu pœnitentibus satis frequens) nemo illo vigilantior, nemo alacrior, *Dictum factum*: & *surgens venit ad patrem.* volare crederes, non ambulare hominem, quid igitur huic Patrono, quid Duci deest? Cur non ipsum reliquis præponam? cum in nullo alio, vt opinor, appareat magis, quid apud Deum valeat pœnitentia perfecta, & quanta benignitate eos recipiat, qui sic ab erroribus reuertuntur. Videbitis, quomodo occurrat ipsi Pater, quomodo amplexetur, quomodo totus amore victus, in collum eius recidat, vestes reddat, gaudio, choro & conuiuio, tota familia in reditu eius exultet. O Patronum quem imitandum proponamus in pœnitentia maximum! Atque ideo, iuuante Deo, eos spero habere auditores, quos non capiant huius templi parietes, venite ad scænæ huius videndam apostrophen, venite, venite audacter, qui secuti estis ipsius dementiam, vt post declinationem, emendationem videatis tam gloriosam, tam insignem scandali reparationem, vt tam ipsum in lachrymis imitemini, & correctione, quam in risu & deuiatione. Ecce hic vobis Pharus, hic specula ad reditum, ne na-

uim

uim trangatis. *secutus es errantem, sequere & pœnitentem* S. dicebat Ambrosius Imperatori Theodosio, qui se excusabat peccato Dauidis: dico idem peccatoribus omnibus: secuti estis Prodigum errantem, sequimini satisfacientem & pœnitentem.

Terent. in Adelph. act. 3 scen. 4.]

*Inspicere tanquam in speculum vitas hominum*
*Iubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.*

Vtinam Deus nostro Prodigo tot concedat reditus asseclas, quot habuit fugæ & erroris; nec ego laboris mei dispendium me putabo feciſſe.

## III.

### *Responsum contra improbantes tale exemplum.*

SEd quid, quid audio? dicit vnusquisque vestrum? Vt coniicio subulcus est, quem proponis & quidē in hoc tam illustri nobilium matronarum collegio, turpe sequi subulcum ducem. Subulcū dicis, imo, sed infortunio, alioquin nec minori oriundum familia quam nostrum vllus, patre natus potente, & diuite, qui tot, in tanta fame, tam liberaliter alebat, mercenarios, insuper & mancipia, quanti *mercenarii* in domo patris mei abundant panibus, & ait Pater *ad seruos* (vt post audiemus) filii enim ipsius gestabant annulos, *date annulum in manu eius* & magna est instituta festiuitas, conuiuium, concentus, magnaque impendia ob filii perditi reditum; nam audiuit frater senior symphoniam & chorum. Subulcus vtique: sed quem Dominus Iesus Christus, in collegio honoratissimorum virorum, Scribarum scilicet, & Pharisæorum; qui doctissimi spectatissimiq; totius Iudææ erant, proposuit. Subulcus sane; sed tam subulci, quam hortulani, & olitores aliquando commode loquuntur, iuxta prouerbium: *sæpe olitor verba oportuna locutus*: Cum & stulti nonnumquam sapientes, & subulci nobiles erudiant: nec vnquam sapiens vllum erubuit magistrum, à quo bona disceret. Plinius

senior consueuit dicere : nullum librum adeo pr uum, qui non saltem in aliqua re prodesset.

Seneca lib. 1. de tranquillitate vitæ ] *numquam re in bona re mali pudebit authoris.*

Mich. Verinus in distich. ] *Virgilius gemmas Ennii de stercore legit.*

D. Ambros. lib. 2. in Luc. ] *à pastoribus etiam Mari fidem colligit: à pastoribus populus ad Dei reuerentiam congregatur.* Hoc meritum est humilitatis, vilio rem & imprudentiorem non dedignari magistrum.

D. Ambrosius lib. 2. in Luc. ] *Certe quo vilior es prudentiam* (scilicet persona Pastorum) *eo pretiosi ad fidem.*

Et vt melius est bona ex libro legere excoriato toq;, quam mala, fabulasque ex aurato recem pumicatoque; sic satius est à subulco discere pœn tentiam, quàm à nobili discere offensam : non enim dubito illustribus domicellis, omnibusque vobis, rem videri absurdam malle sequi nobilem indecora detestandaque agentem, quam hominem abiectum despectumque testimonia dantem in opere plena nobilitatis, cum& Senatores Romani olim non censuerint sibi contumelioſum suos pascere greges.

Ouid. lib. fastorum ] *Pascebat q; suas ipse Senatores.*

Ad hæc prodigus noster subulcus non mansit; postquam ad patrem reuersus, veste pulchra reindutus, annuloque exornatus est; multo minus in cœlis regnans, sed potius magnus inter reliquos sanctos; nec contemnendus ob id quod fuit, sed honorandus ob id, quod est. Ita narratur Amasis rex Ægypti, cum videret se à suis minoris fieri, quod nonnunquam ipsorum fuisset conseruus, ex puro auro peluim iussit fundi, qua lauaret pedes, eamque postea refundi in idolon falsique alicuius Dei imaginem, quo facto eam statim à suis vidit contétioſe adorari; rogauitq; cur id facerent ? cum nõ ignorarent scaphium fuisse sordidum, respondérunt alij: quia iam transiisset in formam diuinam : intulit ille;

quam-

quamuis igitur & ego ex inferiori aſcenderim gradu, ex quo tamen rex factus ſum, honor mihi à vobis debetur: ſic & nobis Prodigus honorandus eſt, ac in pulchro pœnitentiæ exemplo ſequendus alacriter, quippe (ſi vnquam talis fuit) nominatus iam inter ſanctos, quamuis in vita pro tempore porcos egerit. *Nigra ſum, ſed formoſa*, dicit ſponſa. Nigra per naturam, formoſa per gratiam; ſic & ſubulco dicere liceat, ſubulcus fui pro tempore per peccata, ſed iam ſanctus ſemper, & magnus per pœnitentiam.

# CONCIO SECVNDA.

*Graca.* 7. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν εἶπε.
*Vulgata.* 7. *In se autem reuersus, dixit.*
*Syriaca.* 7. *Quumq; ad se redijsset, ait.*

## ARGVMENTVM.

*Dicemus hodie.*
1. *Aduersa aperire oculos hominum.*
2. *Prospera claudere.*
3. *Quod quibusdam aduersa, quam prospera magis conducant.*

## AVE.

### I.

*Aduersa aperiunt oculos hominum.*

*IN se autem reuersus*: sic sane. O felix Prodigi anima! quæ tantum ex calamitatibus profecit. O benedictæ aduersitates; quæ instar hellebori stultissimos repente sapientes faciunt, ac ad philosophandum redeundumq; compellunt, & sicut chelidonia hirundinibus; sic ipsæ hominibus visum restituunt: Iam dilectissimi, iam clare apertéq; video, quod nihil vnquam Isaias verius prophetauerit hoc oracolo: *vexatio dat intellectum*, quod lippis maleq; affectis oculis, cæcoq; intellectui, nec vnguenta meliora, nec probatiora collyria sint, quam afflictiones, quod ipsum viri boni prudentesq; quam plurimi dicunt.

*Isa.* 28.

Psal. 9.] *Cognoscetur Dominus iudicia faciens.*
Psal. 72.] *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.*
Prouerb. 6.] *Via vitæ, increpatio disciplinæ.*

Isai. 27

Isai. 27.] *Domine in angustia requisierunt te. Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur.* Et *multiplicata sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.*

D. Gregor.] *Oculos quos culpa claudit, pœna aperit.*

D Iohannes Chrysost. hom. 62. ad pop.] *Initio pulchre docet sapientes fieri homines aduersitatibus.*

V. Beda sup. Esdram.] *Familiaris res est, humanum cor opibus ac libertate solui; arumnis vero & paupertate ad semetipsum recolligi.*

Senec. de verb. cop.] (si eius est) *calamitas, virtutis est occasio.*

Prouerb.] *Quæ nocent, docent.*

Prouerb.] *Piscator ictus sapit.*

Prouerb.] *Bis septem plagis Polypus contusus; dicitur, cum quis multo malo fit emendatior.* Polypum piscem aiunt captum diu multumque tundi, cædique solere, vt mitior fiat, & ad esum accommodatior.

Aduersa, aduersa, Christiani auditores, sunt fel, quod Angelus Raphael iuniori Tobiæ mandabat seruari, tanquam conducibile ad malos oculos, quo & senior Tobias fuit sanatus.

Hoc lutum, vnde olim Christus Iesus, non solum corporis sed & infinitas animæ. absterfit cæcitates.

Hæc illa aqua Siloe: qua, quam primum cæcus oculos lauit, clarissimum vidit: *laui & vidi*, inquiebat ille.

Hæc petra: ad quam serpens se distringit recuperaturus iuuentutem, renouaturus pellem, reformaturus visum, hic Aquila rostrum nimis incuruum, hic cerous antiqua deponit cornua.

Hæc illa manus quæ lædendo medetur, *Percutiam & ego sanabo* (vt de lancea Achillis fabulantur, in Pelia sub persona Telephi) vulnerans corpus restituit animam.

Hæc cos acuendo intellectui: hic malleus tun-

dendis molliendisque salpis, vt esui sint. Quid da
tatis ? si contrariæ contrariorum sunt causæ, e
ctum producent contrarium : si prospera excæca
quare aduersa oculos non aperiant?

II.

*Prospera oculos claudunt.*

SEd quis dubitet? sicut nimia humorum copi
nimia pinguedo, obturatio contactusque pupi
larum, & palpebrarum, nimius fulgor ac radian
solis totum possunt excæcare hominem, aut salsu
ad modum offuscare oculum: quin similiter prospe
ra, diuitiæ, licentia, absorbeant rationem, ac occul
interioris obtutum. hoc vtrum sic fit cogitate? non
*Psalm.* ne id voluit Propheta, dicens *ab altitudine dei tim
bo.* summa credo cogitabat honorum culmina; Om
nino arbitror ingeniosam antiquitatem, fortunæ c
culos pinxisse velatos, non vt passiuam eius cæcit
tem solum exprimeret, quia videlicet sine discretio
ne ac æquitate cæca putabatur distribuere munera
dignis auferens, conferens indignis &c. sed etiam
ad actiuam, vt monstrarent excæcare illam, pullos,
filiosq; quos haberet lautius, ac fauoribus, honore,
diuitijs, cumularet, &c. Nauarchi versatiores dicunt,
maris malaciam sæpe maximarum tempestatum es
se matrem; sic etiam versatiores in via spirituali, di
cunt nimias commoditates generare peccata, infir
mitates, ac tenebras in anima.

*Ouid. lib. 2. de arte.*

*Luxuriant animæ rebus plerumq; secundis,*
*Nec facile est, æqua, commoda mente pati.*

Senec. Epist. 39. lib. 5. ] *Segetem nimia sternit ube
tas, rami onere franguntur, ad maturitatem non peru
nit nimia fœcunditas. Idem quoque animis euenit, qu
immoderata prosperitas rumpit, qua non tantum in alio
rum iniuriam, sed etiam in suam, vtuntur.*

Nonne prosperitas vt talpam ex cæcauit Pharao
nem

nem, ac tantopere, vt ignoraret magnum Deum Israel? Audi vt respondeat legato eius Mosi, *quis est Dominus vt audiam vocem eius?* De liberandis captiuis Israel scilicet. Alium neminem agnosco Dominum, cuius stem imperio; ac ideo in contumeliam Domini tui operas ac mancipia Israelis non relaxabo. Auditis? Nonne eadem oculos obturauit Nabuchodonosor, vt triginta diebus à suis voluerit adorari, in statua scilicet aurea; non in persona, idque sub capitis pœna; qui iussam recusaret idololatriam.

Dicitur Alexander Magnus, deuicto Dario rege, subiugatoque Persarum imperio, indignanter scripsisse Græcis, vt ipsum nominarent Iouis filium; ac egregiam idololatriam istam sustinuit, adeo vt & ventos, & maria moderari, ac disponere omnia ex voto videretur, sed versi venti in contrarium ac nouus hic Deus sagitta percussus; & superbia Pharaonis egregie castigata à Mose ministro Dei: superbi Nabuchodonosores abacti assimilatique bestiis agri, ipso statim facto & sub ictu aperuerunt oculos, contraxerunt vela, remiserunt rudentes, & plenum illum ambitionis impetum, videruntque optime se nihil minus quam Deos esse, sed eiusdem farinæ cum reliquis, homunciones subiecti communibus humanæ naturæ miseriis: *Homo sum, humani nihil à me alienum puto*, sibi vnusquisque occinit. *Ælian. lib. 2. var. hist. cap. 19. Senec. ad Lucil. ep. 60. Terent.*

Psal.] *Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.*

Psal.] *Disciplina tua correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit.*

Deus noster, Dilectissimi, & Christus Iesus filius eius, sæpius agnosci se sinunt incunte nocte quam plena die: *Nubes & caligo in circuitu*

*cultu eius*: ideo etiam circa medium noctis Christus
Sap. 18. natus est: *Cum enim quietum silentium teneret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, de cœlo à regalibus sedibus Durus bellator in mediam exterminii terram prosiliuit.*

*Qui mane* sub auroram, scilicet, inter lucem, ac tenebras, *vigilant ad me, inuenient me.* Apparuit nonnunquam sub ferum discipulis: aliquando ad quartam vigiliam noctis: in matutino crepusculo: nonnunquam cum discipulis in Emaus moratus est, vsq; in vesperam, aperuitq; sero ipsis oculos, vt eum tum melius cognoscerent, quam in meridie. Indicat hoc, plena luce ac feruore diei, in prosperitatum fulgore non ita bene agnosci Deum, quam sub noctem, sub
Psal. 76. frigore ac nubibus aduersitatum. *In die tribulationis meæ, Deum exquisiui, manibus meis, nocte contra eum: & non sum deceptus.*

Dicit regius Propheta, & cantor Dauid, Sponsa in canticis non inuenit ipsum in lectulo, sed extra errans, scrutansq; angulos, cum magno labore. Sicut quorum oculi caligant ex claritate nimia ac improportionata, visum in locis obscurioribus minusq; luminosis recuperant; sic sæpe quos fortuna nimium fulgurans visu ac ratione destituit, in aduersitatum
Isai. 9. obscuro, visum, rationemq; redinueniunt: *vexatio dabit intellectum*, dicit Propheta. *Habitantibus in regione mortis lux orta est eis.* qui locus huc facile accommodari potest: sicut & alter Psalmi: *Exortum est in*
Psalm. *tenebris lumen rectis.* Pleriq; hominum, sumus similes, flori illi Indico, quem appellant arborem tristem, qui nunquam floret nisi occaso sole, marceq; cum
D. Garsias ab Horto de plantis Indicis lib. 2. cap. 1. resurrexerit, vt scribit Garsias ab Horto, in historia de plantis Indicis, aut vespertilionibus, nihilo magis enim quam istæ, sine caligatione, solis splendorem sustinemus, nox & tenebræ infirmis oculis nostris magis conueniunt: similes etiam sacerdoti Heli; nec videre possumus lucernã in tabernaculo, donec exstinguatur; non omnes sumus aquilæ, qui in aduersum solẽ figere possimus obtutum media, radianteq; die,

sine

sine obfuscatione visus, quo indicio aquila pullos suos genuinos à spurijs dignoscit; ad lapidem hunc lydium affligi scilicet, aut non affligi prosperitatibus, genuini dignoscuntur homines, & filij Dei. Credo equidem cæcitatem hanc in prosperis inde nasci, quod nimius splendor oculis intellectuique quorundam sit improportionatus; nam vehemens sensibile lædit sensum: aut quod ita intellectus prosperitatum, ac commodorum consideratione, detineatur vt otium non habeat rebus alijs vacandi, aut quod prospera, vina quasi vapida & fortia sint, quæ occupant cerebrum quam maxime, & hebetant visum. Hoc totum in Prodigo nostro est manifestum: quando enim sol prosperitatum super ipsius zenith directus illuxit, ac splendidissimis, fulgidissimisque radijs vndique circumdedit, bonus homo ita caligauit, vt nec Deum, nec Patrem agnosceret, imo nec seipsum, vt nec dignaretur cœlum aspicere; assimilatus illis, de quibus Dauid loquitur: *Oculos suos statuerunt declinare interram*, & alius. *O curuæ in terras animæ & cœlestium inanes.* Vnde postea se recognoscens, dicet: *Peccaui in cœlum*, quod ita contempsi, quando scilicet versa erit fortuna, sol occidet obnubilatus, & inclinatę crescent vmbræ, & cum ipsum derepente tristior intercipiet, cum vacuis loculis, digitis exannulatis, nec amicas, nec amicos, vltra numerabit: totus nudus, totus famelicus, vile mancipium, subulcus, ipsis quos pascebat porcellis pauperior. Videte Auditores, videte: quomodo cœperit diducere oculos, cœperit præsentes inspicere miserias, & nuperas cogitare fœlicitates, ille iam sub externi barbarique dominio, qui prius optimi patris fruebatur domo, in se reuersus dixit: *quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* in agro, inter dumeta, inter porcorum greges. *leua in directum oculos tuos & vide vbi nunc prostrata sis.* Optime igitur saluberrimeque venerunt aduersitates, quæ ipsum oneribus habitis spoliarunt, nihilque ei reliquerunt, eorum quæ amabat; nihil eorum quæ desiderabat; nec siliquas quidem

*Psal.* 16.

*Isa.* 46.

dem & porcina prandia; *nam cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant, & nemo ei dabat.*

## III.

### *Quod melius sit nonnullis esse in aduersitate, quam prosperitate.*

COncludamus igitur melius esse quibusdam in aduersis, quam prosperis, maxime si illa nimia non sint, nec nimium ad peccatum pertrahant; possidentes vero oculorum & intellectus firmitudine non præpolleant: nam quibus visus infirmior ac debilior, melius per vmbram, quam per solem iter fit.

*D. Aug. ep. 5. ad Marc.* *Nihil infelicius, felicitate peccantium*, dicit S. Augustinus, & Demetrius: *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil euenit aduersi.*

Dom. Noæus tertio paradoxo militari docet: *Vtile esse duci semel aduerso Marte pugnasse.*

*Plutar. in Themist.* Quot inueniuntur, qui cum Themistocle exclamare possunt, etsi in alio casu: *Perieramus, nisi periissemus:* perdita nobis esset anima, nisi perijsset corpus. Quam oportune multi Zenonis vterentur verbis: & cum eodem Philosopho gratias agerent infortunio, quod benignitate sua ipsos philosophari compulisset.

Dio. Laert. lib. 7. c. 1. de vit. Philos. Zenonem Citriæum dixisse ferunt.] *Tum secundis ventis nauigaui, quando naufragium feci.*

Ibi.] *Alij dum Athenis diuersaretur, audito naufragio eum dixisse ferunt; recte sane agit fortuna, qua nos ad Philosophiam impulit.*

Ionam fugitiuum reduxit tempestas ad Deum.

Ion 2.] *Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum.*

Psal. 77.] *Cum occideret eos, quærebant eum, & diluculo reuertebantur ad eum.*

Actor. 9. Paulus de equo præceps deturbatus ait:] *Domine, quid me vis facere?*

Psal.] *Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.*

Psa-

Psal.90.] *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis, quibus vidimus mala.*

2.Cor.12.] *Cum infirmor tunc fortis sum.*

Cicero. *Vt equos, propter crebras contentiones præliorum, ferocitate exultantes, domitoribus tradere solent, vt ijs facilioribus possint vti; sic homines secundis rebus effrænatos, sibique præfidentes, tanquam in gyrum rationis & doctrinæ, calamitatibus rebusque improsperis plerumq; duci, vt perspiciant rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque fortunæ.*

Ierem.31.] *Castigasti me, & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus.*

Sicut nunquam botrus vina sua diffunderet, nisi torcularibus extorta; sic & nonnulli boni nihil redderent, nisi pressi afflictionibus: *ignotæ felicibus aræ*, &, 7. *Raræ fumant felicibus aræ.* Dicit Poeta: sic, sic est: sunt qui vt generosi equi duci non possunt, sed trahi tundique debent vt asini: imo, imo vero homines sunt, qui animas habent asinorum, Midæque auriculas, hortare, inclama, quantum volueris, nihil agent, non procedent, nisi egregie depexi fustibus, imo homines inuenias eiusdem naturæ cum nucibus, quas nunquam feraciores feceris, nisi verberibus, & baculis; quales olim superstitiosæ gentilium fœminæ, quæ fœcunditatem suam desperabant, facilemque partum, nisi festis Lupercalibus dorso, ventre, & palmis accepissent verba scuticæ, insignium tam infamis ac execrandæ solennitatis ministrorum: de quibus quidam antiquæ idololatriæ magnus Secretarius alicubi sic loquitur:

*Nupta quid exspectas? non tu *pollentibus herbis*
*Nec prece, nec magico carmine mater eris.*
*Excipe fœcundæ patienter verba dextræ,*
*Iam socer optatum nomen habebit aui.*
*—— iussæ sua terga puellæ*
*Pellibus exsectis percutienda dabat,*
*Luna resumebat decimo noua cornua * mense.*
*Virgo pater subito, nuptaq; mater erat.*

*Ouid. lib. 2. Fast.*
*al. *pallentibus.*
*al. *motu.*

Ideo-

Ideoque hominibus istis, tam ad calcaria obduratis, dicit *compelle intrare ad nuptias* regis magni, compelle inquam, interminationibus cruciatuum æternorum, compelle pœnis, & rigoribus legum uilium: compelle vi, & quocunque modo, voluntates ipsorum rebelles, denegando, præcidendo quic-
D. Greg. quid ipsorum pertinaciam iuuat. *Mala quæ nos hic premunt, ad Deum nos ire compellunt*, atq; ideo si quis me interrogaret: vtrum pastor à parochiali suo rogatus, diuinam pro ægro quærere misericordiam, vt sanitatem recipiat, si quærenti vtrum in sanitate, an in ægritudine magis Christiane vixerit, responderet æger, tum cum Deus me visitauit (iuxta S. Paulum, *cum infirmor, tunc fortis sum, & virtus in infirmitate perficitur*) recte respondsurum affirmo, satius ergo tibi tenet lecto, vt melior euadas, orandum enim est, *vt sit mens sana in corpore sano*, & vtriusque sanitas precibus interpellanda; sicut dicit ecclesia: *Perpetua mentis & corporis sanitate gaudere.* ac ideo quando corporis sanitas, infirmat animam, aut eius ægritudo animam magis roborat, neglecta corporis sanitate, animæ valetudini vnice incumbendum est, & periclitandum pro domina mancipium. subscriberet mecum sententiæ huic S. Petrus. Noluit enim etiamsi posset, filiam suam Petronellam liberare à febribus, quibus tota vita afflictabatur, nisi ad hoc solum, vt de potestate ipsius constaret, iussit enim sanam vni seruire conuiuio (vt nonnulli referunt) ostendens quantum bonum sit infirmitas.

D. Gregorius hom in illud: Homo quidam fecit cœnam magnam.] *Plerumque*, inquit, *postquam in hoc mundo non possumus obtinere quod volumus, postquam in terrenis desiderijs de impossibilitate lassamur, tunc mentem ad Deum reducimus, tum placere incipit quod displicebat, &c. Qui ergo huius mundi aduersitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt, atque à præsentis vitæ desiderijs corriguntur, quid isti, fratres charissimi, nisi vt intrent, compelluntur.* Plane sicut medici, corporibus metuunt crassis, nimium obesis, oppletisque, & curatis nimium:

mium: experti nautæ nimiam maris malaciam, & tranquillitatem: Agricolæ spicas nimium prægnantes: Hortulani arbores nimium onustas: vinitores racemationem nimiam. Ægyptij quoque Crocodilorum lachrymas: alij risum Sardonicum. Troiani equos & dona Græcorum: *Timeo Danaos & dona ferentes* dicit sacerdos ipsorum Laocoon. Christiani Iudæ oscula, inducias Turcarum, viatores risus blanditiasque canum, quia nimia sanitas præludium est infirmitatis; nimia serenitas tempestatis; nimia spicarum exuberantia calamitatum ante messem: (*Segetem nimia sternit vbertas*, dicit Seneca.) Crocodili lacrymæ mortalitatem hominum: risus Sardonici agonem mortemque ridentis: dona Græcorum, oscula Iudæ, Turcarum inducias, proditionem; canum risus, mordaciã; sic & sapiens & Philosophus nimiam semper horrebit felicitatem; quia illa facile sui Deique obliuionem inducit.

*Virg. lib. 2. Æneid.*

*Sene. li. 5. epist. 39.*

*Tolluntur in altum*
*Et lapsu grauiore ruunt.*

*Claudian.*

Cato lib 2 dist.] *Noli successus indignos ferre moleste;*
*Indulget fortuna bonis, vt ladere possit.*

Sæpe, sæpe nimia fortuna, nimiaque felicitas desinit in infortunium, noxamque animæ, corporis, & bonorum omnium, nonne vidimus numerosissimos exercitus, tandem ab vno hominum manipulo superatos? quia ob res semel & bis bene gestas, leuesq; pugnas, inciderunt in superbiam, insolentiam, contemptum hostium, dedignantes se munire ac obseruare solicite, quod facturi erant, nisi leuiter aliquoties strauissent hostem.

Policrates Samiorum rex: illum dico à fortuna, tam laute delicatoque nutritum: hoc satis peruidit, cum consilio Amasis regis Ægypti, gemmam signatoriam abiecit in mare, quæsiuit, captauitque molestiam, quæ ipsum laxatis frenis aliunde videbatur effugere. quæsiuit saltem tantum in vita habere molestiæ, vt vno die, annulo, quem charissimum habebat, careret: historia memorabilis apud Herodotum: ac

*Herod. li. 3. in Thalia.*

ideo

ideo totam vt digna est hic reponam pro curiosioribus iuxta correctionem Henrici Stephani.

Herodotus lib. 3. *Res Polycratis tantopere secundas ipse non latuit Amasim* (Regem Ægypti, cum quo hospitium, ac deinde fœdus habebat) *cui hoc cura erat, sed cum assidue forent multo secundiores, Amasis libellum Samum misit in hæc verba scriptũ,* Amasis ita Polycrati inquit, *mihi quidem fœliciter agi cum viro amico meo & hospite, audire voluptati est: tamen tua magna prosperitates mihi non placent, qui intelligo, quam inuidum numen sit. Quod ad me attinet, malim tum meas ipsius, tum eorum qui mihi curæ sunt, res nunc prospere ire, nunc infeliciter cedere, & ita, per varias fortunæ vices, ævum traducere, quam in omnibus mihi prospere cedere. Nec enim de quidam audisse me puto, qui quum in omnibus fœlix fuisset, non tandem male perierit funditus. Tu itaq; mihi obtemperando, hoc aduersus prosperitates agito: Despice quid tibi sit, quod plurimi facias, quodq; amissum tibi maxime doleret: id vbi inueneris, ita abijcito, vt nunquam ad homines veniat. Quod si prospera tua deinceps non variabuntur aduersis, medeare tu tibi subinde eo modo, quem tibi subieci. Hæc quũ legisset Polycrates, & in animum demisisset, tanquã bene sibi ab Amasi præcepta, disquirebat quodnã ipsorum ornamentorũ esset, quo amisso maxima ipse molestia afficeretur: atq; hoc tandem quærendo inuenit. Erat ei* * *gemma signatoria smaragdus, quam gestabat auro inclusam, opus Theodori Samij Telecle geniti. Hanc vbi abiiciendam statuit, ita abijcere libuit. Quinquaginta remorũ nauem conscendit: eam dehinc viros, quibus illam instruxerat, in Pelagus educere iubet. Et postquam ab insula procul aberat, detractũ sibi sigillum, ijs qui vna nauigabãt inspectantibus, abiecit in pelagus: hoc acto renauigauit. Reuerso domũ, quum ex iactura afficeretur, quinto, sexto ue, quam hæc acta sunt die, hoc ei casu euenit. Piscator quidã captum à se piscẽ, grandem sane ac pulchrum, putauit dignum, quo Polycratem donaret, eum ad fores quum attulisset, dixit se in conspectum Polycratis ire velle: à ianitore permissus, donans Polycrati piscem, Rex, inquit, hunc ego quem cepi piscem, etsi operis manuarijs vi-*

* *al. gemina.*

*tam*

*tam tolero, tamen non iudicaui ferendum à me esse in forum sed tetuaq; potentia dignũ. Eum itaq; affero tibi, donoq;.* His verbis iste delectatus, ita respondit: *Tu verò probe, nec facto solo, sed etiam oratione apud me inisti gratiam: ad cœnam q; te vocatum volo. Hæc magni faciens piscator domum abijt. pisces ministri rescindentes, offendunt in eius aluo sigillum Polycratis. Quod vbi viderunt sumpserunt q; ad Polycratem lætabuudi quam celerrime pertulerunt. Eo; illi reddito, referebant, quo pacto fuisset inuentũ. Polycrates quum eum subijsset diuinum quiddã id esse, scribit, quæ fecisset, & quæ, post illa à se facta, sibi contigissent, & qua ratione, quod amiserat, recepisset. Hæc vbi scripsit, in Ægyptum misit. Quibus tabellis Amasis perlectis quæ à Polycrate venerant, didicit fieri non posse, vt homo homine à re quæ euentura est retrahat: & Polycrati non fœlicem fore tandé rerũ exitum, qui per omnia prosperam fortunam experiretur, adeo vt ea etiam reperiret, quæ abiecisset. Missõ itaq; Samum Caduceatore, dixit se ius cum illo hospitij soluere. Quod ideo fecit, ne in tristẽ aliquem grauem q; casum incidente Polycrate, animi dolorẽ veluti de hospite ipse contraheret. Hæc ibi.* Rex Salomon in tam beatis regni initijs, orabat Deũ sapientissimum, ne diuitias, aut paupertatẽ daret: præsagisse videtur cœcitatem, quę ipsũ oppressit, cum se vidit opib. magis quam Crœsianis, oppletum tantus vtpote, vt tempore regni ipsius autũ æquaretur lapidibus. *Ab altitudine diei timebo.* Huc etiã seruit, q; tanquam certum refertur: de S. Ambros. Episcopo, qui diuertens ad hominem diuitẽ, & iuxta mundi opinionem, adeo fortunatum, vt gloriaretur se nihil in vita sensisse aduersi, quamprimum hoc audiuit, statim pedẽ retraxit ex ædibus ipse cum suis, dicens: se inde fugere timentẽ perire cum homine, quẽ fortuna nunquam vellicasset, & qui ignoraret per inexperientiã, quid aduersa sint. Idcirco magnã dixi esse Dei benedictionem, quod Prodigum nostrum ad eas reduxerit angustias, vt seruitio se manciparet turpissimo, experiretur inediam, non panis tantum, sed & siliquarum, quibus porci distendebant ventrem, vt subulcus fieret, suibus ipsis miserior, contra commune prouerbium, quod dicit: præstare porcarium

*Paulinus in vita S. Ambrosij.*

fieri, quam porcum: fortunæ enim verba, & incu-
sus ipsi pro collyrio fuerunt fortissimo, quo oculos
aperiret, & sanaret cœcitatem. Gratias igitur aga-
mus Deo charissimi, quando nos affligit, auferens
quæ amamus nimium, aut non concedens quæ male
desideramus, nec ipsi cum reprobis reddamus ingra-
tias, signum enim hoc amoris est (*Quem diligo, castigo*
dicit ille, *& castigat omnem filium quem recipit*) indicium
est, quod nos sanare velit. *desperatis enim ægris quicquid*
*dari poscunt, medici dare præcipiunt*, (dicit S. Gregor.)
*qui autem ad salutem reduci possunt, multa dari contra-*
*dicunt.*

Arnob. lib. 8. aduersus gentes:] *gentes Deum ratio-*
*entes vt victimæ ad supplicium saginantur, vt hostiæ ad*
*pœnam coronantur.*

D. Gregor.] *mactandus vitulus liber ad pascua dimit-*
*titur, seruandus iugo premitur.*

Sicut qui mari iactantur tam diu salutem sperant,
quamdiu gubernator clauum tenet, vela vertit, ru-
dentes curat, desperant autem, quando nauem ven-
to permittit, & fluctibus, dimittens omnia: sic & nos
sperare possumus tandem gratiæ diuinæ portum &
gloriæ, quamdiu Deus nobis curam correptionem-
que impendit, sed summopere timendum est naufra-
gium; cum dicit: *super quo percutiam vos vltra adden-*
*tes prævaricationem*, vel & *dimisi eos secundum desideria*
*cordis eorum ibunt in adinuentionibus suis.* Dicamus er-
go inter aduersa, inter malleum & incudem, inter
ferrum & cauterium, cum S. Augustino, *hic ure, hic*
*seca, vt in æternum parcas*: cum S. Ignatio Martyre:

*D. Igna. in epist. ad Rom. Ex tragœd. Gall. autoris act. 4. scen. 2.*

*frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt*
*panis mundus inueniar. Punge, vre, seca, lancina*
*populum tuum in arena, vt in auum*
*illi ignoscas.*

CON

# CONCIO TERTIA.

7. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν εἶπε. *Græca.*
7 *In se autem reuersus, dixit.* *Vulgata.*
7. *Quumq; ad se redijsset, ait.* *Syriaca.*

## ARGVMENTVM.

Ostendemus quod
1. *Quam primum oculi nostri aperiuntur ingredi debeamus in nos ipsos.*
2. *Quis author fuerit dicti, γνῶθι σεαυτὸν, nosce teipsum.*
3. *Quantum boni adferat dictum hoc deductum in opus.*

## AVE.

### I.

*Quam Primum oculi nostri aperiuntur ingredi debeamus in nos ipsos.*

Ecce igitur ô Prodige. Ecce Dei & aduersitatum ministerio oculos tuos apertos, aut apertioni proximos; ecce pelliculam, ecce albuginem detersam. *Ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ & visum recepit.* Ecce ablata obstacula, ecce minutos humores nimios, qui illos obsidebant, & obturabant; ecce lutum ex Domini nostri sputo confectum (humiliationem dico tuam) à manu vltrice altissimi. Ecce visum tibi redintegratum: iam adeo perspicui sunt tibi oculi vt aquilas columbasq; adæques. *Oculi tui columbarum.* qui ante eras Tobia aut Thebano Tiresia cæcior: iam repente totus factus lynceus, vt ipsum te deducas, iam clare videns quo perges! quo ibis? quo te primum aduertes? abijciesne quod aiunt manubrium post tergum? An forte ex prima te illaqueabis arbore, in-

*Actor. 9.*

*Cant.*

fortunij impatientia, & pudore paupertatis, vt nos nulli; aut veniæ desperatione sicut Iudas aliquis aut Achitophel. Non sine vitio ex vna parte diabolus illuc vsq; te demersit, & per peccata prostrauit vt hæc meditareris & Dei iusta seueritas desperationis tuæ formidinem nobis adducit. sed confido de gratiis, quod in Diaboli caput consilia sua recident, ac iterum institues vt Deus tibi pater, tibi amicus fiat, cœlique te recipiant, vnde Diabolus, nequissimus Achitophel, te perdere & deturbare cogitarat. Fallone, ecce Euangelista bonam spem ingerit. *In se autem reuersus.* id est, sui compos effectus, vt explicat Euthymius, ac menti redditus quam apud patrem manens possederat, aut iuxta S. nostrum Antonium de Padua, considerans statum suum & intellectum veritati intendens, vel vt ego malim, ingressus in conscientiam & notitiam sui. O quam bene: O quam feliciter: *in se reuersus,* O bonus vsus, nouiter restituti visus: O magnum & sanctum iter, inchoatum à paupertate.

2.Reg.17.

Euthym. in Lucam cap. 57.

D. Gregor. lib.2.dial.] *Quotiens per cogitationis motum extra nos ..... ducimur, & nos sumus, & nobiscum non sumus.... Duobus modis extra nos ducimur, quia aut per cogitationes lapsum sub nos reducimur, aut per contemplationis gratiam super nosmet ipsos leuamur.*

Et certe quo melius, ire posses, homo miserrime, quod iter breuius, compendiosius, vtilius, post tam longum inires exilium; squalens fatiscensq; pristinis sordibus, fame, lassitudine, ex tam immitiduraque seruitute, à porcorum custodia, inquieti gregis, & suum sæpe calcantis custodem; quam iter, scilicet viamq; ad te ipsum, in te ipsum, vt te discas, præsentesque miserias, causasq; earum, tempus lapsum, & reuertendi media. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ &c.* O factum belle! primum in se reuerti. Res illa maxime necessaria: illuc ante omnia recipere se debuit, *bene in se reuertitur, quia à se exierat,* dicit S. Ambrosius. O primum iter, quod quam primum homini mouere pedem licet, id est

Ambro. lib. 2. in Luc. cap. 15.

quam

quam primum ratione vti incipit, ambulandum est. O viam! ô profectionem salutarem? eat qui voluerit cum Rebecca inquisitum oracula, & sententiam Domini de gemellorum lucta quos gestabat vtero. Comitentur alij Platonem, Apollonium, alioſque qui fugaces sequebantur toto orbe scientias, Alij itinera Herculis decurrant omnia, ad nominatissimas vsq; columnas, vt monstris, portentis, & tyrannis orbem expurgent; Alij Orphei Thesei & Aeneæ sequantur vestigia, ad infernum vsque: imo & Astrologorum vanos spiritus qui cœlum perambulant, sperantes ex astris Dei mysteria ac consilia perdiscere secretiora, vt ea deregant nobis. *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum, transiuit in terra.* Quid dico imo & ipsa itinera raptumque S. Pauli triduanum in tertium cœlum, (agentis forte vnum diem in cœlo quolibet, quis nouit, cum & ipse multa de itinere suo ignorarit: *Nescio*, dicit sæpe, *Nescio Deus scit*) vbi ea vidit quæ non licet homini loqui. Date veniam sapientissimi huius orbis peregrini, & vos, quorum deuotionem tamen & probo & commendo tanquam catholicus semper cum Dei gratia futurus (qui ab ortu ad occasum, à meridie ad septentrionem loca sancta visitatum curritis, *vt adoretis in loco vbi stetерunt pedes eius* Dei simul & hominis, quem sanguine suo rigauit) dico nihilominus, nec vllum iter tam breue, tam securum, tam parum habens impendij, tam multum salutis, nec tam omnibus necessarium, quam hoc quod noster Prodigus hodie decurrit, *in se reuersus*, in suã scilicet descendens notitiam, in conscientiam mentemque propriam. Prædictorum enim itinerum, quædam non sunt imposita omnibus.

*Genes. 25.* *Hieron. ad Paulin. de om. 1. hist. lib.*

*Psalm.*

*Psalm.*

Quædam & vetita nonnullis, vt religiosis, coniugatis, sine consensu mutuo, veniaq; Prælati.

Quædam aliquibus etiam impossibilia, aut virium, aut mediorum defectu, aut viarum impedimentis.

Quædam non sunt necessaria.

Quædam & corpori & animæ, & bonis damnosa. Longa enim itinera (vt est in Prouerbio) nec equos reducunt meliores, nec prudentiores homines; sed hoc mandatum omnibus, prohibitum nulli, possibile cuiuis; cum nullius detrimento, cum omnium bono coniunctū. Fecit igitur, dilectissimi, Prodigus noster iter magnum & spacioſum, *reuersus in seipsum*. Sed vnde? video quo iuerit, nescio vnde venerit, vnde igitur est in se reuersus: Vnde? à foris, ab extra se, *per cogitationis lapsum sub nos redimur*, inquit, S. Gregorius. Vnde? à nimis curiosa scrutatione, & inquisitione externarum & terrenarum rerum, ab inordinato amore. vnde? ex carcere, ex laqueis, ex manibus sensuum corporis, ex crudelissimis animarum latronibus, qui animam ipsius tanto tempore in Asia, Corinthi, Mileti, Alexandriæ, aliisq; ciuitatibus, voluptatum, & deliciarum officinis tam grauiter detinuerant captiuam. vnde? à crapula, longaq; extasi, à phreneſi, qua semper vexabatur, à primo tempore, quo patri partem hæreditatis extorsit.

*D. Greg. li. 2. Dial.*

*Georg. Macrob. in sua Azoto Euang. act. 5. scen. 1. ingenioſe finxit prodigum in Asia luxuriatum.*

Simon Cass. lib. 6. c. 16.] *More extasim patientis ex infirmitate, seruator parabolam ponit, qui recta cum sensuum actione; aut eius, qui aliena loquitur, qui, lucido habito interuallo, recta pronuntiat, & extasi terminata sensus, redit ad sensus.*

Ibidem.] *Peccator à se recessisse dicitur, velut, quia ratione deperdita, irrationabilia operatur. in se reuertitur, cum indita rationis est compos. Reuerti igitur in se*, est quasi ex insania ex phreneſi ad mentem ad rationem redire. vnde? ex brutali recta, quæ nihil minus quam humanitatem & rationem præferat, quam illucusque consectabatur. Vno verbo transformatus ex bestia in hominem, vt nuper ex homine in bestiam. O quot latent bestiæ sub larua & specie hominum! vtinam hodie pulchra metamorphoſi cum nostro Prodigo ex bestiis ad homines redeant omnes!

Petrus Rauennas ser. 2. de Prod.] *A se migrat, & ab homine transit in bestiam, paterna pietatis immemor, gratia genitoris oblitus.* Vnde

Vnde ex longinquo, à retro Dei optimi, quem tanto tempore deseruerat. ita sane, dilectissimi, peccata a Deo elongant, peccata homines in bruta transformant & extra seipsos eijciunt.

Verum nota, quod Prodigus noster non dicatur reuersus *ad se*, vel *iuxta se*, nec *ad sua* quasi propria aut hæreditatem sed *reuersus in se*, quod emphasim habet & plus dicit. redire enim ad se, nihil aliud est, quam recogitare illa quæ ipsum concernunt, aut miserias, aut bona, fortunas, infortunia, res externas, sicut de castro aut domo loquimur extra vrbem. Et hoc equidem longe à salutari conuersione abest, sed *reuerti in se*, est, considerare ipsas animi miserias, intra domicilium, intra conscientiam, & spectra & terribiles peccatorum species intrare. *Omnis gloria* (& ignominia) *filiæ regis* (Dei) *ab intus: ab intus regnum Dei & diaboli intra vos est.*

Ita plus dicit *in se* quam *ad se* reuerti: dicit enim magnas metamorphoses, magnas conuersiones, & immutationes vitæ. magnum iter vsq; *ad se* reuerti. Maius & melius *in se* redire, ad mentem scilicet bonam, quod vtiq; sine speciali Dei gratia fieri non potest.

Prodigus igitur noster primum ascendit pœnitentiæ gradum, primum dico, eorum quos S. Ambrosius de Padua hic obseruat. *Primus* redire in se. 2. componere & comparare inter se miserias suas, & felicitatem mercenariorum, aut comparare quæ ex bona vita surgunt commoda, cum incommodis quæ ex peccato, ac ita increpare seipsum. *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo, memor esto, vnde excideris.* Luc. 15. Apoc. 2.

3. Reuocare & erigere appetitum ad cœlestia, detestari terrena, aut proponere emendationem. *Surgam qui cecidi, qui iacui, qui male sedi, & cessator fui, qui dormiui in luto & lecto peccati.*

4. Redire ad bonum, *ibo ad Patrem.* Addamus 5. Propositum firmum, bene confitendi peccata; & dicam ei, *Pater peccaui in cœlum & coram te* & 6. sub-

mittendi, se pœnæ ac satisfactioni (vt Catholici appellamus) debitæ. *Fac me sicut vnum ex mercenariis tuis. Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Quoniam ego in flagella paratus sum. Hic vre, hic seca, vt in æternum parcas.*

Gregor. Nicen.] *Non prius redit ad pristinam felicitatem, quam in se rediens sentiret opprimentis aduersæ præsentiam, & meditaretur pœnitentiæ verba.*

Transeundum est bono ordine ad pœnitentiam. pœnitentia enim vt spirituales viri definiunt, non aliud est quam *reditus ad se & ex hoc & per hoc in Deum.* *Psalm.* *Cogitaui vias meas*, quas scilicet primum ambulabat Propheta Dauid, & inde *conuerti pedes meos in testimonia tua*, quæ scilicet nobis vt implenda proponit & alibi, *collige & congrega cor tuum*, &, *redite præuaricatores ad cor. compelle intrare.* & deinde, *conuertimini ad me in toto corde vestro.* *Ecclc. 30. Isaiæ 46. Luca 14. Ioel. 2.*

Petr. Chrysolog. serm. 2.] *In se reuersus est, in se antea redit Prodigus, vt redeat ad patrem, quia à se antecesserat, cum recessit à patre.*

Conforme huic est antiquorum dictum, *Seipsum nosse, sciendi* est principium. Et ideo olim magnum aureisq; litteris, non in pauimento, non in altari, sed in limine Apollinis Delphici celeberrimum illud dictum inscribebatur, γνῶθι σεαυτὸν, *Nosce teipsum.* tanquam sapientiæ initium, & ad Deum introitum, & merito litteris aureis: nam & dictum aureum, auroq; pensandum. breue sed quod sine reliquis sufficit, quamuis reliqua sine hoc prosint parum. vnde etiam Delphicum oraculũ, Crœso regi inquirenti qua ratione felix foret, respondit: si teipsum noueris, vt habet Macrobius. Et apud Græcos se mutuo salutabant verbo σωφρόνει quod, vt explicat Plato, idem est quod sapiens sis, siue bonam det tibi Deus mentem & quasi γνῶθι σεαυτὸν, *nosce teipsum.* Primo occurri quasi optantes, vt opinor, ire ad Deum. Det nobis Dominus gratiam, vt in nos cum Prodigo reuertamur ac ibi nostri discamus scientiam, vt hoc limine a notitiam & amorem summi Dei ingrediamur. *Macrob. li. 1. in Scip. som. c. 9. Plato in Charmide.*

Qui

## II.

*Quis fuerit author dicti, γνῶθι σεαυτὸν, Nosce teipsum.*

CErte parui momenti iter esse non potest, reuerti in seipsum, cum illud ingrediendi consilium, γνῶθι σεαυτὸν, venerit ab alto.

Theologi enim Christiani dicunt à Deo nostro profectum; qui Adamo, paulo post creationem, in diuina schola (vbi homo Angelorũ erat condiscipulus) dixit, *puluis es & in puluerem reuerteris*. & paulo post, ante peccatum nimirum, cum vtrumq; sexum benedixit & pariter *vocauit nomen eorum Adam*, nam tum communi vtriusq; nomini, *Adam*, quod significat *terrigenas* (qu a illos ex argilla rubeoq; limo plasmauerat) præmonuit ipsos, quales nam essent, & pulcherrimam istam lectionem *nosce teipsum* præscripsit. ideo & Agapetus Diaconus hoc mandatum alicubi appellat θεῖον καὶ πρῶτον. quasi primum à Deo profectum, ipso mundi initio homine vix creato, vt sicut terra semper nostris obijcitur oculis, ita illud nunquam à memoria recederet. Appellauit non *Adamos* id est, *terrenos* quasi aperte dicere voluisset, recordare qui sis, & vnde, limus es, & lutum, ac ideo *Adamos* aut *terrigenas* vos appello. terra, cuius dorsum vos sustentat, nomen vestrum vobis suggerat, & nomen quod vobis impono commonefaciat vos terræ, de qua formati estis; nomen deniq;, & terra pariter humanitatem & humilitatem vobis subingerant, *Memento* (vir & vira) *quod sicut lutum fecerim te*. nomen *Adam*, aut *terrigena*, auribus vestris insonans, magnum intra vos agmen virtutum recolligat, vt tubæ militum suscitant animos, & campanæ Christianorum parochialem quemq; ad suam ecclesiam. Videtur etiam hanc lectionem Deus voluisse refricare Ieremiæ, cum eum duxit in domum figuli, ostendens quomodo figulus ex eadem argilla varia formet vasa, frangens, inficiens, reficiens, ad arbitrium. Ita hæc lectio primum ex Dei schola descendit, & tanquam diuina bene repetenda, inculcanda, perdiscenda,

*Genes. 3.*

*Vide Iose. li. 1. anti.*

*Iob.*

*Ierem. 18.*

discenda, retinendaq; est, ac in vsum deducenda i qui se discipulos ac Dei filios præferunt. Quantam a exteros eosque qui scripturis nostris non c edunt, nemo est qui non à magno eum deducat principio. Nonnulli enim istius generis & superstitionis, un plane fecerunt cœlestem. Iuuenalis inter cæteros ait. Poeta plenus mysterijs,

*Iuuenæ. Satyr. 11.*

——— *è cœlo descendit, γνῶθι σεαυτὸν,*
*Figendum, & memori tractandum pectore, siue coniugium quæras, vel sacri in parte Senatus*
*Esse velis.*

Clearches similiter huc videtur accedere, qui scribit aliquando vnum de 7. Sapientibus, quondam in celebratis (fuerit forte Chilon) interrogasse, qui hominibus esset optimũ. Sacerdos Pythia, aut Phanithea, aut Phæmonoe (eodem redit quomodo appellentur) respondit *seipsum nosse.* Si qui forte inter veteres Paganos minus magnifice, quam iam memorati, de dicti huius origine sentiant; nemo tamen est qui illud non à maximis saltem cogitet descendisse, quamuis de authore non consentiant: quidam enim Chiloni Philosopho Lacedęmonio tribuunt, vt Plinius; Alij Soloni Salaminio, Alij Bianti Priæneo. *Deus bone*, qui homines, si homines appellãdi magnæ istæ animæ. omnes tres ex sacro 7. sapientum numero. Bias princeps Priænæ, homo nihil suum æstimans præter scientiam, prudentiã, ac virtutes, reliqua lusum pilamq; fortunæ: homo Iesu Christi apostolatu idoneus, si in illa tempora fuisset reseruatus, ob celebrem illam, quam dixit in vrbis excidio sententiam, exportantibus singulis & baiulantibus quæ possent, ipse nihil efferens, *Omnia inquiebat mea mecum porto.* Solon legislator Athenienſium, populi omnium sapientissimi, legislator legum. adeo æquarum & iustarum, vt per illas maximam & populi, & Senatus, iniret gratiã, & dissidia motusq; , qui emedicabili odio inter ipsos videbantur glisscere, eisdem componeret. Solon dico, qui Crœso pulcherrimum illud dogma dedit quo postmodum vitam seruauit, cum videlicet Cyrus captum & rogo impositum statuisset exurere. Dici-

*Plini. lib. 7. cap. 12.*

*Sidon. Ap. Cicer. in Parad.*

*Dicique beatus ante obitum nemo supremaque funera debet.* *Ouid. lib. Metam.*

Chilon tantus vir, atque à suis amatus, vt cum audita filij in Olympicis certaminib. victoria gaudio, extingueretur, tota eum deploratit ac sepelierit Græcia. Sit, horum trium quicunque huius dicti author, *Nosce teipsum*: nonne equidem plurimum authore suo commendabitur, etsi cœlitus ac immediate à Deo non descenderit.

*Primus discendi ardor est nobilitas magistri*, dicit S. Ambrosius: Porphyrius Christianus apostata, medium videtur seruare diuinam, humanamque ei assignans originem, *à quocunque sapiente hoc dictum sit, aut à Deo profectum, aut non sine diuina inspiratione.* Loquens in eo conformiter S. Ambrosius: *Veritas à quocunque dicatur, est à Spiritu Sancto.* *D. Ambr.* *Stobæus.*

Malim simpliciter dicere, à Deo venisse. Docente humaniter, primos homines, aut de cœlo delapsum, formata in æthere voce (quod de decalogo putat Philo, ad illud Exodi: *Populus videbat voces*) aut perscriptum. Hæc igitur tam nobilis, breuis, sed neruosæ lectionis origo, stimulare nos debet, vt eam perdiscamus & perficiamus, vt noster facit hodie Prodigus in se reuersus. *Phil. Iud.*

## III.

### *Quantum commodi adferat hoc dictum deductum ad opus.*

SEd heu! vnica hæc lectio minime recepta, minime præsens nobis, minus etiam quam aliæ humanæ; *Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt*; omnes sciunt omnia, & singuli aliquid, pauciſſimi seipsos. *Hugo lib. 1. de an. c. 9.*

In sui ipsius notitia omnes cum Socrate dicere possunt, *vnum scio, quod nihil scio*, mei scilicet ipsius, & in hoc solum libro rudis totus, ac Schyta imperitior sum. *Delicta quis intelligit.* Astrologiam rem longe à nostris sensibus amotam, quidam non minus se callere putant, quam Albunazar: *numerant multitudi-* *Psalm.* *Psalm.*

*nem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocant.* ita eos dignoſcentes, vt venator canes, vt Dux militum agminumque præfectos. In herbarijs, in ſimpliciumſcientia Plinium, excellunt & Dioſcoridem, in Medicis, Hippocrates, Galenos, Paracelſos, quaſi vilia intuſe deſpiciunt mancipia, ſed in ſui notitia, eheu nihil verſatiores quam Arcadij aſini.

Et totum mundum noſſe, ac ab eodem cognoſci, plenum eſſe mundi mundanorumque ſcientia, nihil nos iuuat ſine *ſcientia ſanctorum*, quam habuerunt Sancti, ſi viuamus & moriamur ignoti nobis & Deo, *neſcio vos*, ſed, *ignorans* (ſui & Dei) *ignorabitur.*

Sen. in Thyeſte act. 2. in fin.] *Illi mors grauis incubat*
*Qui notus nimis omnibus,*
*Ignotus moritur ſibi.*

Cant. 1.] *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere.*

Contra nihil ſcire, & ſeipſum noſſe, infinita mihi videtur adferre commoda. quid enim non poterit notitia animæ, cum & corporis eiuſque qualitatum & temperamenti cognitio, proſit quamplurimum. Antiquus ille Philoſophus, qui diſcipulos ſuos ſpecula iubebat circumferre, vt inſpicientes ſeipſos corporis pulchritudinem, animæ vitijs ac turpitudine non deformarent, aut ſi næuum aliquem deprehendiſſent, eum ſupplere ſtuderent, & exornare virtutibus, vidit, quanti momenti ſit etiam externa ſolum ſui notitia. Similiter & Seneca Stoicus Præceptor Neronis, diſcipulus S. Pauli.

Seneca lib. 1. nat. quæſt. c. 17.] *Inuenta ſunt ſpecula, vt homo ipſe ſe noſceret. Multa ex hoc conſecuta: primo ſui notitia: deinde, & ad quædam conſilium; formoſus vt vitaret infamiam; deformis vt ſciret remedium eſſe virtutibus, quicquid corpori deeſſet; iuuenis vt flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi, & fortia* audendi: *ſenex vt indecora* canis deponeret, *& de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit, noſmetipſos videndi, fons cuique perlucidus, aut leue ſaxum imaginem reddit.*

* al. *audiendi.*
* al. *carnis.*

Nupe

*Nuper me in littore vidi,*
*Cum placidum ventis staret mare.*

Plato in Alcibiade priore docet:] *Nullum clarius, nec oculo ipsum se videre volenti, speculum commodius reperiri, quam sit alterius hominis oculus.*

O optimum & sanctum speculorum vsum, modo nos Christiani essemus, ac veri Philosophi, nihil enim nos latebit, quod in nostri cognitionem nos inducat. Summus Deus, maximus ille Chimicus, artificiosissime ex malis nouit elicere bona, ideo videtur detractores, oblocutores, murmuratores, inter nos permittere, qui nos delineent ac depingant linguarum suarum penicillis, sæpe magis graphice & ad vivum, quam Apelles per suos, Alexandrum, quos homines Philippus Macedonum rex, ductores suos appellare consueuit, idque quam optime. Dum enim illi de actionib. ipsius censent, discebat vbi deflexisset, & quid corrigeret. Non enim omnes æque acutum vident, vt Ieremias inopiam & defectus suos. *Ego vir, videns paupertatem meam*, dicit: non omnibus ita aperiuntur oculi, vt primis parentibus, qui ilico nuditatem & indecentiam suam viderunt: *aperti sunt oculi amborum; cumq; cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* *Thren. 3.* *Genes. 3.* *Psal. 50.*

Non omnes cum Dauide dicere possunt, *quoniam iniquitatem meam ego cognosco*; expedit sæpe, vt aliquem habeamus obtrectatorem, (si neminem habeamus adeo libere familiarem, qui nos candide moneat) vt constet vbi, quoties, quomodo cadamus, qui nobis hoc satyrici aliquando occinat: *Tecum habita & noris, quam sit tibi curta supellex.* aut paruos quosdam scripturæ equuleos, *visitans speciem tuam non peccabis.* *Pers. sax. 1.* *Iob.*

Certe nisi res magni esset impendij, seipsum nosse, nunquam hoc pro magno beneficio habuisset S. Augustinus, quod redux sibi restitueretur.

D. August. lib. 7. confes.] *Admonitus sum redire ad memetipsum, & intraui intima mea, te duce Domine Deus, & potui intrare, quoniam factus es adiutor meus.*

Et

*Catullus.* Et Poeta quidam gentilis, non oraret tanquam rem magnam falsos suos Deos, *reddite me mihi*: S. noster Franciscus Seraphin incarnatus, aut homoseraphicus, Deus bonæ, quam cupide, quam ardenter duplex hoc ingeminabat votum; *nouerim me, nouerim te.*

*Incerti autho.* *Christe sciant quacunq; alij: mihi sufficit æqua*
*Cognitioq; mei, cognitioq; tui.*

Petens duas scientias, æque necessarias, adeoq; affines, vt altera alteram adducat, cognitionem scilicet sui & Dei. *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* *Psal.* 138.

Agapetus Diaconus in tabella regia ad Iustinianum Imperat.] *Cum homo didicit, nosse seipsum, tum assecutus est scientiam diuinam & præcipuam; qui enim se nouit, Deum etiam nouit.*

Nihil enim Deo similius quam homo, signatus Dei imagine.

*Psal.* 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

*Matth.* *Cuius est imago hæc & superscriptio? dicunt ei Cæsaris.*

Homo nihil est quam creatus quidam Deus, & plasma formatum ad formam Deitatis. *Ego dixi, Dii estis, & filij excelsi omnes*, inquit Regius Propheta, vnde per cognitionem sui ascenditur ad Deum. *Psalm.*

Cassianus super illud Psal. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.] *Magnus accessus ad Deum est, cognitio infirmitatis suæ.* Dimidium scilicet viæ: nam se nosse, summa scientiarum est, sicut & homo summa quasi & compendium creaturarum. Demonax quidam interrogatus, quando philosophari incepisset, respondit cum me cœpi nosse. Diuinus Plato dicere non dubitauit sui notitiam, absolutam & solidam esse scientiam, & ab hoc præcepto, *nosce teipsum*, omnem vitæ sapientiam & iustitiam pendere, ac alibi docuit, impossibile esse prudentem, bonum, felicem fieri, nisi qui se primum cognouerit. Alibi etiam, ignorantiam sui radicem appellat mali, aut potius *vniuersitatem iniquitatis*: & Xenophon Platone antiquior, dicit eos qui se ipsos nesciunt, nec sui nec familiæ

*Stob. ser.* 19.

*Plato in amatorib.*

*Idem in Alc. biade.*

*Idem in Philabo.*

*Xenoph. lib.* 4. *de dict. & fact. Socrat.*

miliæ regendæ idoneos, multo minus Reipublicæ. Quid? S. Bernardus altius etiam & vlterius quam ad hanc vitam prospiciens dicit.

D. Bernard. ser. 37. in Cant. ] *Scio neminem absque sui cognitione salutari, de qua nimirum mater salutis humilitas oritur, & timor Domini, qui & ipse vti initium sapientiæ, ita & salutis est.*

Ego equidem nihil puto posse dici homini probrosius, quam quod seipsum non agnoscat. Occurrit mihi ad hanc rem, quod aliquando R. & Sanctus Pater frater Iacobus Escaillette, cum pro Guardiani quod habebat, officio in capitulo pleno iuniorem quendam religiosum argueret, dixit inter alia, *Charissime non nosti te*, nihilque religioso illi cecidit ægrius, nihil intolerabilius quam verbula ista, *non nosti te*, perinde enim est, ac si obijcias omnia. *Dixeris maledicta cuncta, cum ingratum & sui ignarum, ac oblitum dixeris.*

CON-

# CONCIO QVARTA.

*Græca.* 7. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν εἶπε.
*Vulgata.* 7. *In se autem reuersus, dixit.*
*Syriaca.* 7. *Quumq; ad se redijsset, ait.*

## ARGVMENTVM.

*Docebimus*
1. *Proprium esse impiorum ignorare se, & quam hoc inconueniens.*
2. *Quantum nostri ignorantia nobis adferat mali.*
3. *Qui eius vitij effectus.*

## AVE MARIA.

### I.

*Proprium esse impiorum ignorare se, & quam hoc inconueniens.*

PRoprium est impijs nunquam apud se ac domi esse, sed oberrare semper, & alienas obseruare actiones. *Egrediamur foras*, dicit Cain fratri: *circuiui terram, & perambulaui eam*, respondit Satan Deo quærenti, vnde veniret. *In circuitu impij ambulant*, quasi in gyrum vt religiosi mali, qui post Deum & Ecclesiam nihil petius oderunt, quam cellas, & semper monasteria percursant, sæpe etiam extra monasteria circumuagantes, ambulones, gyrouagi, euntes, redeuntes, instar Eurypi per medium mundum, nomine, inquit, Sanctus Benedictus, extra mundum, reuera autem totum intra animam mundum circumferunt, corpore à mundo sequestrati, anima in rebus mundanis & externis demersi: *Mali vbique sunt, præterquam secum*, dicit Seneca. Boni autem nihil recessu habent charius, vt secum

*D. Bened. init. reg.*

cum habitent, id est, vt seipsos cognoscant, *intus & in cute*, animam & corpus. Prudens erat Iacob, de quo legitur, *habitabat in tabernaculis*, & opprobrium Esau, quod foris occupatus deditus erat venationibus, Nemrod tyrannus, *robustus venator* appellatur: & impios Sanctus Iacobus, *sidera* nuncupat *errantia*. Ah, quot inter nos sunt, (charissimi) quis enim nostrum bene in se reuertitur, studiosior vt secum habitet, & vt seipsum pernoscat, quam vt alios visitet, ac de alijs rumores ac fabellas captet? quis nostrum non magis res vicini, quam suas curat? *Genes.*

Pers. sat. 4.] *Vt nemo in sese tentat descendere nemo.*
*Sed* præcedentis spectatur mantica tergo:* *al *præcedenti.*

Quam multis illud Horatianum posset obijci, quod in suis cæcutientes in alienis vitijs aquilas, draconesque acie superent, qui ob perspicaciam dracones dicti sunt, nam δρακεῖν græce cernere est.

Horatius lib. 1. Satyr. 3.] *Cum tua peruideas oculis, mala lippus inunctis,*
*Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum,*
*Quam aut Aquila, aut serpens Epidaurius?*

Deeo etiam ipsissima dulcedo Christus Iesus quasi amaricatus irascitur, quod inueniantur, qui in fratris oculo festucam videant, trabem in suo non sentiant.

Math. 7.] *Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?*

Imo sane impij vere Æsopici illi sunt manticarij, qui semper aliena vitia in id, quod ante inijciunt manticæ, vt ea inspiciant semper, sua autem in tergum reijciunt, atque obliuiscuntur. Horrent credo etiam, actionesque suas, vt spectaculum inficetum, & quia animæ & conscientiæ ipsorum vitijs scatent, interiora sua metuunt, *terribiles visu facies, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Si enim corporalibus oculis aspectarentur peccata, ea esset species, adeo tetra, & horrida, atque abominabilis, vt nihil æque. Virtus autem pulcherrima & speciosissima, atque ideo recte *Psal.*

Plutar-

Plutarchus tom.2. mor.tract.de curic frate.] *Quidam suam ipsorum vitam, tanquam iucundissimum spectaculum inspicere, ac rationem velut lumen in se reflectere non sustinent, quippe anima omnigenum vitiorum plena horrens, & metuens ea quæ intus sunt, exsilit foras, & vagatur circum aliena, pascens & saginans suam vanitatem.*

Hinc etiam mihi videtur procedere in pœnitentia: quod nimirum peccata dissimulemus nostra, ac semper aliorum mala adspiciamus exempla, aut vt peiora audeamus, aut vt nostra tanquam minora excusemus, tanquam socios habentes malitiæ. specialim tamen, quia nostra peccata non dignoscimus. Non solet enim quæri Medicus, nisi morbo aut vulnere prodito: sic nec pœnitentiæ remedia petimus, si nos peccatores miserosque ignoremus. *Non est opus sanis medicus, sed malehabentibus*, dicit Dominus. Cum homines peccata sua non agnoscunt, Pœnitentiarij in bono sunt otio, ac licet illis remissis curis, ire ambulatum, aut bonos inuisum amicos.

Senec. Epist. 28. ad Lucil.] *Initium salutis est, notitia peccati, nam qui peccare se nescit, corrigi non vult.*

Ideo nonnulli definiunt pœnitentiam esse, *reditum ad se, & per se ad Deum.* Ideoque & S. Ambros. super illud Rom. 2. *An ignoras, quod benignitas Dei, &c.* dicit: *grauissimum est peccare ex ignorantia*; quam sententiam limitat noster Bonauentura, hoc non dici respectu culpæ, quasi nullum peccatum illo grauius sit, sed propter periculi respectum: quando enim homo morbum suum non sentit, quomodo quæso indagabit remedia, omnino enim ea recusat, tanquam superflua, si forte quis illi offerat, qui sanus est, inquit, non indiget medicis, sed æger. Ideo sapientissime, sicut semper S Augustinus de se: *periculosissime peccabam, cum me peccare ignorabam*, vt ægritudines corporum pessimę sunt, quæ à sensuum priuatione incipiunt, vt Lethargus, Phrenesis, Epilepsia, Apoplexia, & Febres ardentes, quarum calores vsq; ad insaniam crescunt, & mentem ægrientibus eripiunt (tunc enim

*Bona. in 2. Sent. dist. 22. art. 3.*

*Vide Hieron. ab Augusto lib. moral. c. 6. §. Conditio minuens voluntariũ pag. 65.*

enim infirmus nec dolorem sentit capitis, nec corporis, sed hilaris inter media ridet mala, risum tamen Sardonicum & lethalem) & (vt aiunt) vulnera capitis plus habere periculi quia minus molestiæ, ac doloris; ac de talibus facile dicitur, *vulnerarunt me & non sensi, adamantem, non me tutuderunt*, & vt stultula illa Senecæ male flagitat, vt visus sibi restituatur, quia ipsius nihil videre in domo, non erat ab interna causa, ac oculorum vitio, sed ab externa tenebrisque domum obsidentibus. sic delinquit grauius & incurabilius qui offendens, se offendere non existimat: Ecce cur iuxta Plutarchum optent medici ante omnia, ægrum morbo nullo antea fuisse tactum, secundo vt morbum quem habet, saltem morbum esse sciat; notitiam enim hanc magnum iudicant ad sanitatem adiumentum; & phrenetici recuperare valetudinem incipiunt, cum membrorum luxationes, delocationes, exarticulationesque sentire incipiunt: ac in putri & intermortua carne extremum, est vbi vulneratus nouaculas, puncturas, & cauteria sentire incipit, & energiam vrentis emplastri: sic etiam optabile est ante omnia nunquam peccare. Cum autem quis in peccatum inciderit (vt sumus omnes fragiles & in lubrico) peccatum suum non ignorare, sed dicere cum Dauide, *quoniam iniquitatem meam ego cognosco*, quia nimirum anima in pessimo est statu, quæ ignorat quo loco sit; existimans enim omnia salua, remedia pœnitentiæ non curat magis quam Ionas dormiens naufragij periculum qui solus inter reliquorum angores Deum pro tranquillitate non orabat, nec de tabula cogitabat qua euaderet. *potes hoc sub casu dulce somnos?* Epictetus sapiens mancipium, (si philosophus, mancipium esse potest) *calcari enim non potest nisi inferior, sed inferior non est, qui quamuis corpore multa sustineat, corde tamen fixus in cœlo est.* dicit S. Augustinus, & S. Hieronymus (de Platone loquens in seruitutem diuendito, *Maior ementé se fuit*) optime hoc intellexit, dixit enim

*Vide Solinum de risu Sardonico.*

*Plut. tom. 1. moral. de morbis animæ.*

*Virg. li. 4. Æneid.*

*Aug. lib. 1. de ser. Do. in monte cap. 6.*

*Hieron. ad Paulin. de omn. diu.*

Epictetus Enchrid. p. 3. c. 35.] *Si vis bonus esse, primum tibi ipsi persuade, quod malus es.*

Senec. in Hyppolito] *Pars sanitatis, velle sanari fuit.*

Senec. ad Lucil.] *Et hoc ipsum, argumentum animi translati est, quod vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt. Quibusdam ægris gratulamur, cum seipsos gros esse senserint.* Quantum puellis curiosis sua prosint specula ad exstergendas faciei maculas, ad depingendos nævos, ad struendum sparsum fusumq; capillitium, ad poliendos dentes non satis albicantes, aut socia quædam de sua forma ac decore sollicita, quæ quicquid dedecet admoneat; tantum valet peccatori cognitio sui per se: aut vitium alienum, ad emendationem, quis ignorat S Monicam S. Augustini matrem, quia semel in pueritia à Magistra sua sibi obiectum audierat, *non Biberia aut Bibiana sed mera Bibula*, postmodum laudabili despectu sollicitissime contendisse ad temperantiam.

*Tyberius aliquando dictus biberius.*

## II.

### *Quantum mali adferat nobis nostri ignoratio.*

AFfirmare ausim nullatenus possibile esse, contritionem aut attritionem concipere, & bene de peccatis dolere, minus etiam ea bene confiteri, ac bene satisfacere (quomodo igitur saluari) sine hoc in seipsum reditu. *Quanto quis minus se videt, tanto minus sibi displicet*, inquit S. Gregorius. Ostendamus exemplo familiari & domestico. vnde patre aut matre mortuo superstites sex septem orphani non æqualiter lugent, sed vnus quidem patris funus cum modica deducit tristitia, alter illachrymat, ingemiscit, suspirat ac vix in interrupta erumpit verba, torquet manus, vellit crines, plangit tunditq; pectus, affligit se siti ac inedia, nec vllam admittit consolationem, alter triennis forte aut quadriennis, ridet sub lugubri pileo, corpusq; prosequitur: vnde hæc de eadem re, tam diuersa affectio? Cognitionis diuersi-

*Greg. lib. Moral.*

tas,

tas, affectionum morumq; hanc elicit diuersitatem. Paruulus ridet saltatq; , & gaudet feralibus epulis, ignorans quantum in matre perdiderit, Senior in lachrymas diffluit, quia iacturæ suæ nouit magnitudinem, quia subito se destitutum videt necessaria parentum opera, ad matrimonia, ad honores, ad rem augendam familiarem, ad pacem domesticam. Sic etiam Magdalena ad pedes Domini se abiecit, quos calentibus rigauit lauitq; lachrymis, siccauit & tersit capillis. Alia autem etsi ipsi similis, nihil facit simile, sed ridet illam tanquam scrupulosam nimis, ac superstitiosam. vnde hæc diuersitas! inde scilicet quod Magdalena in se reuersa, sui acceperit notitiam, quod considerauerit transactam sibi vitam adeo turpiter, vt iam toti mundo in ore esset, ac pueri etiam inclamarent monstrarentq; digitis, quæ iam aliud non habebat nomen quam *mulier in ciuitate peccatrix*, communis omnibus. Alia vero, nunquam in se reuersa, nec quid, nec quantum fecerit agnoscit. vt amor notitiam præsupponit, sic odium & detestatio peccati intelligentiam eius, & qualitates & quantitatem, *Recogitabo tibi omnes annos meos*. Primum, & cum me inspexero soluar in lachrymas, *in amaritudine anima*. *Isai.38.*

Sed quæ auricularis confessio sine recollectione angulari. Ingredere in te, recolligete, & totum te ibi videbis. *Rem bene præuisam verba haud inuita sequentur*. Peccata bene in memoriam reuocata, ac recognita, de ore in aurem sacerdotis ita commode defluent, vt nihil opus sit nisi aperire buccas. Et qualis satisfactio? nonne ad soluenda debita ea oportet præcognoscere, nonne rationum libri & tenendi & lustrandi sunt sæpe, nostis id melius mercatores quam nos cordigeri, quibus quia nihil est, & parũ creditur, registris ac rationum libris, ad computanda debita, non agemus. & obsecro, dicite mihi? vnde tam pauci vere intus humilientur, nisi quia intra se reuerti dedignantur, ac in proprias imperfectiones, cum nostro Prodigo, semel cõijcere obtutũ? *Nemo in se tentat descendere, nemo*. O si cum modica saltẽ patientia, attente *Horat. in arte.*

horrendam illam Caci ſpeluncam ſemel inſpicia-
mus, & defectus proprios obſeruemus, ſicut nos a-
lienos, ac alij noſtros, neminem credo adeo fore
impauidum, adeo imperterritum qui non grauis
percellatur terrore, ſeipſum aduertens; vmbra-
que ſuam, qui non vndique ſtatim ſe cruce ob-
ſignet, contra ſpectra illa quæ in propria inuenta
conſcientia, qui non grauius ſeipſum increpare
quam vllus alius, quod ipſa iam factus monſtroſior
Africa, portentis totum ſe repleuerit; libentiſſime
nos alienis ſubmitteremus pedibus, & certaremus
omnes ſuperare humilitate, *honore inuicem præuenientes.* Si nos cognoſceremus, tales, tantillos, tam
nequam, quam ſumus, vndiq; me circumſtant an-
ſtiæ dicit S. Anſelmus.

D. Anſelmus in meditationibus.] *Omnis grauis an-
guſtia, ſi me inſpicio, non tolero meipſum? ſi non inſpicio,
neſcio me ipſum, ſi me conſidero, terret me facies mea; ſi
me non conſidero, fallit me damnatio mea. Si me video,
horror eſt intolerabilis: ſi non video mors ineuitabilis.*

D. Greg. lib. 23. moral.] *Quatuor ſunt qualitates,
quibus iuſti viri animæ * in compunctione vehementer
afficitur, cum aut malorum ſuorum reminiſcitur, conſi-
derans,* vbi Fuit; *aut iudiciorum Dei ſententiam metu-
ens, & ſecum quærens deſiderat,* vbi Erit; *aut, cum mala
vitæ præſentis attendens ſolerter mœrens conſiderat,* vbi
Eſt; *aut quam bona ſuperna patriæ contemplatur, qua
quia necdum conſpicit* vbi non Eſt. Et cur adeo pro-
funde humiliauit ſe Propheta Dauid ſacco dor-
ſum, cinere caput afflixit &c. niſi quia cum noſtro
Prodigo in ſe reuerſus vitæ ſuæ decurſum habuit ob
oculos. *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, &
peccatum meum contra me eſt ſemper.* Quare ita eru-
buerunt Rex manaſſes, & Publicanus, vt nec oculos
ad cœlum auderent leuare? Quare Magdalena,
prius adeo effrons, vt nec linguas, nec digitos mon-
ſtrantium quicquam curaret, nec meretricij quæſtus
infamiam, nec peccatricis in vrbe nomen, ſed *from
meretricis facta erat ei, noluit erubeſcere,* adeo tandem

euaſe

* (in) *ſuperf. ſen-ſu meo.*

*Pſal. 50. Luc. 18.*

euaserit verecunda, vt volens accedere, & osculari sacros magni Papæ Christi Iesu pedes, & in forma iubilæi, plenariam peccatorum suorum obtinere indulgentiam? Non aliunde quam *retrosecus pedes eius* se ausa fuit prosternere, quantum erubuit aspectum eius, indignam se iudicans quæ aspiceret Maiestatem eius, in quem Angeli desiderant prospicere, quem toties offenderat: vnde inquam hæc nisi ex attenta peccatorum consideratione, quam quisque eorum habuit, in se reuersus. Magdalena inquit Gregorius considerans præterita modum nullum seruauit pœnitentiæ.

Gregor. hom. 33. in Euang.] *Considerauit Magdalena quod fecit & noluit moderari quid faceret, quia semetipsam grauiter erubescebat intus; nihil esse credidit quod verecundaretur foris.* Bene bene in se antea fuerat reuersa; antequam tam pulchri reditus daret specimen ac ibi perceperat (sicut in horrida magni latronis Caci cauerna capita, brachia, pedes, ossa dilaniatorum, hinc inde sparsa) tantam rei domesticæ confusionem chaos nimirum suæ conscientiæ, *vbi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat*, quod nunquam potest spiritus, non in se reuersus. *Effusus animus damna interiora non sentit, quia nec intus est.* Iob

Dicit magnus iste S. Bernardus, Basiliscum ait (ni fallor Plinius) occidere quem aspexerit, ipse etiam moritur si viderit seipsum adeo tetrum ac execrabilem. Paui etiã qui alioquin adeo superbe cristas caudasque erigunt, si oculum coniecerint in pennas tam pulchrè pictas, ac variegatas, quæ iridem æmulentur, alas demittunt ac omnem tam speciosum reconditapparatũ, quem cum tanto fastu longe lateque nundinãt, quam primum inquã in aridos deformesq; oculũ fixerint pedes. Eodẽ modo, opinor nos qui nobis tantopere placemus adeo superbi, adeo philantia morbidi, communi morbo, quia nimirũ nimium speciẽ nostram respicimus pictum quasi auratumq; dorsum, quod aut virtus aliqua est, aut bonum nomen, vt vana aliqua quam præferimus larua, viuentes sæpe *si*

*D. Bern. in quibusdam dictis: Plin. lib. 8. cap. 21.*

*non caste, saltem caute*, non respicientes intus veritatē nec reales deformitates, *famæ quam conscientiæ studiosiores*, si nos ipsos expanderemus ad veritatem, a nudos videremus, animæ nostræ horrores; concideremus mortui tædio, aut saltem egregie nostram submitteremus loquacitatem; vt pauo pennas, & vemremus philautiam nostram, in nostri displicentiam.

Seneca lib. 1. de ira] *Innocentem se quisq; dicit, respiciens testem, non conscientiam.*

Quid? qui nunquam in se reuertitur: potesne vnquam diuinis refici inspirationibus? meo quidē iudicio nihilo magis, quā qui foris deambulat audire atq; aperire potest domū suam pulsanti pulsat Deus, charissimi, pulsat, vnūquemq; sæpe, *ego sto ad ostium & pulso*, dicit in Apoca. *ecce ipse stat respiciens per cancellos, prospiciens per fenestras; pleni cincinni eius guttis noctium.*

Apoc. 3.

Clamat dicitq;, *aperi mihi soror mea sponsa* in Salomonis cāticis. *Zachæe*, inquit S. Lucas, *festinans descende, quia in domo tua oportet me manere. & si quis audierit vocē meam & aperuerit mihi ianuam introibo ad illū & cœnabo cū illo & ipse mecū*, implens eam benedictionibus. O fœlices cœnas Dei cū creaturis quibus durātibus hospites suos colloquijs ac suauissimis cōfabulationibus detinet, *loquar ad cor Ierusalē* quæ libens sc. audiat. *Audiā quid loquatur in me Dominus quoniā loquetur pacē in plebem suā: alterū suæ mansionis claritate nobilitat*, summa qui cunq; eum hospitio exceperunt, ampliſſimā habuerunt occasionē gaudendi de benedictionibus ipsius, centuplo magis quam Obededom ob Arcā testamenti domo exceptā, *sciebat enim hospitii sui vberem esse mercedem*, inquit S. Ambrosius: nulla ratio, quod de iure hospitalitatis vnquā conquerāmur ab ipso violato: sed heu! nec intrat, nec benedictionē suā infert, quia ianuā ipsi nō pādimus, pādere autē nō possimus, quia pulsantē nō audimus, audire non possumus, quia semper foris hæremus. Quomodo quæso audire & aperire pōt qui necdū est, *in se reuersus*, qui nō est intus tanquam fidelis minister, nec attēdit, ad reditū, & pulsum magistri, *vt cōfestim aperiat ei*, qui nō est qualis iunior Samuel qui ter vna no-

Luc. 3.

Apoc. 3.

D. Amb. lib. 8 in Lucam.

Ibidem.

ctevocatus, ter surrexit, cũ vocẽ Dei audiret putans se audire vocẽ magistri sui Heli dicẽs semper, *ecce adsum*, quomodo dicet cũ Iob *vocabis me & ego respõdebo tibi*: si semper extra propriã versetur conscientiã. *In se autẽ reuersus* respõdebit; *in se reuersus* aperiet; *in se reuersus*, cũ Deo cœnabit; *in se reuersus* de cõsolatione interna gaudebit; absentes largitionib⁹ ac præbitionibus istis priuabuntur. Sicut S. Tho. cũ apud se suoq; loco non esset, cũ venit Christus post resurrectionẽ exhibens se Apostolorũ collegio, en frustratus est dulcissima magistri sui salutatione, *Pax vobis*. fraudatus aspectu vulnerũ, exclusus dulcissimo colloquio, ac lætissimo testimonio resurrectionis, sic qui nec apud se est, nec *in se reuersus*, semper foris in plateis, in foro, in ludo, castella fabricãs in Hispania, non põt absens peregre audire & aperire Deo se offerẽti, pulsanti, semel, iterũ, sed iuste Dei visitatione ac consolatione priuatur. O quantũ vnius absentiæ damnũ, quãta iactura! sicut æger & famelicus magnã facerẽt iniuriã domo se efferẽtes, quãdo aut medicus visitatũ venit, aut diues opplet o panibus liberaliter sinu (vt aliquando matrona nobilis familiæ Lalaings gloriose fecit, vt ex equestris viri vidua eiusdem familiæ intellexi, id etiam occasionẽ dedisse insignibus) vt eã ad saturitatẽ reficiat: sic & nos infinitũ nobis accersimus damnũ, tã sæpe, tã longe deserentes nos ipsos, nostramq; conscientiã: quia quãdo Deus venit nos inuisum domi neminẽ reperit. Quod est, ac si B. Virg. orbata fuisset tanto incarnationis Dei beneficio, perdẽs & Virginis & Matris Dei honorẽ & cũ Deo patre quasi commaternitatem sanctitatis & donorũ. S Spiritus cõmerciũ, quia videlicet nõ foret inuenta in suo conclaui illo tẽpore, quo Angelus ad ipsam legatus missus est. Quã res illa fuisset deplorãda tanto caruisse bono, propter intempestiuã absentiam, sic & nobis flebilis iactura est cũ idẽ nobis accidit, quia in nos non reuertimur, imo & flebilius. nam *plus est concipere Deum mente quam ventre*.

Custodienda nobis domus est, occludẽda vectibus cõtra latrones mortẽq; qui semper quinq; sensuũ fenestris insidiãtur, tãquã liberis in corpus nostrũ aditi-

bus, irrepuntq; nisi aduigilet præsidium. *Væ soli, q soli ciuitas parua est, pauci in ea viri incustodite diripiu tur oues.* Si ipse ibi non habitas crede (sicut Natur nihil patitur vacuum, nec Deus corpus inhabitare anime) diaboli qui domos amant vacuas, deser male dispositas terras inuadunt neglectas tanqua suas, cum legionibus ad te intrabunt, *inuenit domu vacuam & adducit septem spiritus nequiores se.*

Ioan. 13.] *Introiuit in eum* (Iudam) *Satanas* quia nimirum vagus extra se diuertebat.

Thren. 1.] *Domus nostræ versæ ad extraneos.*

Abdiæ d.] *Extranei ingrediebantur portas eius.*

Quomodo deniq; in tuto potest esse anima, extr munitiones, eodem plane modo vt miles extra castr ouis extra caulas, ciuis tẽpore belli extra mœnia, a pores tempore venationis extra latebras, quid enim nostra vita, nisi militia? quicquid extra nos est inimicum est, saltus, foueæ, insidiæ; expendite quod S. Antonius totum mundum aliquando viderit, laqueis plenum, & scripturæ creaturas dicant esse *in decipulu.* felix qui *in se reuersus* apud se manet. Intra munitiones igitur, intra aggerem, intra mœnia, recessus ac receptus securitatis, ne deteriora inueniamus si mors extra nos alicubi nos interceperit.

D. Bernard. in quibusdam sententijs] *Quisquis ante obitum carnis non redierit ad seipsum, in seipso maneat necesse est in æternum. Sed in quali seipso? qualem se fecerit in hac vita, talem inuenit exiens ab hac vita.* Sed quid dico? amplius etiam affirmare ausim, impossibile esse vt sine nostri cognitione nos ipsos amemus, & curemus bene, proinde neq; proximos: cura enim ex amore surgit, amor ex cognitione, & iuxta claritatem notitiæ, amoris curæq; magnitudo crescit. Ostendo id ipsum. vnde Deus infinite seipsum amat, nisi quia infinite seipsum cognoscit? & inter beatos qui Deum amant maxime, nisi qui norunt optime? & nos miseri homines cur ita frigide tepideq; amamus alter alterũ vt paucioribus etiam quam 30. denarijs cũ Iuda, pomo sicut Adã in paradiso, quisquilijs etiã & gratis prodamus

damus amicitiam? inde solum, quia parum nos mutuo pernouimus, quia velatos habemus oculos, quia vespertiliones ac noctuæ sumus, quæ solis fulgore perstringuntur. vt igitur recte te ames ac cures, teipsum noueris, necesse est, vt teipsum cognoscas, tibi intra te descendendum est. Narcissus adolescens, nunquam æque se amauit, atque cum in lucidissimo fonte reuerberatam sui aspexit speciem. ecce mala ex nostri ignorantia enata, si placet effecta etiam eius mecum percurrite, & iamiam absoluero.

## III.

### *Quæ effecta ignorantiam nostri consequantur.*

QVis ignorat hominem sui negligentem, nec vnquam reuertentem in se, mille curiosis, vanis, maiisque rebus occupari, vt aliena discat, & noscat vitia? Quare hoc? quia videlicet humanus intellectus sicut & stomachus otiari non possunt. Natura sua discendi cupidus est, sitiens veritatem & scientias, proprium ipsius obiectum. Si itaque veritatem ac notitiam tui, ei non ingeras, quæret aliquid aliunde; militibus ac deplumatis nobilibus simillimus, qui nihil præter gladium habent & pallium, & ex raptu fere viuunt, si hic pax est, aut induciæ, ad bella currunt Hungarica, aut alio, vt ibi omnia misceant, turbentque pacem Reipublicæ. sic & animus noster non detentus sui indagine, aliorsum statim erumpit, sua in dorsum reijcit, infirmitates delictaque aliorum circumfert in fronte ac pectore, ne vnquam recedant ab oculis (melius impleret illud, *erit vita tua ante oculos tuos pendens*, aut, *anima mea in manibus meis semper*) ac talis aliquando euadit, quales aiunt Feas ac Lamias quæ in suis cæcæ, nihil quid domi geratur, vident, perspicacissimæ tamen foris, vbi vident omnia acutissime. Acciditque illis iuxta Plutarchum, quod hominibus, quibus res domi turbatæ sunt, parumque commodæ, qui aut fumo, aut vxorum querimonijs, aut spectris laruisque exterriti, alia parte se efferunt, *Plutarch. tract. de Curiosit.*

vt suam ita transigant molestiam, ideoque optime S. Hieronymus, nec inconuenienter huic loco. *Semper aliquid operis facito, vt diabolus te occupatum inueniat*: alioquin enim te porrectis inueniens vacantem manibus, nimium interea tibi agglomerabit pessum. exerce te in tui notitia, vt diabolus videns te intentum, in vitas aliorum te non efferat.

*D. Hieron. ep. ad Rusticum de forma viuēdi tom. 1.*

Intellectus enim noster ex sui incuria ad aliorum translatus negotia, non ibi cessat, (conniuendum enim hoc forte nonnihil) sed vlterius progreditur, ad delationes, detractiones, murmura, dicteria & quo non? hinc iam suspiciones malæ, iudicia temeraria, & iam his, iam illis occupata garrulitas. nonne hoc est grauem esse proximo? qui autem seipsum cognoscit, dicet cum Seneca: quando mihi ridere lubet, aut stultum illudere, non ille mihi longe accersendus, sed ludo, rideoque me ipsum.

Hinc etiam impatientia enascitur contra Deum in aduersitatibus, contra proximum, quando iniuria, calumnia, ignominiaque aliqua tangimur. Quia nimirum iniuriam ac improperium æstimamus, quod alioqui iudicaremus esse æquissimum delictorum nostrorum præmium, si in nos reuersi, in vitæ nostræ cognitione bene essemus versati. diceremus, rebus non ex sententia succedentibus, quod Iosephi fratres, profecti in Ægyptum, *merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum*, aut, *quicquid patimur, peccata nostra meruerunt*. ingereremus nos molestijs & opprobrijs, totum ad illa aperiremus sinum, tanquam gemmas accepturi pretiosas, vt fecit aliquando Sanctus quidam ordinis Sancti Francisci.

*D. Hieron. Barth. Pisa. lib. Conformitatum.*

CON-

# CONCIO QVINTA.

7. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν εἶπε. *Graeca.*
7. *In se autem reuersus, dixit.* *Vulgata.*
7. *Quumq; ad se redijsset, ait.* *Syriaca.*

## ARGVMENTVM.

*Ostendemus hodie.*
1. *Quod ignorantia sui diuersimode noceat ignoranti.*
2. *Quod ignorare se noceat proximo.*
3. *Quod ignorare se noceat Deo.*

## AVE MARIA.

### I.

*Quod ignorantia sui diuersimode noceat ignoranti.*

NEmo nostrum ignorat (dilectissimi) mortalem hanc vitam nauibus esse similem, fluctuantibus intra duos cum pari periculo scopulos, scyllam scilicet & charybdim. Viuimus enim, vt aiunt, *inter ignominiam & bonam famam*, iter laudes & vituperia, inter hostes & amicos, inter assentatores & obtrectatores, itineri nostro æqualiter infestos: & quia natura nimium in nostri amorem propendemus, exultantes cum infantibus si pulchri, si boni, prædicemur; tristes, si fœdi, si deformes, si male instituti: manifestum est magnum nobis vtrimque instare infortunium, si aut laudemur, aut culpemur, vel in os, vel à tergo, vel palam, vel clanculam. Inflamur enim & intumescimus, dum ab ijs laudamur, qui nos non norunt, *intus & in cute*, deijcimur etiam & despondemus animum, dum contemnimos videmus ab aulicis & curialibus, qui nec salinum nostrum attingunt, & ignorant quo vtamur foco, cuiusue simus generis. Optimum ideo est seipsum nosse, vt inter duos scopulos tuto transeatur, & hoc ipsum prudenter admonuit, aut Cato, aut sapiens aliquis Catonisans.

Lib.

Lib. 1. Distich. vulgo Catonis] *Cum te aliquis laudat, iudex tuus esse memento.*

Persius] *Tecum habita, & noris, quam sit tibi curta supellex.*

*Plus alijs de te, quam tu tibi, credere noli.*

Ne nimium tibi pendeant aures ad panegyres laudesque tuas, quas aliena lingua quomodocunque tibi blaterat, vt Plautinæ isti meretriculæ, quæ (etsi falso) laudari malebat, quam iure redargui.

Plautus in Mostel. act. 1.] *Philematium mulier loquitur,*

*Equidem pol, vel falso tamen laudari multo malo.*

* verò. *Quam* vero culpari, aut alios meam speciem irridere.*

Ne inquam, in hisce exultes nimium, sed in ipsum redi, ad conscientiæ tuæ examen, ne vel extollaris, vel doleas nimium, quasi iniuria boni viri spoliatus præconio, & fraudatus eorum laudibus, ad quos facta tua nihil attinent.

Iuuenal. Sat. 1.] *Rubet auditor, cui frigida mens est, Criminibus; tacita sudant præcordia culpa.*

Idem Sat. 13.] *Se iudice nemo nocens absoluitur. Conscientia mille testes.*

Senec. Ep. 1. lib. 16.] *Coarguit illos conscientia, & ipsos sibi ostendit*

*Cur ego, si nequeo, ignoroq; Poeta salutor?*

*Fili, si te lactauerint (laudibus vanis) peccatores, ne adquiescas eis.*

*Metire te tuo pede.*

Quisque suo metiatur modulo, non alieno: suo se penset pondere, sua conscientia, non aura populari; quæ ea quæ foris sunt, videt, nihil quot intus in corde, sæpe etiam nec quod intra parietes, *vbi non raro Nerones, qui foris Catones*, iuxta illud, intus *Nero*, foris *Cato*. *Veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* non omnes agni quos lanę operiunt; nec omnes stulti, quorum habitus præfert stultitiam vanę laudes miseros ad nimiam subleuant fere complacentiam & arrogantiam.

Consternamur è contrario, ac plane in impatien-

tia

tiam decidimus, impetiti calumnijs, vituperijs, nec excepti, vt speraueramus. inde solum, quia non reuertimur in nos ipsos, nec bona à nobis exquirimus testimonia, ex perfecta nostri notitia; quæ si adsint, non difficulter expugnabimus impatientiam, hac aut simili ratione occurrentes calumniæ.

Virgil.] *Non sum adeo informis, nuper me in littore vidi,*

*Cum placidum ventis staret mare.*

Plautus in milite glorioso, act. 1.] *Mihi ego video, mihi ego sapio, mihi ego credo plurimum, me homo nemo deterruerit.*

Gen. 43.] *Non est in nostra conscientia, quis posuerit pecuniam in marsupijs nostris*, aiebant fratres falso accusati furti in Ægypto.

Heb. 13.] *Confidimus, quia bonam conscientiam habemus, in omnibus bene volentes conuersari.*

2. Cor. 2.] *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.*

Psalm.] *Iustus ab auditione mala non timebit.*

D. Bernard. lib 2. de consid. ad Eugenium.] *Perfecta cuique & absoluta excusatio, testimonium conscientiæ.*

Idem serm. 85. in Cant.] *Nihil hac luce clarius, nihil hoc gloriosius testimonio, cum veritas in mente fulget, & mens in veritate se videt.*

Cicero lib. 6. Ep. fam. A. Torquat.] *Conscientia rectæ voluntatis maxima est consolatio rerum incommodarum.*

Idem 2. Tusc.] *Nullum theatrum virtuti conscientia maius.*

Idem alicubi.] *Sufficere debet ad gloriam benefacti conscientia.*

Idem Orat. pro Milone] *Magna est vis conscientiæ in vtramque partem; vt neque timeant, qui nihil commiserint; & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.*

Senec. Ep. 1. lib. 16.] *Hoc consentiamus mala facinora conscientia flagellari, & plurimum illi tormentorum esse.*

Qui-

Quidam ] *Nulla maior crux, quam conscientia delicti onerata.*

Ouid. lib. 1. Fast. ] *Conscia mens vt cuique sua est, sic concipit intra*

*Pectora pro facto spemq; metumq; suo.*
*Conscia mens recti famæ mendacia ridet.*

Horat. ep. 1. ] *Hic murus aheneus esto.*
*Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.*

Hoc omnes prudentes suadent, quando quis iniurijs, calumnijs, obtrectationibus videt se premi, non tam externa spectare, rumoresque populi, quam interna & vitæ constitutionem, inter cæteros Persius.

Sic ait Persius Satyr. 1. ] *Non si quid turbida Roma*
*Eleuet, accedas, examenve improbum in illâ*
*Castiges trutina*: nec te quæsiueris extra
*Nam Romæ est quis non?*

Pientissimus S. Bernardus idem prope dicit.

D. Bernardus lib. de consid. 2. ad Eugen. ] *Nouerit te, vt inter angustias, quæ non desunt, fruaris conscientia bono: magis autem vt scias quid desit tibi.*

Idem fecit Sanctus Iob, speculum patientiæ, qui regem se videns ( Chrysostomus enim regem ipsum dicit ) regno deturbatum, exposum ab omnibus, imo & ab vxore, redijt in se, reuocauitque in memoriam priora bona opera, vt sic saltem liberius respiraret.

Idem & Sanctus Paulus Apostolus, rodi se sentiens, nescio à qua hominum fece, ad resuscitandum animum Catalogum incipit, & longam seriem omnium quæ cum laude gessisset, de vocatione sua loquitur, de officio, de solicitudine, de itineribus terra, maris, inter infideles, inter domesticos fidei, recenset & raptum in cœlum, & quid non? Ex hoc eius sermone hominem diceres grandiloquum, & thrasonem, qui alias Iesu Christi virtute & humilitate nihil habuit commendatius. sed videns se inter calumnias, ac despicatum, quasi compulsus *factus sum insipiens*, (inquit) *vos me coegistis*, refricabat & sibi & alijs res bene gestas, vt sic contumelias suas sufferret animo-

fius

sus per testimonium bonæ conscientiæ, nam *perfecta cuique & absoluta excusatio testimonium conscientiæ sui.* Videre id vultis, attendite sicut nihil me lædit, si quis Simum me dicat, cum certo hoc esse me sciam, vel quod in speculo viderim, aut in effigie mea (quam forte vester Ianinus, ad viuum perfectissime depinxerit,) quod mihi nasus sit prægrandis, aut saltem talis, quantus Ouidio aut Regi Francisco I. qui à longo naso cognominatus est, vt quondam Rex Persarum Longimanus, à longis manibus. Similiter etiam nihil me lædit (semoto tamen scandalo) si quis Samaritanum me dicat, male feriatum, vini potorem, amicum publicanorum, violatorem Sabbathi, quæ & Christo obiecta sunt, imo & deteriora: quia sc. in me regredi es, & conscientiæ meæ secretum visitans, ac recognoscens; nihil horum, sed virtutes potius contrarias deprehendo. Hoc igitur præstantissimum; *Omnis gloria eius* (filiæ regis) *ab intus, Regnum Dei intra vos est.* O qui nunquam in se redit, nec sui notitiæ studet, quantis se priuat fulcris, contra vanam gloriam ex falsis laudibus, contra impatientiam ex calumnijs & opprobrijs. Qui enim se nouit libens, patiensque suffert affectus contumelia, vbi alius qui seipsum non nouit, proruit in impatientiam, dicit cum Seneca: *Si merito te aliquis obiurgauit, scito quia profuit: si immerito, scito quia prodesse voluit.* *Ber. li. 2. de consid. erat. ad Eugen.*

Sed videamus, cui studium hoc prosit maxime. Dico redire in seipsum plurimum valere, ne quis temere aliquid tentet, vel in pace ac ciuili regimine, ne cadat turpiter, vt Phaeton ausus ardentes conscendere solis quadrigas, vel in bello ne quis fortioribus committat, viginti millibus decem, Nanum Giganti Gigantem Ioui, *ne Dares Entellum prouocet: ne gladium tollat mulier*, ne contusus & exossatus redeat, cum dedecore spoliatus bonis, spoliatus libertate. Ah! quot Reges, quot Respublicæ hac sui ignoratione perierunt, inquit

Xeno-

Xenophon lib. 4. de factis & dictis Socratis.] *Vides etiam ciuitates, quæcunq; suæ conditionis ignaræ fortioribus inferunt bellum, alias depopulari, alias amissa libertate ad seruitutem redigi.*

Bella partium nostrarum eheu quę tot prouincias, & regem, & milites, & habitatores suos destrauerunt, hinc inde, fidem nobis abunde faciunt, nihil vltra res tentandum, iuxta consilium Christi Iesu.

Luc. 4.] *Quis Rex iturus committere bellum aduersus alium Regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se, alioquin adhuc eo longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.*

*Iuuenal. sat. 11.* ** buccæ habet.*

Idem & in ædificijs & cœnis seruandum est necessario, vt nostra media viresque bene examinemus, *noscendaq; bursæ * est mensura tuæ*, dicit alius. Vestem pro panni copia, ignem pro ligni abundantia, culinam instrue pro re familiari. Quis vestrum? ait Dominus, turrim volens ædificare non prius sedens computat, quæ necessaria sunt, si habeat ad perficiendam eam, ne postquam cœperit ædificare, & non potuerit consummare vacuatis, scilicet loculis, ludibrium fiat lususque spectantibus, & audiat hic homo, sine alis volare cœpit, cœpit ædificare, & non potuit consummare turrim suam Babylonicam. Nonne omnium risum meruit Rex Aegypti Cleopes, ob male subductas rationes? fertur ille ad perficiendæ Pyramidis suæ corradenda impendia, raræ formæ filiam propriam prostituisse. Quia enim seipsos non satis percallent homines, in molitionibus, conuiuijs, vestibus tam grauiter nonnunquam exorbitant, vt pro bona gratia ingratias acquirant, iuxta Chilonis Epigramma affixum Templo Delphico: *nihil nimium*, scilicet, bene cedit.

Terent. in Andri. act. 1. Scen.] *Nam id arbitror, Apprime in vita esse vtile*, ne, *quid nimis.*

Narratur quidam Antvverpianus, quod excessisset nimium in foco, conuiuio, ædificio, per suæ qualitatis ignorantiam pro honore à Carolo Quinto Imperato

peratore salsum admodum ac mordax reportasse scomma. bonus ille vir (vt aiunt) cum liberaliter apud se Imperatorem tractasset, ac mero cinnamomo accendisset focum, mirante Imperatore alium accendit gratiorem Imperatori, cariorem etiam sibi. nam in oculis eius omnes chartas, scedulas, obligationesque exussit, quas ab illo acceperat. indicans totum se eiliberaliter remittere debitum tantis belli negotijs, quibus Imperator implicabatur, apud se contractũ: tandem cum quicquid spectabile & magnificum per totas exhibuisset ordes; rogauit num quicquam desideraretur, Imperator castigans hominis exorbitantiam, à sui ignoratione profectam; Respondit imo aliquid, inquirente illo, quid? Laqueus inquit in medio quo suspendaris, vnde facile apparet salutarem esse sui notitiam, ac per transitum quasi notandum ex sapientissimi & optimi Imperatoris iudicio, non satis esse habere media & vnde, valeamus aliquid, nisi & qualitas & conditio idem requirat, quod tantum digito volui indicare contra popularem insolentiam & immodestiam, qui fere de excessu redarguti respondent, se nihil vltra vires facere; male opinantes mensuram omnium esse opulentiam, idq; licere cuilibet quod possit. sed pergamus. Similiter & in librorum scriptione ingenium quisq; debet captumque suum nosse, ne rem aggrediatur spiritu suo maiorem, facundia, conditione ampliorem, vt magnus sc. videatur Theologus. Huius enim notitiæ defectu quot videmus Poetristas, scriptitatores, prò bonis libris nihil nisi nugas extrudere, materiasq; adeo mortuas & damnatas, vt & illis Alexander aliquis aut Sylla libenter argentum daturus sit, vt à scribendo cessent, quos Caligula suas cogeret abolere ac resorbere vomicas, ad Aram Lugdunensem, quantumcunque autem plumbea sint, aureum tamen semper titulum præferunt.

*Cic. prò Archia Po. de Sylla & malo poeta. Iuu. sat. 6.*

Horat. in Arte] *Sumite materiam vestris, qui scribitis, aquam*

*Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,*
*Quid valeant humeri; lecta potenter erit res.*
*Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.*
Iuuenal. sat. 11. ] *Magno discrimine causam*
*Protegere affectas? te consule; dic tibi, qui sis,*
*Orator vehemens, an Curtius, an Matho: bucca*
*Noscenda est mensura tua.*

2. Cor. 10. ] *Ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis.*

D. Hierony. epist. ....] *Grandes materias ingenia parua non sustinent.*

Cic. lib. 1. in off.] *Neque attinet quidquam sequi quod adsequi nequeas.*

Ouid. lib. 2. Trist. ad Aug. Cæsarem] *Non ideo debet pelago se credere, si qua*
*Audet in exiguo ludere cymba lacu*
*Diuitis ingenii est, immania Cæsaris acta*
*Condere, materiâ ne superetur opus.*
Horat. lib. 2. ep. ep. 1. ad Aug.] *Sed neq; parum*
*Carmen Maiestas recipit tua: nec meus audet*
*Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.*

Cymbula audebit quidem littus legere, & per planum ludere æquor, sub terræ conspectu, non audebit tamen in altum dare vela, ac nauigare procellas. Non statim quia calamos, fistulamq; vtricularem inflare nouit pastor, licet ei lituos insonare tubasque Anglicanas, buccinasq; bellicas. *velis quod possis*, habet Prouerbium. *Exod. 3.* *Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem & educam filios Israel de Ægypto*? sapienter dicebat Moses. aliud reuera est oues pascere, aliud regibus loqui.

Ad deligendum etiam vitæ statum & modum, antè omnia oportet in se reuerti, & se cognoscere, ne male incipiatur, ne infecta negotia ac semiplena deserantur, ne matrimonia diuortijs, religiones scindantur apostasiis, ne obijciatur, *hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare.* *Luc. 14.* minime, minime, non omnes matrimonijs, nec omnes cœlibatui seruiunt. non

omn

*omnes capiunt verbum hoc, qui potest capere capiat*, non omnes bello idonei, nec omnes stiuæ: hic aratrum tenet qui melius vebraret hastam si ad dictaturam e- *Tit. Liuius lib. 3. deca. 1.*
uocaretur, vt Quintus quidam Cincinnatus. ille cucullum gestat, qui melius portaret loricam iste vndiq; armatus est, cui melius subtana sederet aut cappa monastica, breuiarium in manibus, rosarium in zona. oportet igitur se nosse ad bene inchoandum statum. ratio illa mala non est, nec sine ædificatione quam quidam in hoc negotio Iohanni cuidam Abbati exhibuit, fertur hic homo quodam die à suis sequestratus in solitudine, nihil minus quam de victu cogitans (quasi Angelus esset nec cibo nec potu participans) ad septimum vsq; diem hæsisse in deserto, actandem pene enectus fame, compulsus ad antiquum redire diuerticulum, pulsasse ianuam quam inuenit occlusam, socium inclamans suum, se Iohannem esse, aperiret tantum sibi tanquam confratri. socius ipsius, belle ipsi respondit, *nescio vos.* non credo te Iohannem esse, neutiquam; ille in Angelum *Matth. 25.*
mutatus est, nec cibi vltra indiget, nec societatis humanæ. & cum hoc responso præ foribus sub dio ipsum reliquit, vt sub stellato pernoctaret tecto. Mane gratiam ipsi fecit, & quod manducaret apposuit, monens pariter vt hominem se recordaretur, pastu indigentem atq; ideo cum reliquis laboraret. Si seipsum bene nouisset iste Abbas, itane putatis à fratre fuisse excipiendum. Quare prudenter, vt vbique Seneca in prouerbijs (si tamen ille eorum author est) *nisi æstimatis viribus aggrediaris sarcinã, subiacebis.* togam tuam panno contempora, focum lignis, verbarebus aiunt nostri. *Senec. in Prou.*

Iuuenal. Satyr. 11.] ——*Buccæ (& burſæ)*
*Noſcenda eſt menſura tuæ, ſpectandaq; rebus*
*In ſummis, minimis, etiam cum piſcis emetur.*
*Nec mulum capias, cum ſit tibi gobio tantùm*
*In loculis: quis enim te, deficiente crumena*
*Et creſcente gula manet exitus?*

*Talibus à Dominis, post cuncta, nouissimus exit*
*Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.*
*Stultum est dimensionibus terrarum studere & suæ*
*nescire metiri.*

II.

*Seipsum non noscere nocet proximo.*

QVid addam vltra? pietas in proximos tam qu
ad corpus, quam quoad animam, claudicat n
cessario, & nisi admodum tepida in nobis subsist
non potest, dum nos ipsos nostramq; conditionem
fragilitatem, communibus subiecti infortunijs, re
vicissitudinibus, non agnoscimus. viget econtra m
lis, ardetq; semper, qui illa experti aut saltem spec
latiue nota habent, *homo qui in homine calamitoso*
*misericors meminit sui*, dicit antiquorum aliquis, *hom*
*sum*, ait alter, *humani nihil à me alienum puto.*

*Terent. in Heaut. act. 1. sce. 1.*

Cicero lib. 3. de finibus: Vox est Catonis] *Commu*
*nis hominum inter homines naturalis commendatio ve*
*porteat hominem ab homine, ob idipsum quòd homo sit*
*non alienum videri.*

Opinor si quis pauper diuitem, flagitaret eleem
synam dicens, *hominem te memento Philippe*, aut m
hominem qualis tu, efficacissimâ credo illum ora
tione traheret, nec allegare quicquam posset fortius
post amorem Dei, omninoq; verisimile Pontium Pi
latum, cum Christum Iesum populo exhibuit spe
ctandum, dupliciter purpuratum, Regia scilicet chla
myde & roseo sanguine, flagellatum, lacerum ac in
star S. Bartholomæi excoriatum, adiecta insuper my
stica voce, *ecce homo*, omnino speraſſe refrication
humanitatis & communis naturæ obiectu spectat
res mouere ad misericordiam, ratus non melius l
dæorum barbariem posse expugnari, habuit salte
Antiquos Doctores opinionis istius, & S. Paulus
cit, conuenientissimum fuisse, vt Christus nobis f
ret similis, absq; peccato vt compateretur.

*D. Aug. tract. 106. in Ioan.*
*Cyrill. li. 2. cap. 15. in Ioa.*
*Chrys. Rom. 3.*
*Vide Co-*

Heb. 2] *Debuit Christus per omnia fratribus assimi*
*ri vt misericors fieret.* Si credimus causam vnam

cur Petri (columnæ postmodum tam firmæ fundamenti adeo adamantini) lapsum Deus permiserit, vt præsumptione attolleretur, vt cum aliis perfide fugeret, ter negaret, falso iuraret, male anathematisaret, super omnes alios. vt scilicet S. Petro Petrum ostenderet, vt suo casu paruitatem suam disceret, similiter vt S. Petro, in S. Petro ostenderet *figmentum nostrũ*: vt cum postmodum assumptum se videret: Ciuium Areopagitam, censorem Consulum, Ephorum Regum, iudicem mundi, delinquentibus pie, ac misericorditer se inclinaret; futurus alioqui inflexibilis, inexorabilis, immisericors, totus promptus ad ignẽ, vt aiunt, & gladium, non minus quam quidam fratrum ipsius, qui parati erant ignem pluere de cœlo in integram ciuitatem, quæ ipsorum recusauerat suscipere magistrum. Fuisse enim natura zelosum sequuta etiam declarant exempla: cum Ananiam & Saphyram mentito diuenditi agri pretio, in vestigio verbo strauit. Cum Simonem magum, nouum Dædalum, ac honoris filij Dei æmulatorem, volantem ilico præcipitem in terram dedit. O quam seuerus, quam rigidus futurus erat Papa; nisi habuisset vnde humiliaretur; certe anima quæ miseram se aliquando fuisse meminit, aut adhuc esse (aut si nec est, nec fuerit intelligit) quod paulo post forte habitura sit, vicem, facilius illum pronuntiat celebrem versum, quem olim Dido, Regina, Carthaginis, miseris suo tempore recitauit Troianis, qui profugi fracta naue, postulabant, admitti in terram, figere anchoras, emere necessaria, ac fatiscentes reparare cymbulas, *non ignara mali miseris succurrere disco*. Seruius in illud non ignara, ait: quare non disco, quia non ignara. Bis enim intelligimus non, quasi diceret: noui, quid sit miseram esse, non hodie primum disco, misericordiam exhibere, hoc mihi iam dudum vsitatum est, aut iuxta prouerbium, quia aliquando in hospitali decubui, noui infirmis compati.

*drum nostrum Euang.* cons. 38. *part.* 1.

Virgilius 1. Æneidos] *Quare agite ô testes, iuuenes, succedite nostris.*

*Me quoq; post multos, similis fortuna, labores*
*Intactam, hac demum voluit consistere terra.*

III.

*Seipsum non nosse ipsi nocet Deo.*

SEd quis non videat (quod multo etiam deterius est) non intrare in se ipsum, nec se nosse, obsecro pietati, religioni, ac orandi studio ostendi vultis? ex toto corde Deo seruiatur, Deus in corde nostro habitat, quomodo autē obsecro, qui sem per foris est, & nunquam aut raro in se reuertitur, illic Deo seruiet? quid orabit Deum qui se putat Deo parem? qui se sui putat authorem? dicens, *ego feci memetipsum:* ac non, *ipse fecit nos & non ipsi nos*, qui nihil Deo tribuit, sed videtur sibi *similis altissimo*, inde pēdens abelio, neminem agnoscens maiorem, neminem parem. Adorare professio est, superioritatis, & inferioritatis, si supplicare protestatio est indigentiæ ac necessitatis, in eo qui rogat, eminentiæ, opulentiæ, potentiæ subueniendi in eo qui rogatur: quando enim rogam meam video tritam ac laceram, non postulo nouam ab eo qui pauperior est, sed quem opinor me ditiorē (*Beatius dare, magis quam accipere, ex maiori fœlicitate, & rerum copia procedit dandi potestas, vel gloriosius est & iucundius dare, quam mendicare: vel maiori merito datur apud Deum, quam accipitur.*)

*Psalm.* *Isai. 14.*

Quomodo orabit Deum, qui se illo non putat minorem, quomodo orabit illum qui putat se habere cornucopiam; quid postulabit Deum, qui nihil sibi opinatur deesse, qui se hominem putat totum absolutum, totum perfectum? certe nihil petit amplius quam gloriator ille Pharisæus, qui simul cum Publicano orabat in templo; *Scis quia dives sum & nullius egeo; & nescis, quia pauper es & miserabilis. Non sum sicut cæteri hominum; raptores, adulteri &c.*

*Luc. 18.* *Apoc.*

Contra vero qui sibi aliquid deesse sentit, Dominum postulare non cessabit. sed imitabitur Publicanum, qui peccata sua agnoscens necessariam sibi videbat veniam, ac ideo precabatur humillime, *Deus propitius esto mihi peccatori.* huc conducit tui cognitio

*nouiste*, inquit S. Bernard. *vt scias quid desit tibi*, ac defectū tuum agnoscēs petitū eas aut gratis aut emptum meritis ac precibus. *ite potius ad vendentes, & emite vobis* Qui infirmitatē suam tantam esse non videt, vt nec facere, nec dicere, nec cogitare quicquam possit boni sine Dei gratia, quando auxilia peret? quādo dicet, *trahe me post te, operi manuū tuarū porrige dexterā, Deus in adiutorium meū intende &c.*? Ad supplicationes tam bene instituendas, vires ac infirmitas sua cuiq; intelligenda sunt. nec ignorandum quod dicit S. Bernard.) *conatus liberi arbitrii cassi sunt si à gratio nō adiuuentur, nulli autem si ab eadem non praueniantur.*

*Matt. 25.*

*D. Bern. li. 2. de consid.*

Rom. 7.] *Velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio.*

1. Cor. 12.] *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.*

2. Cor. 3.] *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Non est volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei: sine me nihil potestis facere, &c.*

Ouid. lib. Met.] *Video meliora proboque,*
*Deteriora sequor.* Quid boni sine Dei gratia? quis diu subsistit sine lapsu & peccato nisi deductus filo ac suffultus baculo gratiæ diuinæ: per fidem vestrā, dilectissimi, quid orabit Deū qui se tam modicū, tā pusillum non agnoscit (debilioribus ad fortiora recursus est) quinetsi orauerit, non exaudietur, & *oratio eius fiet in peccatum.* quia sc. non ex humilitate, quæ condimentum est, & neruus orationis: nemo autem humiliter satis orat nisi qui quod petat, & se nihil esse agnoscit; Porphyrius philosophus (quamuis desertor & apostata) dicit hominem sui ignorantem, nunquam seruire Deo vt decet, nec vnquā obtinere quicquam eorum quæ petit, *qui addit scientiam addit & laborem* (bene orandi) *& dolorem.* Cum denique in gratiarum actione pro concessis publicis aut priuatis beneficijs magna ex parte diuinum consistat seruitium, quomodo gratus erit qui præstita sibi bona non nouit, quomodo Deum reciproce ama-

*Porphyr. ser. 1. de hoc dicto: Nosce te ipsum. Eccl. 1.*

amabit, qui ignorat quibus à Deo virtutibus ornatus sit? à quibus vitijs reseruatus? quomodo dicet cum Pharisæo, socio Publicani, *gratias tibi ago, quia non sum raptor adulter &c. ieiuno bis in Sabbatho decimas omnium quæ possideo?* Quid, dicet aliquis, cum Pharisæo? quem Christus quasi paradigma male orandi induxit? imo vero cum Pharisæo. non quidem quatenus orat male, superbe vitã suã alienæ comparans omnibus se præferens, & male Publicano in particulari quasi inspector cordis ipsius; sed quatenus bene Deo gratias agit, quod nec raptor sit, nec adulter, nec Publicanus, quod bene ieiunauerit (ac in illis, quæ cognouit sibi à Dei gratia liberaliter concessa) quod ad malum non declinauerit, ac, eadem iuuante gratiâ, ad bonum cucurrerit, *Nisi Dominus adiuuasset me, paulo minus habitasset in inferno anima mea*, nos nihilo minus Deo debemus; forte & amplius: tam ob peccata quæ, præseruati à gratia, euitauimus; quam ob bona, quæ illa inspirante, perfecimus. Obtestor vestram fidem. potestne hoc qui non cognoscit quomodo à peccatis Deo iuuante præseruatus sit, quod gratijs dotatus? in seipsum igitur non redire, nec seipsum nosse, non solum ignoranti ipsi, & proximo, sed ipsis etiam diuinis derogat seruitijs non modicum. Quare rogemus dilectissimi, ac petamus instanter cum S. Augustino, cum Seraphico & ardentissimo patre nostro S. Francisco, *Domine da vt nouerim te, nouerim me*, & vt cognoscam me, & cognoscam te, da mihi vt frequens cum Prodigo in me reuertar, si difficulter adhuc semper in me manere possum.

Luc. 18.

Psalm.

Senec. li. 1. Ep. ep. 2. ] *Primum Argumentum compositæ mentis existimo, posse consistere, & secum morari.*

CON-

# CONCIO SEXTA.

7. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν εἶπε. *Græca.*
7. *In se autem reuersus, dixit.* *Vulgata.*
7. *Quumq; ad se rediisset, ait.* *Syriaca.*

## ARGVMENTVM.

*Ostendemus hodie.*

1. *Quod notitia sui per suam excellentiam præseruet à peccato, & quod magni momenti res sit, homo ex sententia multorum.*
2. *Quod homo maximum quid sit propter similitudinem Dei.*
3. *Quod homo maximum quid sit propter glorificationem, per incarnationem filij Dei & redemptionem.*

## AVE.

### I.

*Quod notitia sui per suam excellentiam præseruet à peccato, & quod magni momenti res sit, homo, ex sententia multorum.*

VT neglectus ager, nihil nisi tribulos spinasque germinat: & domus inhabitata, paulatim carie exeditur, nihil fouens, præter araneas, ac serpentes; & vt equus quem non visitat crebro oculus domini macilentus prodit, ac malehabitus, eodem modo conscientia, dilectissimi, lapidescit, si legitimum suum non habeat inhabitantem dominum, qui aliquando in cor, & intellectum suum descendat, fouea fit latronum, antrum & spelunca peccatorum, iumentum intractabile ac indomitum, ac Deo suo durum. Contra vero sicut nullus ager adeo scruposus, adeo sterilis, quem colentis sudor ac industria in fertilem feracemque non trans-

tat; sic nec conscientia adeo peccatis obsita, quæ crebra versatione, visitatione, examine, ac purgatione, de die in diem, ad frugem non transeat. Deo igitur gratia, quod *in se reuersus* sit noster Prodigus, ad conscientiæ suæ examen, spero enim, quod exhinc omnibus ipsum videbimus refertum bonis, ac Deo iuuante, emendatum totum, ô vtinam, illuc vsque solum magnos adducere possem peccatores, rem grandem omnino à me perfectam arbitrarer, *est aliquo prodire tenus, si non datur vltra.*

Ex vno enim illo in se reuerti, & se agnoscere, tanquam ex fonte omnia bona profluunt, sicut contra ex sui ignorantia, & extra se peregrinatione, animo foris circa res externas circumgirante, & vago, infinitus maximorum malorum numerus.

Diuus Augustinus libr. de Trinit. initio] *Scientiam terrestrium, cœlestiumque rerum magni æstimare solet genus humanum: in quo profecto meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt, nosse semetipsos: laudabiliorque est animus, cui nota est vel infirmitas sua, quam qui ea non respecta vias siderum scrutatur, etiam cognituras, aut qui iam cognitas tenet, ignorans ipse, qua via ingrediatur ad salutem ac firmitatem suam.*

Sed quando dico, oportet seipsum nosse, non intelligo solum peccata, paruitatem ac nullitatem propriam, sed & excellentiam & nobilitatem, aut naturæ, aut gratiæ, præcipue in anima.

Cicero 1. Tusc.] *Quum noscete, dicit, hoc dicit; noscite animum tuum, nam corpus tuum quasi via est animi, aut aliquod receptaculum.*

Diuus Bernardus de considerat. ad Eugenium.] *Consideratio tui in tria quidem diuiditur. Si consideres,* Quid, Quis, Qualis *sis: Quid in natura, Quis in persona, Qualis in vita.*

*S. Godefridus Episcopus Ambianensis, suos monachos Abbas hortabatur, vt tria illa semper adspicerent:* Vnde, Qua,

Qua, Quoque. *non Pythagoræ ſymbola, ſed vitæ religioſæ capita nominabat.*

Nic.] *Monach. Hueſzionenſ. in vita eius.*

Hæc enim notitia erigit animum ad ſublimia, & ardua, & conſideratio nobilitatis animæ Chriſtianæ, ſæpe Chriſtianum detinet, ne impingat.

Macrobius libr. 1. in ſomnium ſcip. cap. 9.] *Animus dum corpore vtitur, hæc eſt perfecta ſapientia: vt vnde orta ſit, de quo fonte venerit, recognoſcat, ſic enim anima virtutes ipſas conſcientia nobilitatis, induitur: quibus poſt corpus euecta, eo, vnde deſcenderat, reportatur: quia nec corporea ſordeſcet, nec oneratur eluuie, quæ puro ac leni fonte virtutum rigatur: nec deſeruiſſe vnquam cœlum videtur, quod reſpectu & cogitationibus poſſidebat.*

Nonne videmus, meminiſſe celſo ſe loco natum, ac clara parentela, nobilem ſæpe frænare animum, ne quidquam committat indecorum. Illa nobilis matrona non minus amoris ſentit igniculos, quam vile aliquod abiectumque ſeruitium, cederetque ſæpe, ſed memor generoſi ſanguinis, ac natalium omnia iſta (foris ſaltem) dedignatur, & non tantum oſcula auerſatur & amplexus; ſed nec leuiter tangi ſe ſinit, nec chirothecas quidem, nec extimam veſtimenti fimbriam, ſed repellit, inclamatque, ſi quis liberius eam tentet. miles aliquis nobilis, fuſo fugatoque exercitu, ac rebus ex ſua parte deſperatis, effugium ſibi facile videt, pernici fretus equo, aut pedum fugacia ſuperaturus, facile inſequentes. ſed quid? recogitans, ſe eum eſſe qui eſt, ijs oriundum atauis, capeſcet ne fugam? neutiquam, ſed in media potius irruet arma, ac corpus incertam inijcit perniciem, ſub ipſo potius cadit inſigni, in ordine ac ſtatione ſua, quam vultu pauoris vllum det ſignum, *neque terga ira dare, aut virtus patitur.*

Contra verna aliquis obſcurus, ac rure natus, male inſtitutus, arma facile, zonamq; abijcit, fugit, clamat- *Virg. 9. Æneid.*

matque maledictus postremus, & cum ignauo quodam Demosthene, ait: *vir fugiens pugnabit denuo.* Nobilis dicet, *vsque adeo mori miserum est?* imitatur potius Iudam Machabęum, virum strenuum, reprimentem fugæ suasores, hostium numero territos: *Absit istam rem facere, vt fugiamus ab eis: & si appropiauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ:*

1. *Mach.* 9.

*Virgil.* 1. *Æneid.*

*Neue incepto desistere victum:*
*Nec posse Italia Teucrorum auertere Regem!*

Repugnabit potius omni conatu quam fugiat, sicut leo vndique cinctus, vndique impeditus, ventilat iubas, expedit arma, ostendit vngues, denudat dentes.

*Virg.* 12. *Æneid.*

*Pœnorum qualis in aruis,*
*Saucius ille graui venantum vulnere pectus,*
*Tum demum mouet arma leo, gaudetq; comanteis.*
*Excutiens ceruice toros, fixumq; latronis*
*Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento.*

Vbi Seruius] *Hæc enim leonum est natura, vt nisi lacessiti irasci nequeant.*

Quod si casu, aut robore superatus nobilis, alio factus sit inferior, nunquam fugæ suæ obliuiscitur ignominiam, semper illa ipsum mordet, semper affligit, ac tantum non extinguit. Cibum nimio respuit tædio, nec gladium iam curat, nec ornatum optans, dehiscente sorberi terra, vt tandem tam indigna absoluatur ignauia, ac egregie Turnum in simili infortunio repræsentat:

*Virg.* 10. *Æneid.*

*Et duplices cum voce manus ad sidera tendit;*
*Omnipotens genitor, tantum me crimine dignum*
*Duxisti, & taleis voluisti expendere pœnas?*
*Quo feror? vnde abij? quæ me fuga? quemue reducet*
*Laurenteisne iterum muros, aut castra videbo.*
*Quid manus illa virum, qui me meaq; arma secuti?*
*Quosq; nephas! omneis infanda in morte reliqui?*
*Et nunc palanteis video, gemitumq; cadentum*
*Accipio, quid agam? aut quæ iam satis ima dehiscat*
*Terra mihi? vos ô potius miserescite venti:*

In

*Inrupes, in saxa, volens vos Turnus adoro,*
*Ferte ratem sæuisq; vadis immittite Syrtis:*
*Quo neq; me Rutuli, neq; consciа fama sequatur.*
*Hæc memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc,*
*An sese mucrone ob tantum dedecus amens*
*Induat, & crudum per costas exigat ensem:*
*Fluctibus an iaciat medijs, & litora nando*
*Curua petat, Teucrûmq; iterum se reddat in arma.*
*Ter conatus vtramq; viam: ter maxima Iuno*
*Continuit, iuuenemq; animi miserata repressit.*

Inglorius aliquis ac cinerarius, suam ridet fugam, nec erubescit magis quam frons lignea. Dicet speciem aliquam esse securioris gloriæ abesse à vulnere, latere post principia, ac cutem circumferre illæsam. Vnde igitur in vno casu tanta illius erubescentia huius nulla? inde solum quod alter illustria sua meditatur incunabula, alter solas curat patinas. Alexander, quia Regis filium se recordabatur, cum alijs luctari noluit, quod Regum filij non essent. equus eiusdem Bucephalus phaleratus, armatusque solum sessorem admittebat Alexandrum, quia scilicet Regis se equum esse sentiebat. Dico itaque (dilectissimi) quod si studeamus cognoscere, vnde oriundi simus, qui simus per naturam & gratiam, quod Dei nascamur filij, *ipsius enim & genus sumus* per creationem omnes, per adoptionem Christiani, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Hinc animus nobis surget adeo excelsus, vt omne dedignemur peccatum, indignitatem & vilitatem omnem, si autem in nostri semper hæreamus ignorantia, nunquam propriæ speculatores excellentiæ, deueniemus (modo iam non deuenerimus) & numerabimur inter profligatissima mũdi interrimenta nullis inidonei peccatis, nihil nobis videbitur indignum, hoc in canticis significari voluit sponsus, Cantic. 1. *Si ignoras te,* (formam tuam, originem tuam, & pretium tuum,) *ô pulcherrima inter mulieres!* (ô anima rationalis, rerum omnium sublunarium perfectissima) *egredere & abi post vestigia gregum,*

*& pa-*

*& pasce hœdos tuos*, (relicta vitæ ratio malis, & humanæ orbita, degenerabis in bestiã, vitam viues brutorum, & per eorum itinera incedes nihil non sensuum voluptatibus indulgebis.)

Nonnè idem Regius dicit Propheta: *homo, cum in honore esset, non intellexit*, (propterea) *comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Atque ideo inter preces, quas Deo offerimus, non postremæ mihi videntur istæ, quibus gratiam petimus redeundi in nos ipsos, ac viuendi nobiscum.

4. *Reg.* *Vox Helisei.* *Domine Deus meus reuertatur, obsecro, anima pueri huius in viscera eius: vt animæ aliquando nimium diuagatæ, rursus & incipiant in corpora belle reuerti.*

*O Dij reddite me mihi.*

Psal. 50.] *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.*

*Orandum est, vt sit mens sana in corpore sano.*

*Æneid.* *Catul.* Eccles.] *Concede perpetua mentis & corporis sanitate gaudere.*

*Iob.* Sed dicetis mihi? *quid est homo, quia magnificas eum.* homone igitur tanti pretij res est? Imo sane, imo millies verba mea superat. veteres *Hebræi* dicunt: quidquid vsquam desiderari potest in alijs creaturis, in homine solum inueniri, contractum ac collectum. Græci enim appellarunt μικρόκοσμον, paruum mundum, tam ob pulchritudinem ac elegantiam, quam ob rerum omnium copiam, quæ non minus in illo inueniuntur, quam sparsim in toto vastoque vniuerso. Pythagoras illum appellauit mensuram & regulam creatarum rerum. Aegyptij Deum esse dixerunt terrestrem, animal diuinum, Deorum internuncium, infimarum rerum Dominum, summis familiarem, miraculum naturæ. Magi Persarum vinculum, & neruum rerum omnium, & quasi Deum coniugalem mundi. Mercurius Trismegistus, miraculum mundi. Algazel Arabs dicit, esse epitomen & compendium totius mundi, sicut

ſicuti tabula quædam, aut charta totius vniuerſi. quidam etiam Abdela Sarracenus interrogatus, quid in hoc mundi amphitheatro, cenſeret maxime mirabile dixit hominem. Cicero, alicubi eum ſocium Deorum nominat, cognatum ex eius radice, ex eius familia. Ecce pretium hominis inter homines tam cœcos!

## II.

### *Quod homo magni quid ſit propter Dei ſimilitudinem.*

SEd ſcripturæ multo altiori gradu ipſum collocant, creatum enim dicunt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, nonnunquam non multum infra angelos, & Deum ipſum deprimunt. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum.* Quia ipſum vident aſſidentem, coronatum, circumfuſum vndique honoribus: aliquando ad Dei nomen ipſum euehit. *Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* *Pſal.*

Videamus, ſi placet diſtinctius, vnde homo adeo ſit admirabilis? patet id vel maxime in ipſo orationis modo, quo Deus vſus eſt. nunquid creatio eius ab alijs plane eſt diuerſa? cum reliqua crearet, ſolum dixit Deus, & facta ſunt. verbum illud edixit regium, (*fiat.*) Apparere tamen poſſet Philoſopho cuiquam, Deus dicens: *fiat*, mandatum dare Angelis producendi res omnes, excepto homine, quaſi declarans eos ſufficientes ad minora quædam facienda, nec ſatis æquum diuinam maieſtatem minimis rebus admouere manum, *nam non vacat exiguis rebus adeſſe Ioui*, nec ſummi artifices & architecti infima exequuntur: quamuis hoc reuera non acciderit. Solus enim Deus creare poteſt, ex phraſi tamen & loquendi modo tale quid videretur poſſe colligi, cum verbum illud, *fiat*, importet quaſi quod

*Vide Greg. Nyſſ. lib. de opif. hom. cap. 3. Ouid. 21. Triſt.*

quod vna tantum persona rerum creationi se imm
scuerit, nec multum antea expendens, in quem m
dum ista formaret, negligens quasi ac leuiter curan
exiles istas reculas. Verum quando creationi homi
nis Deus operam dare cœpit, qui totius orbis effi
nabat imperio, deliberauit ante opus, & (vt ita
quamur) tres illi conueniunt ordines, ac æterna
quasi Triumuiratus conuocatur ad consilium. I
*Genes.* 1. ter proponit in hunc modum, *faciamus hominem*
*imaginem nostram.* qui dicit, *faciamus*, videturne vob
esse solus? proponit sibi scopum tam arduum, crea
scilicet regem totius orbis, ac cum iam præparatam
habens electamque materiam, terram nimirum ru
beam, quam ex Damasci campo assumpserat, corpus
ex limo formauit. *Ex quouis non fit robore Mercurius*,
non ex quolibet ligno telum tale, nec ex qualibet ar
gilla talis testa. Sumpsit insuper selectum modulum
ac formam, seipsum nimirum: *Faciamus ad imaginem*
*& similitudinem nostram.* Tandem videns corpus ter
sum, politum, tornatum, inspirauit ei animam, nor
simul creans vtrumque; sicut in animalibus reliquis
vt ostenderet illam animam, non ex terra, aut alia e
lementaria substantia eductum; ac inde eum trans
tulit in paradisum terrestrem. Deus bone, quantum
operis, à tanto operario, ad vnius hominis formatio
nem!

*Virgil.* 1. *Æneid.* *Tantæ molis erat humanam condere gentem.*
*Ouid.* 1. *Meta.* *Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ.*

Omnis hæc tanti magistri machinatio declarat,
quale archetypon habuerit sub manibus, quale opi
ficium. Corpus tam pulchre delineatũ tot membris
tam pulchre ac tanta harmonia coniunctis, vnum
quodque suum habet officium, ac mysterium, vnum
quodque suum locum, tam eleganti compositione
vt abiectissima etiam membra iusto libro materiam
*Galen. lib.* *de vsu par.* dare possint. sed remitto hæc ad Galenum & Lactan
tium Firmianum, qui librum de *opificio Dei*, alios qu
qui hexametra sua his conscripserunt. Hoc curs
sufficiet ex illis annotasse, quod solum humani co
po

poris excellentiam docere potest modicus humanæ faciei orbiculus, tam in vno quam in altero sexu, adeo formosus est, vt nemo nõ suæ formæ amator sit, quamplurimi etiam alienæ; testatur id vis, quam patimur, vt mutuo amori, qui ad abusum huius formæ inuitat resistamus: Et reuera singulare aliquid est, quod in exigua vultus humani tabula, tristitias, gaudia, timores, iras hominum scriptas legamus, & cum in præcipuis lineamentis conueniant Omnes, nullus tamen alteri similis sit per omnia. sed veniamus ad nobilem illam diuinæ auræ particulam, animam dico, cuius ratione Angelis & ipsi Deo, etsi multo semper minores, aliqua tamen ratione comparamur. Angelos autem nonnunquam & superamus. Secundum animam aliquam diuinæ essentiæ habemus similitudinem, & attributorum proprietatumque eius. Essentiam enim repræsentamus vnam in substantia, trinam in personis. nam & anima nostra vna est in quolibet, tria tamen in se continet; intellectum, voluntatem, & memoriam: & sicut à patre filius nascitur, sic & voluntas ab intellectu, & sicut à patre & filio procedit spiritus Sanctus, sic ex intellectu & voluntate surgit memoria. Insuper sicut Pater Deus est, & Filius, & Spiritus sanctus; & tamen non tres dij sed vnus Deus in tribus personis: sic & intellectus anima est, & voluntas, & memoria, non tamen tres animæ in vno homine, sed vna anima cum tribus potentijs. Ad hæc sicut viuimus, mouemur, & sumus in Deo, ac per Deũ, qui vnus & indiuisus vbique est integer, viuificans, mouens, & gubernans: sic & anima nostra vna manens, toto corpore diffunditur, viuificans, mouens; nec quicquam est tantum in toto corpore quod non impleat, nec quicquam tam exile vbi integra non contineatur, sic in quolibet membro sicut in toto hæc quoad essentiam. Attributa vero Dei nonne etiam aliquo modo repræsentamus? tria sumo, quamuis in eo plura sint, vt ex ijs similitudinem nostram ostendam. Beatitudinem, Dominium, & omni-

potentiam, Deus ſumme beatus eſt. ſic & hom ab initio, iuxta ſtatum in quo à Deo creatus e omnibus repletus bonis, quæ durante huius mun decurſu deſiderare poſſet. Quod vt intelligatur notandum, quod Deus creauerit *hominem rectum*, vt loquitur eccleſiaſticus. non enim ſatis erat Deo impliciter puram dediſſe naturã, & quæ illuc ſpectant, ſed ſuperaddidit naturæ integritatem quandam a perfectionem, qua ſine difficultate appetitus parer rationi, vt equus freno ac nauis clauo. Ratio autem ſubiaceret Deo, vt principio primo ac fini vltimo naturali. Quid? necdum his contentus Deus, ſuperaddidit originalem iuſtitiam, directionem ac ſubiectionem ſub Deo ſupernaturalem, qua Deo pareret, vt fini & ſupernaturali principio. quæ tam pacifice ac ſuauiter appetitum rationi ſubſterneret, vt ſi homo peccare non vellet, nunquam hac regulatione ac præſidio excideret. & hoc intelligimus quando hominem dicimus in innocentia creatum, poſſediſſe in illo ſtatu tantam beatitudinem, quantam homo hic poſſet conſequi. ſi autem conuertamus oculum ad habitaculum eius, Deus bone quam fuiſſet fœlix habuiſſet pro domo paradiſum, pro menſa ac nutrimento, ſine labore ac ſudoribus omnes ſe obtuliſſent creaturæ. Nihil fuiſſet opus multo apparatu, ſed cõtinuo quaſi parata *ſolis menſa*, omnibus onuſta deliciis, teneris, nouiterq; natis, quam inueniri in Æthiopia Pomponius Mela de ſitu orbis fabulatur. *Eſt locus* (dicit ille) *apparatis epulis ſemper refertus, & quia, vt libet, veſci volentibus licet ἡλίου τράπεζαν adpellant, & quæ paſſim adpoſita ſunt, adfirmant innaſci ſubinde diuinitus.* Columbæ iam coctæ iam aſſæ de cœlo deciderent cum cultello ſectorio & (vt aiunt) flumina exuberaſſent lacte & nectare.

*Pomp. Mel. lib. 3. ſitu orbis cap. 10.*

Ouid. Metam.] *Fruges tellus inarata ferebat*
*Nec renouatus ager grauidis canebat ariſtis.*

Flu-

*Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,*
*Flauaq; de viridi stillabant ilice mella.*

Quanta tum vitæ voluptas: ideoque, vt Philo refert, vltimo Deus creauit hominem ne ipsum inducere in aulam necdum præparatam, & famentē. *Tauri mei & altilia occisa sunt, parata omnia, venite ad nuptias,* dicitur alibi: si ad diuitias & omnem rerum copiam respiciamus, quæ aut voluptati aut necessitati seruiant, *totus mundus diuitiarum*, vbi nihil desit, corpus sine doloribus sine morbis, sine morte; spiritus sine cupiditatibus, sine timore, sine suspicione; societas, vxor pulchra ac consentanea, *adiutorium simile sibi*, Angeli in visibili specie, aliquando ipse Deus. Quid est Deo in beatitudine esse similem, si non hoc est? Cum in hac lachrymarum valle ac misero exilio, ita aliquando obruamur bonis, vt hinc exire nolimus, nec mundum paradyso mutare. veniamus ad Dominium. Deus summus omnium Dominus est. Aliquo modo etiam homo. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, insuper & pecora campi: volucres cœli & pisces maris, qui perambulant semitas maris, Præsit piscibus maris & volatilibus cœli, & bestiis, vniuersis terræ omniq; reptili, quod mouetur in terra.* Quamprimum creatus fuit constitutus est præfectus maris, rex terræ, præses omnium, prorex mundi, quaquauersus in longum ac latum extenditur. Non vt nostri reges qui pugillum terræ tenent, vere Reguli si intelligerent chartacei. Nullum adeo ferum animal quod ipsi non obediat, ac aduletur. Adam & Eua ludere potuissent cum Tigribus, Leonibus, vt vos modo domicellæ facitis cum vestris catellis. Possemus & nos idem hodie, nisi eheu interuenisset peccatum Adæ; ac recuperaremus facile nostrum hoc Dominium, si diligenter laboraremus ac anniteremur, ad primam cum Dei gratia innocentiam. S. Noster Franciscus nonne in possessionem restitutus est, & per sanctitatis viam bestiis imperauit? Refert Historia ecclesiastica Leænam speluncam habitasse S. Macarij tugurio vicinam; quæ in recompensam

*Philo lib. de mun. opif. & Chrys.*

*Psal. 8. Genes. 1.*

*Ruff. lib. 11. hist. Eccl. cap. 4.*

(quod sanctus catulos ipsius cæcos precibus illumi-
nasset) arietum pelles & vellera de venatu suo, cum
magno numero deferebat, quasi in præmium me-
dicationis. & Iohannes Climacus de monacho
quodam Stephano narrat, quod adeo ad primam
accesserit innocentiam, ieiunijs, lachrymis, ora-
tionibus, alijsque virtutibus, quibus se in solitu-
dine exercebat, vt Leopardum (animal alioqui
immitissimum) tanquam catellum cicuraret. Il-
mo & nos, magnos quantumlibet peccatores, for-
tissima ac efferatissima etiam animalia, primo sta-
tim occursu pauescunt, exterrentur aspectu, quod
ex signaculo & charactere illo accidit, quem De-
us nobis impressit, quem Antiqui Cabalistæ *Palat*
lingua Hebraica nominarunt, quo roboratus A-
dam ac insignitus, sine periculo inter belluas versa-
retur. ac cum bestiæ minime tractabiles in hominem
insurgant, domat tamen eas mente ac ingenio, fi-
nemque suum & scopum attingit, *Ingenium superat*
*vires*. Omnes denique creaturæ ad hominis minis-
terium deputatæ sunt, summæ, infimæ, mediæ: Ipsi
etiam Angeli non tantum Deo, sed & hominibus ser-
*Psal.* 102. uiunt. *Omnes sunt administratorii spiritus in ministe-*
*rium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.*
vel vt eos ducant vt Tobiam, vel vt instituant, lega-
tionesq; Dei ad ipsos obeant, *facientes verbum illius*
*ad audiendam vocem sermonum eius*. Sicut ad B. Vir-
ginem, aut ad subsidium, *immittet Angelus Domini*
*in circuitu timentium eum & eripiet eos*. aut vt curam
eorum gerant, gestantes vos in vlnis, vt filij eiusdem
familiæ fraterculos suos, cauentes ne cadant in ig-
*Psal.* 90. nem, in aquam. *Angelis suis Deus mandauit de se vt*
*custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt*
*te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

*D. Hieron.* Clarius hoc ipsum videre vultis, *magna* (inquit
*lib. 3. com-* Hieronymus) *magna dignitas animarum, vt vnaqua-*
*ment. in* *que habeat ab ortu natiuitatis, in custodiam sui, ange-*
*Matth.* *lum delegatum*, certe si Angeli ministri non sunt,
quia ordinarie nobiliora & perfectiora minoribus

non seruiunt: homo tamen ipsis adeo charus ac honoratus est, vt ipsi per omnia non minus prompte subueniant, quam si vere ministri ipsius essent, *maior seruiet minori.*

Venio ad omnipotentiam. Deus omnipotens est, Creator cœli & terræ, Homo per Dei gratiam (rem fide maiorem) habet nescio quam omnipotentiam, Artenaturam ita dextre æmulatus, vt opera non imitamentum aliquod, sed res ipsæ videantur. Deus creauit hominem, & homo quotidie producit hominem. *Homo hominem generat & Sol*; Deus ex argilla suis manibus effinxit hominem? faciunt & hoc homines plastæ quotidie ac statuarij ex testa, marmore, alabastro, ligno, fusiles, tornatiles, sculptiles, quales quondam Lysippus Alexandri statuarius. *Gloria Lysippo est animoso fingere signo*, dicit Propertius: Qualis Praxiteles, tantus in marmore artifex, vt quidam sculpserit venerem adeo ad viuum, vt iuuenis quidam eius amore captus, impudicitiæ signa in ipsa relinqueret. *Viuos ducent de marmore vultus. Virg. 6. Æneid.*

Quintilianus.] *Praxiteles, cuius muliebris imago procacem impulit ad coitum iuuenem.*

Talis & Pigmaleon, qui ex ebore aliquando tam speciosam efformauit statuam, vt ipsemet hostis alioquin & osor fœminarum, in eam decideret amentiam, vt eam amplexaretur, alloqueretur, suauiaret, donaret annulos, torques, inaures, deponeret in lectum tanquam vxorem.

Ouid. lib. 10. Metam.] *Niueum mirâ feliciter arte*

*Sculpsit ebur, formamq; dedit, quâ fœmina nasci*
*Nulla potest, operisque sui concepit amorem.*
*Virginis est vera facies, quàm viuere credas*
*Et si non obstet reuerentia, velle moueri,*
*Ars adeo latet: arte sua miratur, & haurit*
*Pectore Pygmalion simulati corporis ignes.*

Et paulo post.] *Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo:*

*Aure leues baccæ, redimicula pectore pendent,*
*Collocat hanc stratis concha Sidonide tinctis,*
*Appellatq; thori sociam, acclinataq; colla*
*Mollibus in plumis tanquam censura reponit.*

Transeo Leontium qui aliquando puerum sculpsit claudicantem, cuius vlcerum dolorem spectatores sentire videbantur. Item quod quidam Heracleæ in Peloponneso equum formaret, cauda deformem & accisum, cætera ita viuum vt equi alii illi adhinnirent & assilirent tanquam viuenti, vt refert Pausanias Historicus.

Quid dicam de picturis planis? quæ naturam tam opere imitantur, vt hominibus ab Apelle pictis anima tantum videretur deesse vt loquerentur, Phidiæ piscibus aqua vt natarent, Zeuxis vuis sapor vt ederétur, Muscis vestri Ianin de Maubeuge, motus tantum ad volandum. Dicitur Apelles 10. annis vnam studiosissime elaborasse Venerem, atq; ad eam eduxisse pulchritudinem, vt iuniores aspectu eius detenti, non minus quam puellæ alicuius viuæ aspectu illaquearentur adeo vt publico edicto iussus sit eam clam habere, ne iuuentutem corrumperet. Sed hæc inanimæ sunt corpora, inquiet aliquis? Fuerunt etiam qui modum inuenerunt inanimata ista animandi. Dicitur Dædalus ligneam fabricasse Venerem, quæ viuo repleto argento, tanquam viua se motitabat: Archytas columbam ita libratam, ac aura ita contemperata plenam, & figuris ac proportionibus Mathematicis compositam, vt per interualla sicut vera columba euolaret. Albertus formasse dicitur caput æneũ quod voces formabat articulatas, quasi intus inclusam habuisset rationalem animam.

*Aul. Gell. lib. 10. c. 12.*

Theodoricus Rex Ep. ad Boëtium] *Æneus anguis insibilat, anes simulate fritinniunt, & quæ vocem propriam nesciunt habere dulcedinem probantur emittere cantilenæ.*

*Ex Suida, Seruio & Iulio Pomp.*

Deus tonat ac fulminat, faciunt & homines, & nun-

nunquam magis quam iam Salmonius rex Theſſaliæ non contentus olim regio honore, Deus videri voluit, quo vt pertingeret in Elide ciuitate quadam ſua, iuxta montem Olympi, pontem ſtruxit altiſſimum, regentem magnam ciuitatis partem. per illum currus agebat rotaſq;, equos bene ſufferratos, vt ſic ſtrepitum Iouis tonantis imitaretur, & in quemcunque tædam iacularetur incenſam, illum mandabat obtruncari; vt ſic & fulmina repræſentaret cœleſtia, & perſuaderet ſua vulnera non minus quam Iouis eſſe lethalia. verum exemplar ſuperbi principis, qui & præmium accepit, iuſte tandem de cœlo fulminatus. non enim hic ſuperbam laudamus intentionem, ſed ſolum ingenioſam inuentionem. *ad lib. 6. Æneid. & aliis.*

Virgil. 6 Æneid.] *Vidi & crudeleis dantem Salmonea pœnas,*
*Dum flammas Iouis, & ſonitus imitatur Olympi.*
*Quattuor hic inuectus equis, & lampada quaſſans,*
*Per Graiûm populos, mediæque per Elidis vrbem.*
(in qua ipſe Iupiter præcipuè colebatur.)
*Ibat ouans, Diuûmque ſibi poſcebat honorem,*
*Demens, qui nimbos & non imitabile fulmen,*
*Ære, & cornipedum curſu ſimularat equorum.*

Et quid obſecro tonitrui ac fulmini cœleſti æque ſimile, ac tormenta noſtra bellica ignem vomentia fulmineum, ſternentia quicquid obuium, ſtrepentia ac mugientia vt tonitru? Ah quod iſtorum inuentor execrabilis fulmine de cœlo ictus non ſit, cum Salmoneo, nunquam enim cœleſtia fulmina tantum hominibus ac ciuitatibus quantum iſta nocuerunt: res interim iſtæ diuina hominum ingenia ac omnipotentiæ ſimilitudinem pulchre declarant.

Inſuper Deus omnia videt, ſub pedibus, throno ſe non mouent. ſimile quid imitatus eſt Rex Perſarum, *Sapor ni fallor qui machinam ſtruxit vitream, eius magnitudinis vt in centro eius ſedens, tanquam in ſphæra ac corbe, aſtra videret ſurgentia cadentia, adeò vt mortalis omnem ſublimitatem, ac immortalitatem attigiſſe videretur. * al. Sabot.

Quid homo diuinius concipere potest, quam Regem mundi Dominum, post terræ ac maris possessionem, astra ac cœlos & diuinum domicilium obsidentem.

Theodoricus Rex Ep. ad Boietium] *Hæc fecit secundum solem in Archimedis sphæra decurrere, hæc alterum Zodiacum circulum humano consilio fabricauit, hac lunam defectuoso suo reparabilem artis, illuminatione monstrauit, paruamq; machinam grauidam mundo, cœlum gestabile, compendium rerum, speculum naturæ ad speciem ætheris indeprehensibili mobilitate volutauit.*

Deus montes de loco in locum potest transferre, deprimere excelsa, vallesq; eleuare. Archimedes Syracusanus, iuxta Plutarchum, tantus fuit artifex et fretus demonstrationibus suis, apud Hieronem Regem cognatum sibi, sponderet si in mundo alia quædam terra aut vacuum daretur satis magnum, quod illuc translatus totam ad se traheret continentem quam ambulamus. Christus Iesus promisit etiam suis si fidem haberent, vt granum sinapis, dicerent monti transfer te in mare, nec fore mandatum irritum. Accidisse hæc inuenimus S. Gregorio Episcopo Neocæsarienſi: sed omitto miracula, de natura tantum acturus & industria humana. Archimedes vt specimen daret promissi, ad instantiam eiusdem Hieronis Regis opus effecit admodum mirabile. solus enim vnica manu ansam ac manubrium arripiens machinæ sine multa vi, nauem regiam hominibus ac mercibus onustam facillime ad se promouit, quam exoneratam multi homines non nisi cum maximo labore in mare retraherent, idque ipse non secus quam si catellum loro duxisset. quod idem Baptista Leo, magnus nostri temporis Architectus, si regum quis sumptum facere velit, efficere promittit. Deus potuit in aëre aquam ac terram sine fulcris suspendere. *Quando librabat fontes aquarum: qui fundasti terram super stabilitatem suam.* Prouerb. 8.

Imitatus est idem homo suspendens cupidinem æneum in templo Dianæ, sine catenis, sine funi-

*Plutarch. in Marcel. to. 1. vit.*

*Hic vel Deus terrenus, mechanico artificio sphæram vitream fecit, in qua mira conuersione dissimiles motus circulorum visebantur. Claud. Percurrit, proprium mentitus signifer annum, Et simulata nouo, Cynthia mense redit.*

bus

bus, vt Rex Theodoricus docto scribit Boëtio, & Mahometani similiter, ferreum Mahumetis loculum, inter magnetes medios in quodam suo templo pensilem librarunt. Deus vbique necessario adest. *Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum ades:*

Nec hoc potentiam omnino excedit humanam, secundum modum aliquem. Mercurius Trismegistus dignitatem hominis describens, ac celeritatem spiritus plane diuinam, hoc modo Tatium filium suum alloquitur: Quid esse te putas? quem thesaurum membris tuis contineri? Præcipe animæ tuæ, vt Oceanum transeat iam dicto citius ibi fuerit, loco tamen non emota. *Ambulat super pennas ventorum, & fulminis ocior alis.* Præcipe, vt in cœlum euolet, iam sine alis illuc euolarit, non habitura vllum obstaculum, non solis ardorem, non aeris spatia, non cœlorum cursus, ac reuolutiones, penetrat omnia, *gratia Dius animo quolibet ire licet*, dicit quidam veterum. *anima quæ maior pars est, hominis conuersatio est in cœlis,* dicit Arnobius. *Ouid.* *Ouid. 1.* *Arnob. in Psal. 76.*

Deus remittere potest peccata? *quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Possunt idem & homines, sacerdotes nimirum, ministri Dei. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, ac, *præcedit sententia Petri, sententiam cœli*, vt Petri decretum prius sit, vltima cœlestis parlamenti sententia, quæ nunquam illam reprobat aut irritat. Angelis hæc potestas non est: quid igitur restat, cur hominem non appellemus Deum, aut perfectissimam Dei imaginem, & per consequens creaturam excellentissimam. *Magni diuini opus Alcimedontis.* *Luc. 5.* *D. Bern.* *Virg. Bucol.*

## III.

### *Quod homo maximi pretij res sit, propter glorificationem per incarnationem filij Dei ac redemptionem.*

AD hæc quis ignorat beneficia gratiæ & gloriæ (quæ quidam participant semper; quidam, pro tem-

tempore ſolum, boni ſcilicet & mali; quidam, vt ſoli boni, poſſident perpetuo) hominem reddere magis ſpectabilem (ac prope angelis adorandum) quam beneficia naturæ, incomparabilis omnium hominum gloria eſt, bonorum ac malorum, pro omni tempore, quod Dei filius naturam ipſorum aſſumpſerit, frater quaſi ac compar ipſorum factus. *Nuntiate fratribus*
Matth. 18. *meis*, dicit in Euangelio, ac per incarnationem iſtam fecit, vt homo exinde familiarius ad Deum poſſet accedere, liberius cum maieſtate ipſius agere, cum minore etiam circumſpectione quam Angeli. Angeli enim nunquam cum Deo agere poſſunt, niſi vt famuli, recognoſcentes ſemper ſummum ſuum dominum, & hoc cum timore & tremore. *Si ego Dominus, vbi eſt timor meus?* ſed homines non in iſta ſolum conditione, ſed ſimilitudine tanquam proxime accedentes (quid enim fratre propinquius) & hoc quia homo factus eſt, ſicut & nos, & totus nobis ſimilis
Gen. 37. ſine peccato, os noſtrum, & caro noſtra, *frater enim, & caro noſtra es.* Adeo vt dicere poſſimus Dei filio, quod Adam vxori cum dormiret, ex ſe efformatæ. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Ange-
Heb. 2. lus autem nunquam factus eſt. *nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, & quando ipſum oramus, vt nobis ſit mediator, id eſt, officio ſuo fungatur pro nobis ad patrem, poſſumus eadem oratione ipſum compellare, qua Abraham vxorem, cum gladium declinare vellet Ægyptium,
Gen. 12. *Dic, obſecro te, quod ſoror mea ſis, vt bene mihi ſit, propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.*

Gen. 1. Dic ô mediator noſter, dic animarum noſtrarum ſponſe dilectiſſime, dic patri tuo, quod frater noſter ſis, vt bene ſit fratribus tuis propter te, & ne iraſcatur, quod preces tuæ ſint inſtantes, non enim videtur, frater pro fratre vnquam poſſe orare nimium. Et ſi forte noſtris peccatis offenſus ſit, nobis hic mediator magna familiaritate poſſumus ipſi reconciliari, ac redire in gratiam per ſuaue fraterni-

ternitatis nomen, ac dicere, quod olim Abrahamus ad Loth: *ne quaeso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos, fratres enim sumus.* Quo priuilegio nunquam vti possunt Angeli, ad mediatorem nostrum, & restauratorem communem. Hoccine igitur dilectissimi paruum est, quod hac incarnatione acquisiuimus?

Quid dico? propter incarnationem hanc Angeli magis nostram, quam suam mirantur naturam: vident enim eam cum Deo suo personali vnione coniunctam, sedentem supra se à dextris Dei patris: cui curuare debent genua, à quo iudicabuntur. *Nescitis, quia Angelos iudicabimus?*

Diuus Chrysostomus serm. de ascensione Domini tom. 3. *super haec omnia natura nostra eleuata est, vt homo qui loco tam humili tenebatur, vt descendere non posset vlterius, ad tam excelsam sedem eleuaretur, vt altius non posset ascendere.*

Nec tantum θεάνθρωπον supra se vident, sed personam aliquam mere humanam, nec eam quidem nobilioris sexus, sed inferioris. Virginem pariter & matrem Dei eleuatam in cœlo, supra ipsorum choros, propter dignitatem maternitatis suæ. Incarnatio denique hæc tantum nos inaltauit & adauxit, vt quamuis Christus non proprie dicatur redemptor Angelorum, sed solum restaurator, gloriari tamen possimus inter Angelos, quod hæc ipsorum restauratio, sine nobis esse non potuerit: sine Christo Iesu, scilicet, Deo ac homine.

Nostra vero redemptio, per nos facta est, (per hominem scilicet nostræ naturæ,) sine ipsis: ipsi enim nihil proprie contulerunt, nisi solum internuntia quædam, ac intercessiones, & similia. Si CHRISTVS IESVS nihil egisset vltra, quam quod natus in mundo exhibuisset se, & conuersatus fuisset nobiscum triginta tribus annis & dimidio, quibus vixit. *In terris visus est, & cum homi-* *Baruch.*

*Scot. in 3. dist. 7. q. 3.*

*hominibus conuersatus est*, reascendens in cœlum, nihil pro redemptione nostra passus. Nam vt sentit doctor noster subtilis, etiamsi Adam nunquam peccasset, incarnatus equidem fuisset, sed impassibilis (cui sententiæ accederem & ego, tanquam subtilior, nec pietati contrariæ, nec benignitati diuinæ, qua adeo exhibuit liberalem, ad redemptionem nostram, non solum ad glorificationem Christi Iesu, sed & sine Adæ peccato factus fuisset homo, sine defectibus, sine passibilitate, sine subiectione mortis; superueniente autem peccato venit quidem peragere glorificationem prædestinatam, sed cum alio plane apparatu, quam alioquin non erat habiturus, miserabilis scilicet, sicut nos, pro nobis subditus morti) si inquam, pro nostra natura nihil fecisset aliud, quam quod natus fuisset homo, ac postmodum reuersus fuisset nihil passus; debuissemus ipsi tamen quam plurimum, pro tanto nobilitatis additamento, quod scilicet hominem fecisset Deum, ac ita illum sociasset, semper secum permansurum. *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit*, dicit Iohannes Damascenus, tam caram habuit miseram nostram naturam: *deliciæ meæ, esse cum filijs hominum.* Si homo magnifacit, quod Rex pauperibus se iungat, aut nobilis alicuius minoris ædes adeat humiles ac ignotas: si inter cætera ordini nostro facta à Deo beneficia, calculo notemus cãdido, quod Reges nonnulli post tractata sceptra, quod filij & filiæ Regum nati, saltem ad regna abiectis coronis, ac sceptrorum spe, habitum hunc sumpserint gryseum, contemptum, hunc pœnitentiæ saccum fratres facti minoritis fraterculis, inter quos de medio grege nonnulli (& quid ni tanto numero:) Si Societas B. Patris Ignatij de Loiola vehementer extollit, & inter celebria suæ societatis bono iure computat, quod

*And Scot. lib. 1. vitæ eius, c. 1.*

Franciscus Borgia, Dux Candiæ, istius nominis quartus, aliquando se sociauerit ipsis, ac post ingressum societatis, tertius ipsorum sit factus Generalis. Vel si Rex aliquis exhilarare se volens, cum mediæ fortunæ ciuibus, abiecto sceptro purpura, diademate, vestitus

larua-

laruatusque ciuiliter, saltet cum ipsis: viderentur enim ciues isti, rationem habere magnæ iactantiæ, ac magnifice de se sentiendi, quod Rex ipsis permixtus ad pauculas horas ita conuixerit. At quem honorem opinari debemus, nobis habitum à Deo, quod homo nobis similis factus sit, abijciens quasi & annihilans magnitudinem suam immensurabilem, (*exinaniuit semetipsum*) personatus nostra humanitate, *habitu inuentus vt homo*, triginta tribus plus minus annis nobiscum diuersatus? O nobilitatem nostræ naturæ, ab illa demum hora! Deo sumus sociati, eius sumus affines, cognati, fratres; homo deificatus est. Hoccine tibi parum: qui terræ antea eras vermiculus: sed nec ibi substitit bonus Dominus. Multo te fecit digniorem, quia te perditum tam care redemit, *non corruptibilibus auro vel argento*, lytris ordinarijs etiam magnorum Regum, sed pretioso sanguine, vita, ac seipso: ô lytrum incomparabile, pro vermiculo terræ, vt te seruitute liberaret, seruus pro te factus est! *Formam serui accipiens*, dicit S. Paulus: *Seruire me fecisti in iniquitatibus tuis.*

Isa.] *Vere languores nostros ipse tulit.*

Idem.] *Disciplina pacis nostræ super humerum eius.*

Psal.] *Quæ non rapui, tunc exsoluebam.*

Vt tua redimeret debita, ipse exutus est, *quæ non rapui, tunc exoluebã*, vt tuam seruaret vitã, tam turpem, tam lentam, tam grauem, quam nosti sustinuit mortem, vt te cruci eriperet, debitisque supplicijs, ipse in crucem sublatus ac suffixus est, vt latronum Princeps inter latrones, vt tibi Paradisum restitueret, pœnas aboleuit mille infernorum, ac mortuus est, ad inferos descendit. In summa, se pro te dedit, Deum pro homine. *Tradidit semetipsum pro me*, vnum pro omnibus, *expedit vnum hominem mori pro populo*, (verum quidem) *vnum pro multis datur caput.* Sed etiam pro vno, si enim vnus homo fuisset recuperandus, æque pro vno se tradidisset, *empti igitur estis precio magno.* Qui videre volet, quid vnus homo valeat, eat ad dominicæ passionis æquilibrium, eat solum, videbit ibi sine

fraude

fraude, videbit Deum in lance vna, hominem qua correſpondens pondus in lance altera, videbit quo vt hominem ſolum reciperet, Deus ſe tradiderit, vt hominem ſaluaret, Deus ſe perdiderit. O miram hominis nobilitatem! O ineffabilem Dei bonitatem! Quis eſt Rex, qui pro gregario milite ſeipſum dare in lytrum? imo quis eſt Rex, qui exire de captiuitat velit permutatus ſimplici milite? ſi tamen hoc au illud fiat, nonne tanti faciamus commutatitium militem, quam Regem? quis dubitat? Cum igitur Deus ſe det pro homine, homo cum Deo eiuſdem apparet valoris, tanti res valet, quanti emitur. Ecce equum dicimus, ſcutorum quingentorum: infero ſtatim, oportet hunc gradarium eſſe Neapolitanum, aut generoſum ſane caballum, dignum qui expuncto Bucephalo ſeruiat Alexandro. Ecce pannum aiunt homines coronatorum quatuor, infero ſtatim, melioris igitur notæ eſt, maxime ſi emptor monetæ ac mercium habeat notitiam: alioquin enim, vt gallus de gemma in ſterquilinio inuenta, quam grano tritici poſtponit, cenſeret. ſed ecce, fides nos docet, quod pro homine Deus ſe dederit, & certiſſimum eſt, quod Deus hominem ita care redimens, & valorem pretij & rei emptæ pernouerit. Concludendum igitur hominem inæſtimabilis eſſe pretij, cum Deus quicquid habet, & ſeipſum pro eo dederit. *Inuenta vna pretioſa margarita, dedit negotiator omnia ſua, & comparauit eam.*

Hoc inſuper maiorem mihi adfert ſtuporem quod cum homo deliquerit, & Angelus, Angelus etiam in paucioribus, ſemel enim tantum offendit, homo ſæpius etiam poſt peccatum originale, Angelus cogitatione ſolum & conſenſu, homo etiam operatione & affectu: redimere nihilominus voluerit hominem, & extrahere de barathro, quo ſe præcipitarat. O Deus quam inſcrutabilia ſunt iudicia tua, & ininueſtigabiles viæ tuæ, maxime nobis homuncionibus. Denique vt nihil dicam de intima per ſanctam communionem coniunctione, dico ſummo iure, notitiam

titiam nostri & nostræ excellentiæ efficaciſſimum eſſe, vt nos frænet & cuſtodiat à peccatis, & vt erigat, quando cecidimus. Concludam igitur aureis S. Leonis verbis:

D. Leo ſermone 10. de Natiuit. Domini.] *Agnoſce ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem, degeneri conuerſatione redire. Memento cuius capitis, & cuius corporis ſis membrum. Reminiſcere, quod ſis erutus de poteſtate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum.*

Pſal. 44.] *Specie tua & pulchritudine tua, intende, proſpere procede & regna.*

Iob 5.] *Viſitans ſpeciem tuam non peccabis.*

CON-

# CONCIO SEPTIMA.

*Græca.* 7. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν εἶπε.
*Vulgata.* 7. *In se autem reuersus, dixit.*
*Syriaca.* 7. *Quumq; ad se redijsset, ait.*

## ARGVMENTVM.

*Dicemus hodie.*
1. *Quod Christus Iesus pauculis verbis, in se reuersus, res significauerit pulcherrimas, & quas.*
2. *Qui desiderat reuerti ad Deum, debet ab alijs se excutere occupationibus.*
3. *Vnde sit, quod Deo simul & mundo vacare non possimus.*

## AVE.

### I.

*Quod Christus Iesus pauculis verbis, in se reuersus, res significauerit pulcherrimas, & quas.*

ELoquentes apud Græcos, & nos habentur maxime, qui parua possunt attollere, & de rebus exiguis magnos quasi montes & miracula proloqui. Apud Lacedæmonios autem contra maxime laudati sunt, qui plurimum rei, scientiæ, ac substantiæ paucissimis verbis concluderent. Merito equidem. Si enim eloquentiæ, pictutæque aliqua sympatia est & conuenientia, vt reuera est, ac parua subtiliaque, qualia sunt Calicratis, plurimi fiunt opera; qui currum fecit quadrirotum, cum auriga, quem musca suis expansis operiebat alis: nauim etiam cum omni suo apparatu, adeo minutim, vt paruæ auiculæ tegeretur pennis: Si imagines magnæ, in paruam incilæ gemmulam, vt in annulo ac si

ac signaculo claudantur, artis plus habent, quam muscæ ad Elephantis, homines ad Colossi Rhodij facti magnitudinem, inter cuius pedes naues passi, transibant velis; & si nostro tempore pluris facimus delineatum hominem in arcta breuiq; chartula ad viuum, quam in spatiosa & iustæ magnitudinis tabula: videtur sane etiam ille habendus disertissimus, qui plurima paucis verbis claudet, (vt qui Iliadem in nuce, quadrigas sub musca) illiq; præferendus qui pauca multis dixerit. Quidni? hoc enim est magnates imitari (ad magnos Principes breuis oratio, habet prouerbium) & Deum, qui semper in verbis fuit breuissimus? *verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram.* exempli gratia volens Deus complecti omnem fœlicitatem, qua maiorem sub cœlo non possumus comprehendere, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec homo concepit, & significare volens hoc bonum bonis omnibus obuenturum, Audite quam Laconice expresserit: *dicite iusto quoniam bene.* O quantum rei sub verbulo *bene.* Talia & antiqua fuere oracula, *sequere Deum*, & illud quod præcedentibus diebus tractauimus, *Nosce teipsum.* Dico hæc, quia Christus Iesus, tanquam Dei verbum, nostra humanitate opertum, Deus magnus, pater totius eloquentiæ (*nunquam enim sic locutus est homo*) sæpe Laconica hac breuitate oportune, & nominatim etiam in hac nostra parabola vsus est: vbi dicit, *in se reuersus.* Paucis enim istis, Prodigum nobis cum infinitis rebus alijs proponit. Videre vultis? *Primo* eum comparat lunatico, extatico, furioso, cui subinde lucida redeunt interualla, & sensuum vsus qualis ante furiam. Aut ebrioso, vinoq; merso; cui anima ac ratio sepulta est, qui post crapulam ac somnum ad primam reuertitur sobrietatem. *Secundo*, homini grauissimo sopotato lethargo, qui memoriam præteritorum eripit, & causa est somni ac alienationis sensuum. *Tertio*, homini suscitato à morte, postquam iam in cinerem versus, aut quatriduanus in illuuiem diffluxerit, qualis olim Lazarus, cuius corpus primũ miraculose restitutum

*Isaiæ.*

ſtitutum eſt ac anima in ipſum reuerſa. *Quarto*, homini transformato in beſtiam, qualis Lycaon aliquis aut Nabuchodonoſor, à ferina poſtea Dei beneficio ad humanam formã redeunti. *Quinto*, Eurypo alicui ſepties de die, ſepties de nocte æſtuanti, id eſt, decies & quater intra horas viginti quatuor. aut fluminis ſuam tandem repetenti ſcaturiginem. *Sexto*, pixidi nauticæ, aut Zodiaco, duodecim continenti ſigna qui poſt reuolutionem circulumq; abſolutum, conuertuntur vnde inceperat. (hæc omnia ad monſtrandum quod Prodigus noſter vitioſam ſuam decurrerit encyclopædiam, perfecerit gyrum, ac omnia perambularit vitiorum genera.) *Vltimo* omnibus rebus corporalibus & ſpiritualibus, quæ magnam aliquam paſſæ alterationem (vt ſi Luna mutetur in ſanguinem, virga Moſis in ſerpentem, aut animus tranquillus (in vehementem deturbatus amorem ac choleram) poſtea redeunt ad ſtatum priorem. O quam multa paucis verbis comprehenſa! quam diuerſa, quam grandia! quam tanto magiſtro digna! Omnis motus in genere nil niſi tria indicat, terminum *à quo*, terminum *ad quem*, & *medium*.

*Pomp. Mela de ſitu orb. lib. 2. cap. 7.*

In ſe reuerſus igitur dicit; aut quia paſſione *lunatica*, aut extaſi, & rationis priuatione, à turbatione cerebri, à profunda ebrietate aut ſenſuum alienatione, vel potius à ſuo à ſenſibus & anima exilio (quantum ad functiones ſcilicet) redditus eſt ſapientiæ, & ſenſibus; ac per gratiam Dei verum ac præcipuum *medium* ſenſus ſanus, ipſi reſtitutus. *Lux redditamenti*. Ecce vt incipiat iudicare, loqui, agere omnia multo aliter quam ante. *Quod placuit, ſpernit; repetit, quod nuper omiſit. Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua. Paratus ſum & non ſum turbatus vt cuſtodiam mandata tua.* Exin poterit dicere. Sic hæc antiquitus expoſuerunt Doctores.

Vel *in ſe reuerſus* iterum incipiens ratione vti; experrectus de graui peccati ſomno, & vigilans, & excubans, contra peccata noua: ſuſcitatus a lethargo, & profunda Dei, ac mandatorum obliuione: poſtquã iam

iam somnum suum plus satis dormierat, multo periculosiorem quam fuerit magni illius somniatoris Epimenidis, qui dicitur ab aliquibus annos quinquaginta septem & amplius vnum continuum somniasse somnū in crypta; aut septem illorum fratrum dormientium in Epheso, de quibus Nicephorus, & Gregorius Turonensis; aut septem fratrum germanorū, de quibus Paulus Diaconus. Reuersus igitur ab obliuione Dei & legis, ad recordationem Dei sanctæq; eius voluntatis, de crapula sua, ac insania & ebrietate, rediit ad sobrietatem, à scurrilitate, ad honesta opera sermonesq, à præcipiti temeritate, ad veritatis curā; à vanitate eorum quæ tam diu tam stulte tam perdite dilexerat, ad speculationem soliditatis, pulchritudinis bonitatis eorum quæ illuc vsq; oderat. hoc enim scripturæ phrasis importat. sic etiam loquitur de S. Petro vere experrecto, & exeunte de Herodis carcere, vt significet non esse illusionem quandam sed rem veram quod accidebat in illa liberatione. Et Petrus ad se reuersus dixit: *nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni exspectatione plebis Iudæorum.*

*Diog. Laer. li. 1. de vit. philos. in eius vita. Niceph. lib. 4 hist Eccl. ca. 45. Greg. Turo. lib. de gloria Mart. c. 95. Paul. Diac. lib. 1. de gestis Longob. c. 3.*

*Act. 12.*

*Vel in se reuersus.* id est, de morte, in qua prius erat, numeratus inter mortuos, sine gratiæ vita, *reputatus est cum mortuis.* Diutius vtiq; mortuus quam Lazarus (forte pro eius quatriduo quadriennio: quis enim nouit quamdiu lepidus scituſq; homo rebus suis deuorandis, ac in alterius illius seruitio fuerit,) cœpit tandem respirare, motum & signa dare vitæ, etsi necdum eius quæ à gratia gratum faciente est; sed vitæ moraliter bonæ, & iuxta rectam rationem. *In se reuersus.* vsus rationis tanto tempore explosus, ipsi ilico restitutus est, sicut anima in corpus resuscitatum relabitur. *In se reuersus,* id est, incipiens persentiscere nequitiæ suæ & miseriarum aculeos, quod insanis amoribus præcipitatus fuisset in perniciem corporis: Paratus iam confiteri veritatem, ac totam edicere vitæ suæ fabulam, quam illuc vsq; nec senserat, nec confiteri voluerat, illorū instar, qui penitus amore capti, dū feruent ardentq;, & quasi in diebus caniculāribus flammis æstuant.

Plaut. in Ciſtell. Alceſim. adoleſcen. vox eſt.] *Credo ego, amorem primam apud homines carnificinam commentum:*

*Hanc ego de me coniecturam domi facio, ni foris quæ.*

*Qui omnes homines ſupero, atq; antideo cruciabilitatibus.*

*Iactor, crucior, agitor, ſtimulor, vertor in amoris rota miſer:*

*Exanimor, feror, differor, diſtrahor, diripior;*

Omne tormentū in amore eſt, & ingenioſius quā vnquam Phalaris excogitare potuit. Si enim amatores iſti, ac pulchritudinis idololatræ, pro Dei ac virtutis amore dimidium iſtius ſuſtinerent, quod pro Amaſiis procacibus libenter tolerant, Martyres in cœlo ſederent glorioſiſſimi, cum iam tantum martyres fiant Diaboli, tranſeuntes à temporalibus ſupplicijs ad æterna. Nihil tamen illi horū ſentiunt, ob phreneſis violentiam, aut ſi ſentiunt aliquid, intra ſuum illud conficiunt animum, nō gemunt, non confitentur, donec ad dilucida redierint interualla, ac ab amore abſoluantur vt iam noſter Prodigus *in ſe reuerſus.*

*Daniel.*

*Vel in ſe reuerſus*, id eſt, à via brutali, quam hactenus vixerat, quaſi beſtia, vitam inchoauit aut facto aut voto rationabilem, denuo verſus in hominem. *Figura mea reuerſa eſt in me*, conſuetus illuc vſq; nihil cogitare, nihil ſomniare, niſi terram vt beſtiæ: Attollere cœpit oculos, & animum in cœlum & cœleſtia, vt homo quem natura à terra ſurſum erexit, vt cœlū ſuſpiciat. De lupo aut porco quem illuc vſq; vixerat, diuina metamorphoſi per pœnitentiam in hominem transformatus. Ex beſtialibus abſurditatibus videte ipſum in pulchrum transformatum hominē: à pulchra enim ac naturali rectitudine, miſerabili caſu, in innaturalem ac impropriam animæ deformitatem inciderat, inquit Caietanus, *hæc mutatio dextera excelſi.*

*Ouid. lib. 1. Metam.*

*In noua* fert animus mutatas dicere formas,*
*Pectora, dii cœptis, nam vos mutaſtis & illas,*
*Adſpirate meis.*

* al. corpora.

Vel

Vel *in se reuersus*, id est, post tantam voluntatis inconstantiam, post tot diuersas & aduersas quas habuerat concupiscentias, postquam sc. cogitare cœpit de deserendo patre, tandem ad fi ialem redijt amorẽ, ac στέργην, rediit ad fontem, volens conciliari patri, illi adhærere, illi vt filius seruire quemadmodum ante fugam fecerat.

*Vel in se reuersus.* id est, redditus sapiens, post orbẽ peragratum; tanquam sol reuersus ad horizontẽ matutinum absoluto peccatorum suorum circulo. *Omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meũ, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaueram.* Post singula Zodiaci perambulata signa, ac influentias eorum infelices ac sacinorosas, *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ: vbiq; relinquamus signa lætitiæ.* Reuersus post hæc ad punctum vnde exierat, iam falsas vltra non appetens voluptates, sed satur nauseans & & fastidiens nimiæ crapulæ & gulæ excessus voluptatum copia; columba simplicior, ignorans & nesciens quales illę fuerint. *vel in se reuersus*, id est, redactus ad primam impotentiã, inidoneus mundo, lassus exhaustusq; malis exercitiis; inhabilis in posterum ætatis pondere, fatiscens, fractusq; flagitijs, relapsus ad pueritiam sterilem & effœtam & (vt verbo dicam) *repuerascens?*

*Ecclesi. 2.*

*Sap. 2.*

*Vel in se reuersus.* id est, à studijs & scientijs externarum rerũ vt astrorum, illorum quæ supra, quæ infra, quæ circa nos: quorum inuestigatio curiosa magis, quã fructuosa, reuersus ad studium, & notitiã sui. Aut publicanus, homo negotiationibus intricatus, sarcinas cum quæstu ac lucris seponens, translatus ad nagotia animæ & conscientiæ ac vitæ illuc vsq; vitiosæ. O pulchrum reditum! O fœlicem transitum! O beatum studium!

Hugo lib. 1. de anima c. 12.] *Conscientia, est cordis scientia. Cor enim & se nouit sua scientia, & multa alia. Quando nouit se appellatur conscientia: quando præter se, alia, nominatur scientia.*

D.Gregor.lib.2. Dial. c 3.] *Quoties per vagos motus eximus, nos ducimur per cogitationes & opera, & nobiscũ non sumus: quia nosmetipsos minime videmus: sed reuertimur, dum ad conscientiæ interiora mente redimus.*

Vel *in se reuersus*, id est, tanquam viator ex remotissimis amoribus, peregre ad obseruantiam castitatis reuersus, compulsus virium defectu, mediorum iactura, sentiens iam aliquam affectuum mutationem. Vel *in se reuersus*, id est, mentẽ ac cogitationes vagas, mundanis rebus occupatas recolligens nonnihil, & intra cubiculum continens, *in conscientiæ interioribus*, versaturus in posterum circa curam & œconomiam interiorum, dispositionem animæ: dicens, *Ah quam multi mercenarii &c.*

Illuc vsq; enim Prodigus (tanquam totus amator) & publicanus (tanquam totus in negotiis) animam habuit itinerariã erroneã magis ibi vbi amabat quam vbi animabat, iuxta commune illud Philosophorum, *Anima magis est vbi amat, quam vbi animat. Et amans, mortuus est in corpore proprio; viuit autem in alieno.*

Ac ideo vocandus *amens* potius, quam *amans*: aut saltem Epitheton *amentis amantibus* deberet esse perpetuum. nam *amantes amentes*

Plautus in Ciftell. vox est Alcesimarchi adolescentis] *ita nullam metam animi habeo: vbi sum, ibi non sum: vbi non sum, ibi est animus.*

Verba sunt adolescentuli amantis: quasi diceret, vbi corpus est, ibi anima quidem esse deberet, non est tamen; & vbi corpus non est, scilicet apud illam quã ambio, sum tamen affectu & cogitatione. *Oculus tuus depredatus est animam meam, dicit quidem.* Et Tertius quis. *Oculi tui me auolare fecerunt*, hoc habet philosophia popularis. Quid dico? popularis; imo & diuina, Dominus enim dicit, *vbi est thesaurus tuus ibi & cor tuum.* Qui quærit corda sicut qui venatur cuniculos, nusquam illa melius inuenit quam vbi pascunt, locisque quibus magis delectantur. Nonne quod dicimus experientia quasi manu iniecta ostendit? Legimus de

de nostro S. Antonio de Padua (homine tam sancto vt ipse S. Franciscus, Prælatus eius, Episcopum suum appellaret) quod tempore quodam de vsura verba faciens dixerit vsurarij amicis vt scrinia ac loculos eius visitarent, inuenturos ibi absq; dubio inter medias pecunias cor captiuum: nõ enim residere taliũ corda in ipsis hominibus fecerũt vt dixerat, inuenerunt vsurarij cor in medio æstuans argento, quod ita in vita sua amarat. *Bartholomæus Pisanus lib. 11. conformit. fructuum. q. de S. Antonio Paduano fol. 59. col. 1. Surius in vita S. Antonii Paduani tom. 3. p. 619.*

Nostri Prodigi igitur anima quam ipse apud amata magis, quam apud se deposuerat, in locum suum, in se reuersa est, significans se iam abrenuntiare amicarum amoribus, & inchoare amorem sui, amorem bene ordinatum, quasi dicamus Publicanum non amplius cor habere concluſum in cista: Voracem ac abliguritorem non habere amplius animum in patinis, comptulum in vestimentis, peccatorem in solitis peccatis, sed in virtutibus contrariis. Nondũ quidem *sophus*, id est, *sapiens* sed *philosophus*, id est, *amator vel studiosus sapientiæ. Vel in se reuersus*, id est, homo interior in externum suum intrans hominem; Existis enim Christi verbis, duos in vnoquoq; discimus latere homines: internum ac potiorem, qui anima est; & externum custodiam quasi & receptaculum, ac inuolucrum animæ, vilioremq;, qui corpus est. duo in vno, *duo in carne vna, rota in medio rotæ.* *Genes.* *Ezechiel.*

Constat homo duabus partibus optime inter se connexis; anima scilicet & corpore anima vero aliquando abesse à corpore dicitur quando functiones non obit ad quas ab Imperatore suo, in ista statione collocata est; dicitur q; iterum reuerti, quando officio suo fungitur; non tantum animans & viuificans, sed prudenter etiam gubernans.

Deus bone quot vnius rei expositiones! Nonne videtis initio recte à me dictum, Christum Iesum admirabilem esse in breuitate? Et hic nominatim, sub

hac sola metaphora *reuertendi in se*, quot pulcherrimos videtis latere conceptus? Quis dare potest peccatorem vnum, qui hic non insinuetur, *in se reuersus*. Montes & miracula peccatorum huc adferri possent. Quomodo peccator somniator sit, lethargicus, imperitus, *omnis peccans ignorans* (etiamsi sibi sapiens ac nasutus videatur, oculatior Argo, circumspectior Iano, vigilantior dracone, quem ad hortos hesperidum & aureorum pomorum custodiam excubare fabulantur) quomodo stertat multo periculosiorem somnum, quam vnquam conclauatus Sisera, obtruncatus Holophernes; sepulti Troiani: sopore enim ipsorum, corpori solum attulit necem; peccatorum vero somnus internecionem animæ, & non raro etiam corporis.

*Nate Dea, potes hoc sub casu ducere somnos?*

Quomodo peccator lunaticus sit, furiosus, lymphatior Medea suos cædente liberos; furiosior Oreste, cædente matrem; ipsis deniq; infernalibus furiis feriatior. *Furor illis secundum similitudinem serpentis.* Psal. Sine Dei notitia, sine intellectu, sine ratione. *Nescierunt neque intellexerunt in tenebris ambulant.* Etiamsi nonnulli per interualla lucida, Socratem aut Catonem agere videantur. Nam si Regio edicto sapientes omnes in vnam iuberentur concedere partem, stulti in alteram; omnes ad sapientes transirent: ita totus mundus ad stultissimos vsq;, arrogare sibi vultius & opinionem sapientiæ.

Quomodo etiam peccator putidum sit cadauer, nomen solum & vmbra viuentis, phantasma, spectrum, etiamsi videatur sensu ac motu apprime valere.

Apoc. *Nomen habes quod viuas, & mortuus es. Vidua quæ in deliciis est, viuens mortua est. Si secundum carnem vixeritis moriemini. Similius quidam id tantum se temporis vixisse censuit, quo sibi vixerat. Non enim quo se neglecto Imperatori, & Reipub. vixisset.*

Quomo-

Quomodo peccator, si modo viuat, non homo, sed bestia sit; etiamsi hominem præferat, ac magnum quid ostentet, & ex ratione agere, cum reuera laruam tantum portet, ac externam hominis speciem.

Quomodo totus seruiat concupiscentijs carnis, anima quasi careat. *Sola ciuitas plena populo.* Quod anima ipsius amori dedita, instar lemurum spectrorumque oberret vaga, etiamuis ipse sibi persuadeat, plane se spiritualem esse, ac blasphemare audeat, se, quia bonum spiritum habeat, amore, qui spiritus est, non lædendum.

Quomodo nimium implicatus rebus externis perpetuo peregrinus sit (*mali vbique præterquam setum*, dicit Seneca:) ac vagus erro, etsi alioquin inter honoratiores numeretur ciues, nec domo exiens, nec sede motus magis quam agrorum termini: vere discursator, nihil æque, atque tectum suum perosus, tractans nuptias, conuiuia, conuenticula. *Talibus mens est semper peregrina: semper animus, semper aures peregrinantur.* Dimidij homines, imo qui viliorem tantum valent partem, corpus scilicet, caro enim sunt, sicut contra boni spiritus, *non permanebit spiritus meus in homine, in æternum, quia caro est.*

Quomodo denique Eurypus sit, ac ipsa inconstantior inconstantia. Quod proprius ac naturalis hominis situs sit, dorsum creaturis, faciem Deo obuertere: sicut vultus in speculo repræsentatus, suum semper respicit authorem: & vt flos semper respiciens solem, à quo producitur. Noster autem Prodigus tam diu inuerso collocatus situ, dorso scilicet in Deum, vultu in creaturas porrecto, dicitur à Redemptore nostro restitutus in pristinum, priscamque formam. *In se reuersus.* Postquam statuit positione distortum caput, rursus in Deum erexit, vt exinde eum cognosceret, & diligeret. *Fecisti me Domine ad te,* dicit S. Augustinus: *sed peccatum est auersio à te, & ad creaturas inordinata conuersio,* dicunt Theologi. Deus creauit nos, vt suspiciamus ipsum, sed peccata detorquent nos, vt immoderate despiciamus in creaturas.

*D. August. initio lib. 2. Conf.*

O magnam iliadem intra modicam nucem, magna mysteria sub paucis verbis, *in se reuersus.*

II.

*Qui desiderat reuerti ad Deum, debet alijs se excutere occupationibus.*

SEd hic bene notandum: quod, si iuxta vnam prædictarum expositionum, *in se reuersus sit.* postquam publicanus aliquantulum loculos & quæstus negotia deposuerat, Deum cœperit cogitare, & suam conscientiam: non esse infimum gradum ad vitæ perfectionem, aliquantulum recedere à turba occupationum. Certe quicunque vel modicum in spiritualibus negotijs versati sunt, idem plane quod nos sentiunt. Ipse in primis Deus præcipiens, si quis ipsum nosse velit, in otio isti rei intendat. *Vacate*, inquit, *& videte, quoniam ego sum Deus:* & notanter, quando instituit Sabbatha his vacari ab omni opere, quia ipse illa die recognosci voluit, ac tum studiosius nostris conscientijs dari operam. Quod *Sabbathum*, in scripturis dicitur, *delicatum*, Deo dilectum. *Sabbathum septimus dies: otium ille quidem corporis, sed spiritualium occupationem multiplicem complectebatur.*

*Suidas in historicis. dict. Sabbathum.*

Dicit Suidas. Adhæc: quando voluit Sacerdotes & Leuitas viuere de publico, Decimis, Primitijs, Oblationibus, ne rebus occupati familiaribus, minores fierent ad diuina seruitia; vt plus haberent otij, vacandi legi, & discendi, custodiendique eam, ac docendi: quod idem Reges plures sic obseruarunt. Rex Ezechias, de quo dicitur: *Præcepit Ezechias populo habitantium Hierusalem, vt darent partes Sacerdotibus, & Leuitis, vt possent vacare legi Domini.*

*2. Paral. 31.*

Eodem modo & Pagani suos habuerunt sacerdotes & sacrificulos. Numa Pompilius, secundus Romanorum Rex, cum virginum Vestalium primum Romæ instituit collegium, salaria & victum illis de publico assignauit, vt melius intenderent ceremonijs Vestæ, & ante illum Pharao Rex Ægypti (qui vixit tem-

temporibus Ioſephi Patriarchæ) eodem modo ſuos aluit ſacerdotes: in generali etiam illa fame, vt nec agros ſicut reliqui grauare aut oberrare cogerentur, ad frumenta percipienda de Regis granarijs: audite verba ipſa. *Præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis, quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis, præberentur, & idcirco non ſunt compulſi vendere poſſeſſiones ſuas.* Geneſ. 7.

Conſtantinus Magnus, quamprimum à Paganiſmo ad Chriſtianum tranſit, clerum & eccleſias ſtatim magnificentiſſime dotauit, vt ab inde collegia & monaſteria, præbendis quaſi certis perpetuiſq; eleemoſynis fundarentur. Ac ordines mendicantes, quod panem ſuum quotidianum, neceſſariaſque eleemoſynas, quaſi in diem deſcendens manna, cælitus accipiant, inde tantum eſt; quia non ſatis vacare poſſent rebus diuinis, ac conſcientiæ, quam debent ſeruare puritatem, ſi neceſſaria deficienti alimonia, negotijs & curis vitæ animum deberent applicare.

Magnus Conſtantinus etiam amplius quid addidit, expreſſis enim litteris Auelino Prouinciæ præfecto mandauit, vt omnis clerus miniſterijs publicis eximeretur, ne in ſancto diſtraheretur ſeruitio: nam reuera *officia officijs officiunt*, vnum impedit alterum. Ecce litterarum Conſtantini tenorem ex Euſebio Cæſarienſi.

Euſeb. Cæſ. hiſt. Eccleſ. lib. 10. cap. 7.] *Viſum eſt, vt illi homines, qui debita cum ſanctimonia, & aſſidua legis diuinæ obſeruatione, ſua miniſteria huic diuinæ religioni excolendæ impertiant, Auiline honoratiſſime, pro laboribus ſuis digna præmia reportent. Quare eos qui in prouincia tua ſibi concredita in Eccleſia catholica, cui Cecilianus præeſt, tuæ ſanctæ religioni ſedulo inſeruiunt (quos clericos nominare ſolent) ab omnibus omnino communib. & ciuilib. Reſrompub. miniſterijs, immunes ac ſolutos volo: & nullo modo per errorem, vel per ſacrilegam ac profanam prolapſionem, quæ in huiuſmodi negotijs accidere ſolent, à cultu diuinæ maieſtati debito abſtrahantur, ſed abſque vlla moleſtia propriæ legi obſequium præſtent.*

Quare

Quare prohibuit suis, Christus Iesus cibi, vestimenti, crastini diei anxiam, solicitudinem concidens. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & omnia hæc adijcientur vobis* : Nisi quia solicitudines impediunt nos à vacatione & inquisitione regni cœlestis, & iustitiæ eius. Ac idem Dominus nonne monstrauit satis, quantum solicitudines & cura seculi nostram salutem retardent? Cum in parabola seminante ait: *semen, quod autem in spinis cecidit, sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur, & non referunt fructum.* Luc. 8.

Insuper quando, in gratiam Mariæ Magdalenæ, vni rei intentæ, dixit sorori, domesticis occupatæ negotijs: *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima, porro vnum est necessarium*, cura scilicet conscientiæ, salutis animæ. Nonne declarauit satis distractiones, curasque illas impedire studium, circa illud quod solum absolute est necessarium; salutis nimirum animæ, *vnum hoc, hoc vnum est necessarium.*

S. Paulus etiam non minus demonstrat, quantum huius mundi occupationes saluti obsint, dicens: *Nemo militans, Deo implicat se negotijs secularibus: vt ei placeat, cui se probauit.* 2. Tim. 2.

Cuius signis nomen dedit: non magis quam stipendiarius miles, qui sacramento obstrictus imperatori, dimittit iam familiaria negotia, nec agrum exercet, nec mercaturas, sed viuit, aut viuere debet sine virtus ac vestimenti cura: totus intentus, vt victoriam promoueat Imperatoris, relicta Imperatori cura stipendij; qui obligatus est necessaria vitæ procurare militibus. Sic quicunque Deo strenuum se probare voluerit in diuinis officijs, in animæ cura, non se diuersis vltra ingerat mercimonijs, sed excutiat, quantum potest æstum, varietatem, turbamque negotiorum. Atque cum ad suadendam virginitatem allegat commoditatem cogitandi diuina; quod virgo sui iuris sit, sine marito, sine filijs; nupta autem diuisa, distracta inter mundum & maritum, nonne sa-

tis

tis commonstrauit res illas detinere animum, quo minus ad cœlestia & spiritualia euolet. *Volo vos*, dicit ille, *sine solicitudine esse, qui sine vxore est, solicitus est, quæ dmin sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & cuius est. Porro hoc ad vtilitatẽ vestrã dico, non vt laqueũ vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat, sine impedimento Dominum obsecrandi.* 1. *Cor.* 7.

Collegium etiam Apostolorum, quando vt vacarepossent ministerio verbi, septem voluerunt eligi Diaconos, qui dispositioni rerum intenderent, procuratores & dispensatores rerum communium. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi & ministerio verbi, instantes erimus.* Quis non videat sanctos illos iudicasse magnitudinem ac multitudinem curarum secularium rebus spiritualibus otium eripere. Quid? baptisare & prædicare se mutuo impediunt: quare enim alias S. Paulus baptisare recusaret, sub prætextu quod venisset prædicare, non baptisare? *Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare.* Vidit quod conciones integrum requirerent hominem; nam alium ab opinione deducere, superstitiones abolere, patrias consuetudines quibus à maioribus imbuti erant homines, dissuadere quæ probant, persuadere quæ improbant, sæpe cum vitæ periculo tam dantis quam accipientis consilium, (olim enim non minus discipulis, quam magistris, auditoribus quam prædicatoribus erant parata supplicia) sine magno studio, sine multa prudentia, sine varijs sanctisque strategematibus, sine labore, sudore, & maxime, sine excelso, genorosoque animo non perficiuntur. Baptisare autem iam ad hoc paratum, quilibet potest sacerdos, imo & quilibet alius in necessitate, nihilominus tamen per crebram baptismi administrationem opus necessitatis, ac momenti maioris, euangelizare scilicet, impediri potest: *qui duos sectatur lepores, neutrum* Actor. 6. 1. Cor. 1.

*trum capit.* Et iuxta hoc non mihi mala videor respondere, cum durante Aduentu aut Quadragesima, qui mihi concionandum est, multo laboriosius quam Apostolis, qui, vtpote spiritu S. pleni, sine studio, sine difficultate prædicabant; cum ego forte cum minimam vllus molestia (nescio quidē cur, maximē si tot studia, vigilias, dicendi scribendiq; exercitia, hac ætate iā prouecta) difficiliusq; quā in iuuentute forte ne quæsitæ opinioni decedat aliquid, aut quia maiora à prouectioribus quam à iunioribus expectantur, si inquam importune vocatus ad omnium promiscue audiendas confessiones respondeam. *non misit me Christus*, (aut Prælatus) *baptizare* (aut confessiones excipere) *sed euangelizare*; vtriq; intendens potioti minus satisfaciam, & *qui duos* (iterum dico) *insectatur lepores neutrum capit.* Ista occupationum varietas expeditum etiam hominem facit claudicare in vtramq; partem, vt nec hoc, nec illud bene agat: cum vni rei intentus incederet rectus, & in eo cum laude versaretur: subscribit huic Eccles. quando affirmat semotum à multis curis & solicitudinib. euadere sapientē. *Qui minoratur actu, sapientiam percipiet.* Eccles. 38.

Eccles. 11. *Fili, ne in multis sint actus tui.*

*D. Francis. in reg. cap. 5.*

S. etiam noster Pater Franciscus idem optime præuidit, suadens laborem, sed cum restrictione. *Fratres*, (inquit) *illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & deuote, ita quod excluso otio, animo inimico sanctæ orationis & deuotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia seruire.*

O pium, ô discretum, ô labori deditum S. Franciscum! Qui plenius videre volet, quid multitudo negotiorum possit, recurrat ad ea quæ S. Bernard. Eugenio Papæ, magister discipulo ad summum gradum promoto, scripsit. Non possum tamen Philosophorum transilire testimonia. Primo Senecæ, qui numerosas occupationes summum virtutis appellat impedimentum. Nunquam homo ad bonam peruenit cōscientiam, qui supra modum occupatur, & curis innectitur. Nonnulli alij idem satis docuerunt, quando

do Dijs suis pro naufragio egerunt gratias, quod illa ratione magnis curarum vinculis essent soluti, videntes exinde plus sibi subministratum ad philosophiam etj. *Tunc secundis ventis nauigaui, quando naufragium* Diog. Laer. lib. 7. cap. 1.
*m*: dicit Zenon, & fortuna admodum semihi humanam exhibuit, quæ ad philosophandum me compulit. Nonnulli omnia sua abiecerunt, ac excessere quasi voluptatibus, declinarunt onera publica, & priuata; proiecerunt in mare collectas simul in saeculum diuitias, vt Thebanus Crates, vt exinde ditiores vacarent virtuti.

Lactant. lib. 1. diuin. instit. in Præfat.] *Abiecisse quoſdam res suas familiares, & renuntiasse vniuersis voluptatibus constat: vt solam nudamq; virtutem nudi expeditiq; sequerentur.* Nonne hoc ipso clarissime demonstrarunt philosophiam, & virtutis studia integrum requirere hominem, & plurimum negotiorum multitudine ac diuersitate retardari. Facit etiam pro nobis Plotinus philosophus Platonicus; qui in Deo dicit, tres esse proprietates, sc. quod *solus* sit, quod *summus* sit, quod *vnus*. Si igitur homo Deo vniri velit, ac similis illi fiat, *bonus*q; qualis ipse, ab omni abstineat malo necesse est: si se iungere *summo* ab inferioribus reb. ipsi abstinendum est: si ei qui *vnus* & *solus* est, abstinere se debet ab omni pluralitate: vbi paucis verbis Philosophus tres gradus explicuit, quibus ad istam vnionem perueniatur. *Primus* abstinere ab omni malo, id est, à peccato. *Secundus* & perfectior: abstinere à reb. infenoribus, abiectis & contemptis: etsi male non sint, quales negotia mundi, contractus, mercaturæ. Quãuis enim hæc illicita non sint exercitia, tamen vilia sunt, indigna Dei seruo, nisi aut obedientia, aut charitas illa imperet. *Tertius*, qui perfectissimus, est abstinere ab occupationum multitudine, quamuis illę nec malę nec viles sint: quia nimirum superfluę, i. quando aut plures, aut grauiores sunt, quã animi ac corporis sufferat infirmitas: vnde sæpe accidit vt succumbamus sarcinæ, vt spiritus noster grauetur, ac deuotio pereat. Ecce igitur, quomodo perspicaciores omnes conspirent nobiscum, affirmantes sequestrandam

dam esse ante omnia inutilem negotiorum turbam vt bene vacetur conscientiæ & reformationi vitæ.

## III.

### *Vnde sit, quod Deo simul & mundo vacare non possimus.*

SEd vt melius appareat, quod diximus, non fuerit inutile, originem huius rei declarare. Occurrunt modo causæ huius diuersæ: vt imbecillitas humanæ mentis, rerum quarundam naturalis contrarietas, quæ se mutuo non compatiuntur, vasculorum angustia & incapacitas, ac Dei in amore & seruitio sui zelotypia, ac nostra denique corruptio. Humanæ mentis imbecillitas: quæ, sicut omnis creata potentia, ita necessario limitata est, vt pluribus intenta, flaccescat magis quam ad vnam rem recollecta. *Virtus vnita fortior se ipsa dispersa.* Tales & sensus sunt nostri corporis, qui nihil recte percipiunt, si pluribus distineantur obiectis, etiam sibi proportionatis. *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.* Video hic magnam auditorum coronam, video quidem in genere; ecce hic viros, ecce fœminas, sed sic simul omnes aspiciens, neminem in particulari, cum suis circumstantijs agnosco. Si in mensa tres simul audio colloquentes, hinc inde ex meo latere, omnium quidem audio voces, tres tamen intelligere non possum; vni primum, deinde alteri, aurem porrigere debeo, si velim intelligere. Si in vno cubiculo duo musicorum chori simul canant, hi Epithalamium & nuptialia carmina, illi funebria, quomodo quæso, poterit auris mea distinguere, & pure pleneq; agnoscere, vocis frequentamenta, numerorum notarumque cadentias, & mensuras? Talis & nostra mens: non potest omnibus pariter æque intendere; sed vni primum, deinde alteri. Non est nobis tanta, quanta Soli potentia; qui simul vno instanti, respectu diuersorum, diuersa & contraria operatur: qui eisdem radijs, eo-

demque

demque calore, alia indurat, alia emollit; fouet & germinare facit plantas, hic antidota, illic aconita, simulque nouit (vt aiunt) *sorbere & flare:* simul tot hominum millia lustrat, simul tot regna: Nos autem ad tantum fastigium minime accedimus. Proprium est diuinæ potentiæ infinitis præesse negotiis, & ea curare æqualiter, nec alterius opere ab altero perficiendo impediri: ita singulos curare homines, ac si soli essent; ita omnes, ac si essent singuli.

D. Augustin. lib. 3. confes. c. 11.] *O tu bone omnipotens, qui sic curas bonum q; nostrum, velut solum cures, & sic omnes tanquam singulos.*

Nam sicut inter studendum legendumque cauendum est, ne ex vno nimium hauriatur, aut nimis multum ex variis; sed minutim singula comprehendenda sunt, qualiacunque fuerint, per versus quasi singulos; & sicuti paulatim in anguſti orificij pocula guttatim instillatur aqua, stilla stillam trudente, sic successiue ad singulos authores adiiciendus est animus, non omnibus pariter, vt inde aliquid ad memoriam mansurum transferamus: Eodem modo (imo & amplius) vt salutis studia, & reformatio vitæ recte instituantur, non multa simul aggredienda sunt; sed vnum, idque præcipuum: maxime quando reliqua huic operi non sunt adiumento, sed & aliquando obstaculo; cum libri natura sua, etiam diuersi, scientiæ inuentionem promoueant.

Quintil. lib. 1. instit. orat. c. 2.] *Vt vascula oris anguſti superfusam humoris copiam respuunt: sensim autem influentibus, vel etiam* instillatis complentur: sic animi puerorum quantum excipere possint, videndum est.*

* *Val. Rodol. instillatibus.*

Idem ibid. c. 1.] *Id in primis cauere oportebit, ne studia quæ amare nondum potest oderit, & amaritudinem semel perceptam etiam vltra rudes annos reformidet: lusus hic fuit.*

Plin. lib. 18. c. 13.] *Ager nimium stercoratus aduritur, non stercoratus alget: ita moderata lectione vegetandum ingenium.*

Idem ibid. in fine.] *Sicut vtilius est crebro stercorare*

*agrum; quam multum: ita plus habet fructus assidua lectio, quam auida.*

Senec. Ep. 2. lib. 1.] *Illud vide ne ista lectio multorum authorum, & omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum & instabile. Certis ingeniis immorari & inuescere oportet, si velis aliquid trahere, quod fideliter in animo sedeat. Nusquam est qui vbique est. In peregrinatione vitam agentibus euenit, vt nulla hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properantes transmittunt..... Distrahit animum librorum multitudo.*

Sicut eodem tempore tres quatuor diuersi argumenti, diuersi idiomatis dictare epistolas, non omnium est sed paucorum, & vnius Cæsaris: alternatim vero ac successiue, pluribus satis commune; sic & externa & interna simul recte exequi, paucis mihi videtur posse contingere, vni forte & alteri, rarissimis certe Phœnicibus. *Vnum, vnum est necessarium.* Ex naturali etiam rerum quarundam inimicitia hoc mihi videtur procedere: sunt enim quædam quę etsi loco capiantur, se mutuo non capiunt. Date mihi quamlibet cameram spatiosissimam atque amœnam; facile in ea hic canem, illic felem; hic lupum, illic ouem continebis. Sed si hæc simul stabulare velis, laborabis frustra propter innatas animalibus illis hostilitates:

*Ouidij in Ibin imitatio.*

*Cum pecore infirmo pax nequit esse lupis.*

Vbi vnquam eandem laminam, quę modo calida, paulo post poterat esse frigida, simul vtrique vidistis subiectam passioni? Frustra laborabit hoc qui volet efficere: vt calefiat, primum, quo anticipata est, pelli oportet frigus: sic & negotia animę & actiones mundi, res spirituales & quædam temporales, adeo inter se digladiantur, vt idem quidem spiritus illa & amare & complecti possit, sed ordine quodam & successiue, non simul & eodem tempore.

Quæ prior animam occupauit, alteram ibi hospitari non permittit; nec altera pedem illuc infert, nisi priore depulsa: sicut agricola prius humum sarrit, lolium, & Zizania auerruncat, exurit filices, antequam

quam inserat triticum : sic & primum curæ seculares excutiendę sunt; antequam quis bene rebus spiritualibus locum dare possit. Conuenit omnino vt spiritalia animam & cor nostrum inueniant sicut tabulam rasam, nullis lineamentis anticipatam, si aliquid singularis operis pictor in ea facturus est. *Nisi ego abiero Paracletus non veniet ad vos*, dicit Apostolis Dominus. Timotheus musicus Milesius (qui primus decimam & vndecimam chordam lyræ addidit) fertur postulasse duplex salarium ab iis, qui alio ante ipsum vsi erant magistro; dimidium tantum ab iis qui rudes plane, & inculti ad ipsum instituendi ventitabant. Quod nimirum illis duplicem laborem impenderet; dedocens quę prius male didicerant, secundo docens autem ob quam venerant. Et quid ni idem dicamus & nos? dediscenda primum, expungenda, ac obliuiscenda negotia mundana; ac deinde transeundum ad diuina; illa primum expurganda sunt, quia se mutuo non compatiuntur: *Si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in eo:* & alibi. *Qui vult amicus sebuius mundi, inimicus Dei constituitur.* Quid? humanus amor, quem Apostoli sacratissimæ Christi humanitati deferebant, remoram iniicere potuit aduentui Spiritus Sancti, *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos*; & nos mundi amor in rebus salutis nihil impediet? illa excludenda sunt vt hæc introducantur, aut multùm fallor ego. *Corruptio vnius generatio alterius. Hoc excluso illud recipitur.* 1. Ioan. 2.

Quis vero etiam dubitat ex incapacitate nostra idem accidere? Mens humana, etsi amplissima, sufficiensque plurima tam diuina quam humana comprehendere, & explicare se ab omnibus prope, si sigillatim offerantur, vnum vna vice, aut vnum tota vita: *ingenium illic valet, vbi intenderis.* Non potest tamen simul omnia complecti, & cum honore in omnibus æqualiter versari: Imo in nullo, aut vix in vllo, si omnibus se simul applicet. Dic mihi, bone vir, pictor esse desideras, adeo scitus quam aut Apelles, aut Iohannes de Maubeuge? fies, sed hoc solum cura, *Hoc age,*

*hic esto.* Musicus esse optas, nec Orpheo cedere, aut Orlãdo nostro Lasso? Fies, sed illi soli attende. *Hoc age, hic esto:* & sic de cęteris. Sed si in Pictoria, in Musica, in Oratoria, in Poëtica, in Militari excellere vis; ut omnibus habebis aliquid, ex toto nihil, fæcem colliges artium omnium. Spiritualis & perfectus esse potes, & mundanus & perfectus; sed vel hoc, vel istum non vtrumque. Si vtrique æqualiter incumbas, sivtrumque simul insecteris, laboras in vanum. Vt perfectè spiritualis sis, minus oportet fieri mundanum, minus mundi occupari ac implicari negotiis. *Isaiæ 28.* *Congustatum est stratum ita vt alter decidat: & pallium breue, & vtrumq; operire non potest.*

Oculus simul terram & cælum respicere non potest, singula integrum requirunt hominem, maxime spiritualia, quæ sunt ars artium. *Vita breuis, ars vero longa.* hic totus applicandus est animus. Ideo subtreligioso Numæ regno, cum pompæ sacræque processiones Romæ peragerentur, præcedebant præcones mandantes cessationem & ferias ab opere. Pythagorei etiam Deum leuiter & quasi transcursim adorare vetuerunt, sed ad hoc vt cuilibet bene præpatato animo, de domo sua exeundum. Adeo Numa ciuibus suis iudicauit inconuenies, quicquam videre aut audire sacri negligenter, aut perfunctorie, sed omnibus sepositis serio Diis dandam operam, quasi rei omnium excellentissimæ. Præcepit etiam vt sacrificiorum tempore, viæ sine strepitu, sine tumultu essent, qui fere tanquam appendices artes mechanicas sequuntur. Cuius etiam vestigia quædam in suum vsque diem Romæ Plutarchus ait inueniri. Principe enim augurijs ac victimis intento, clamant: *hoc age.* excitantes hac voce attentionem circumstantium: *Plutarch. tom. 1. vit. in Numa.* satis conformiter verbis Ieremię, *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter (alia litera) negligenter (i. translatitie & quasi aliud agens.)* & quanto res difficilior, grauior, magisque seria, tanto plus nostræ exigit solicitudinis. Sed obsecro, quid difficilius, quid maioris momenti, aut commodi, quam bene viuendi studium,

dium, ac sui reformatio. Si enim res hæc facilis, cur tam pauci in hac schola discipuli? *Angusta est via quæ ducit ad vitam, & pauci ambulant per eam.* Et ex tantillo numero, vnde tam pauci ad magisterium perfectionemque veniunt. *Multi vocati, pauci vero electi.* Quid illo grauius, maiorisque momenti, quo probe improbeue accurato, summa sequitur beatitudo, aut perditio? *Quid prodest homini, si vniuersum mundum superlucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit commutationem homo pro anima sua?* Nihil est quod rationali præponderet animæ, non totus terrarum orbis. Melius enim mille perire mundos, quam animam vnam. Procedit hoc etiam quantum arbitror, ex Dei zelo: qui tantus est, vt neminem non dico patiatur riualem, aut competitorem, neminem parem; sed nihil omnino quod mundi aliquam spem habeat, quod refrigerare, remittere, aut affectionem quam ipsi debemus, diminuere possit. *Ego sum Deus zelotes (dicit ille) videte quod ego sim solus, & non est alius Deus præter me. Non habebis Deos alienos coram me.* Solus Deus sum, nolo vt deos alios habeas: *toto pectore, totis visceribus*, & vt Hebræi dicunt, *toto corde* ama Dominum: aut totus vester ero, aut nulla ex parte: *aut nihil, aut Cæsar.* Monarcha humanorum affectuum, *aut nihil: omnisq; potestas impatiens consortis.* Vnus Sol in mundo, vnus rex in regno, vnus Deus in corde. Si Deus vester sum, me sequimini: si Baal deus est, sequimini illum: malo vos per omnia videre Baalistas, ac idololatras, quam ex vtraq; parte claudicantes, inter carnem piscemque, inter atrum & album. Similes Syrenibus, Hippocentauris, partim mihi, partim Baal deditos. *Vtinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam vomere ex ore meo. Væ peccatori terram ingredienti duabus viis.* 3. *Reg.* 18. *Apoc.* 3. *Eccl.* 2.

*Qui iurant in Domino, & iurant in Melchom.* *Sopho.* 8.

Tandem ac vniuersim: *nemo potest duobus Dominis seruire. Non potestis Deo seruire & Mammonæ.* Arca testamenti Israel, & Dagon in eodem altari diuertere *Matth.* 8. 1. *Reg.* 5.

non possunt, nec in eodem templo. Possetne in dem corde humano, cum rerum contrariarum cu & sollicitudine? *quæ conuentio luci ad tenebras?* Al Rhenana, cum Gallicis rubris, vina non mi cent seiungenda hæc sunt:

*— omnisq; potestas*
*Impatiens consortis erit.*

Iam toties recanto, Nullus magistratus soci petit: quia sæpe socius Dominus.

*Lucanus lib. 1. Pharſ.*

*Nec quenquam iam ferre potest Cæsarq; priorem*
*Pompeiusve parem.*

Sic nec Deus in seruitio socium supparemq; con patitur. Ex nostra denique corruptione idem op nor descendere; quæ facit vt quæ proxima & corpo ris sensui magis exposita sunt, nos tangant affican que magis, fortiusque detineant, quam inuisibilia & magis remota: Quamuis illa quæ nos mouent, mi nus reuera habeant roboris. Sic paruus focus melius dominos calefacit, quam Sol, etsi hic multo sit effica cior. Sic Luna præ reliquis planetis plus agit in no stra corpora, quia nobis vicinior: sic & mortalis regi ira fortius nos ad obseruantiam mandatorum suo rum impellit, quia visibilis est, nobisque semper im minet.

*Tenedius homo*, quam ira ipsius Dei inuisibilis ad mandata sua; sic & externa mundanaque sæpe nos magis amoribus sui illaqueant, quam spiritualia, propter horum distantiam, illorum vicinitam. *Dele ctasti me Domine in factura tua.* Faciun que sæpe vt cor nostrum magis ad possessionem illo um inuigi let, magisque affi gamur illa perdentes quam gra tiam Dei, cum maiori sedulitate & angore illa perdi ta requiramus, quam ipsum Christum. Cui vt occur ratur, concludo necessarium esse cum nostro Prodi go retrahere pedem ex mundanarum rerum labyrin tho; dimittere telonium cum S. Matthæo; eiicere an xias sollicitudines, amandare retia & nauicellas, cum discipulis, *Ecce nos reliquimus omnia* antequam Deo conscientiæ possimus bene vacare. Quid videtur d

*Pſal.*

lectissi

lectissimi, hæccine sine ratione à me dicuntur? fundamenta non videtis? Si quis ambigat (ecce vt secutus sum) probabo idipsum, & adiiciam aliquas similitudines, filias illius quam Christus Iesus hac de re aliquando dedit; declarans mundi negotia hominum saluti officere. Age igitur, *Semen*, inquit Dominus, *quod in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.* Luca 8.

Pulchra comparatio: vt enim tribus modis spinæ suffocant segetem, sic & tripliciter diuitiæ verbum Dei. *Primo* spinæ subtrahunt ac intercipiunt humorem & pinguedinem terræ, adeo vt bono semini aut nullum aut exiguum sit alimentum: sic & sollicitudines & actiones mundi, marcere ac torpere faciunt, & inuiscerant perfectum amorem, in Deum tendentem, qui quasi humor est, & pinguedo rerum cælestium, nec minus fœcundat animam bonis operibus, quam stercoratio & fimus campum bene cultum. *Si quis dilexerit mundum, non est dilectio Patris in eo.* Habeas fontem exuberantem & copiosum, sed diuide per aquæductus varios, poteruntne singuli canales tantum aquę fundere, quantum si in duos aut tres tubos diuideretur? Quantumcunque alueus copiosus sit, & flumen magnum; deriua tamen in varios riuulos, vt olim Xerxes, aut vt se vindicaret, aut vt exercitum transponeret, vel sicut Deus Israel mare rubrum, *qui diuisit mare rubrum in diuisiones*, commode vada ripoterit, vbi alias pontes, lintres, corbitæ sint necessaria: Sic quamuis in homine amoris scaturigo larga sit, ac ad multa diffundi possit: quia tamen infinita non est, necesse est quo plura amaueris, & in plura obiecta tanquam canales amorem diuiseris, tanto minus & frigidius amari singula. Si vero in vnum tãum aut duos amorem deduxeris tubos, recta in cælum tendentes, opposita autem parte plurimos patefacias, qui in planum aut in domestica receptacula aquam distribuunt, quis dubitat admodum parum in cælum erupturum, omni defluuio inferius absorpto? 1. Ioan. 2.

pto. Idem in amore ac affectu noſtro contingit: ſic nim in multa diffluamus, & ad inferiora multos aperiamus meatus, data opera ac ſtudio illis intendentes, in cælum autem & æterna pauca aperiamus foramina, manifeſtum eſt amoris noſtri flumen adiq; admodum fore tenue & pauper, peneque ſiccum, to pondere ac torrente dilabente ad tranſitoria. I

*D. Auguſt. lib. 1. Confeſſ. cap. 16.*

*tibi flumen moris humani, quis reſiſtet tibi, quamdiu n ſiccaberis? quouſque volues filios Euæ in mare magnum, formidoloſum, quod vix tranſeunt qui lignum conſcend vint?* Torrens iſte omnia rapiet, & modicum partietur Deo rebuſque cæleſtibus, quo totus ſurgere deberet, impartiri; efficietque vt nec Deum amemus, nec matrem Eccleſiam, nec Religionem, niſi in quãtum hoc negotiis ſuis iudicauerit vtile. Ecce Primum. *Deinde* ſpinæ pluuias radiosque ſolares arcent, ſementi neceſſarios, ne tempore debitis ſemina attingant: ſic & omnes hæ ſolicitudines, radios Solis, exempla SS. qui non minus fructum diuini verbi, internas aut externas inſpirationes, & conciones promouent, quam ſolaris calor ſementem. Sicut enim Sol ſemina fouet vt abundantius germinent, ſic inflammant exempla ſpectantium corda, ſicut car-

*Pſal.*

bones: *Ignis à faciei eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Mundo dediti ac ſolicitudinibus huius ſeculi intricati, nec volunt, nec otium habent bona virtutum exempla ſpeculandi. Nec Deum quidem (vt aiunt) ab Apoſtolis diſcernunt: ſemper occupati videndis, reuidendis, admirandis iis, quæ mundi ſunt quem diligunt.

*Ioan. 15.*

*Mundus quod ſuum eſt amat.* Oculi ac corda ipſorum in terra velut anchora defixa ſunt, & ſcopus oculorum ipſis mundus eſt, non vacant audire excelſa & pulchra Chriſti Ieſu opera, veri Solis iuſtitiæ, cuius omnis actio noſtra eſt inſtitutio: anima autem ſemel demerſa & obruta terrenis ſolicitudinibus, iubar diuinæ gratiæ non admittit, magis, quam cauerna aut antrum totius mundi abditiſſimum, ſolares hoſce radios. Nam reuera quid mundani hominis cor, niſi ſpecus Caci, & tenebroſa latronum fouea? Vos

ues? *Vos feciſtis ſpeluncam latronum: Solis inacceſſam radiis.*

O ſpinoſas ſolicitudines, quæ ita Solem ab anima excluditis? quæ ita fæcundos diuini verbi imbres intercipitis, vt animam dumetis obſitam, nec humectare nec rigare poſſint? Sicut voces inclamantium interciduntur à forti aliquo rapidoque vento, ne aures pulſent. Sic Sylla, aut Marius, (ni fallor) dux ſaltem aliquis Romanorum, accuſatus quod contra leges quid intempeſtiue egiſſet, reſpondebat ſe inter armorum ſtrepitum, ac tumultum militum, clangores tubarum, legum voces audire non potuiſſe: ſic & bonæ cogitationes, diuinæ inſpirationes, ſpiritualia propoſita, conciones, obtunduntur tinnitu & ſtrepitu rerum externarum.

D. Gregor. Nazian. lib. 2. de Theol.] *Vt vociferantium terror & clamor, obuij flatus impetu frangitur, ſic intima mētis cogitatio, externorū ſolicitudine interpellatur.*

Intelligite me ſi poteſtis in communi iſto veſtro murmure, ante factum ſilentium. Intelligat vnusquiſque ſocium ſuum, ſi apud tres quatuorve molas loquatur, quæ ruente ex rupibus aqua rotātur. Intelligite me quando ſtatis ad pontes inferni, aut Nili, *quæ catadupa vocantur*, loca ſonora, tumultuoſa, ſtrepera. Non poteritis igitur aut meæ, aut alterius alicuius concioni auſcultare, manentes perpetuo in negotiorum veſtrorum circumfuſo ſtrepitu. *Pons inferni apud S. Godardum.*

*Tertio* ſpinæ ſuffocant bonum ſemen, quia inuoluunt & intorquent tenerum adhuc, & prohibent ſurgere: frangunt etiam aliquando ſpicas, ſegetemque in herba. Nonne, per fidem veſtram dilectiſſimi, idem experimini in vobis, quando animum decreuiſtis contemplatione attollere, amore cæleſtium, & cogitare ſerio quæ ſalutis ſunt, ruminare media ad emendandam vitam: quæ omnia ſpinoſæ ſollicitudines, immiſtæque actiones, importune opprimunt, illico ſuffocant, bonum propoſitum perdunt, nec permittunt dari executioni. *Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum.* Iob.

Sap.9. *Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* grauis hæc cordis humani massa, vna tantum paruula que sublata ala, ac aliunde pedibus molari saxo alligatis, quomodo quæso vsque in sinum Dei euolabit, & non magis decidet?

*And. Alciat. Embl. 120.* *Dextera tenet lapidem, manus altera sustinet alas.*

Ista occupationum varietas, & rerum temporalium cura, iam non patitur dari eleemosynam, ad vt oportet ecclesias, subuenire proximo, facto & consilio, præstare aliquandiu aurem operum ac beneficiorum Dei sermonibus; Eleemosynæ enim (aiunt) exhauriunt rem domesticam, frequentatio ecclesiæ fur est temporis, adesse ac iuuare proximos inuidiam generat, ac odium eorum quorum forte posteaopera indigebimus, conciones denique ac colloquia de rebus sanctis, ad monachos & ecclesiasticos reiiciuntur, non enim augent rem familiarem: nonne hoc satis declararunt responsa eorum, qui inuitati ad cœnam magnam diuitis, detrectantes venire, renuntiabant *villam emi & necesse habeo exire, & videre illam, rogo te, habe me excusatum.* Alter, *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa; rogo te habe me excusatum,* nunquam frigidæ friuolæque desunt hominibus istis excusationes.

*Luc.* 14.

Insania est: non potest fieri vt bonum semen multiplicetur, implexum tot spinis. Impossibile est vt villosus aries inter tot paliuros pertrãseat, quin vbique lanam floccosque relinquat: possibile non est lutulentas, ac cænosas incoinquinatum transire semitas.

*D. Leo ser. 4. De quadrag.* *Dum per varias actiones vitæ huius solicitudo distenditur, necesse est de mundano puluere etiam religiosa corda sordescere,* vt inquit Leo.

Cum summa difficultate, aliquid superflui ex omni nostra solicitudine Deus accipit; minimum quid temporis, & sæpe serum. *Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi,* videntur sibi Domini magnum præstitisse Deo obsequium, ac bene curasse animam, si insilientes in lectum cruce ter quater se signauerint, suspirio vno aut altero interiecto.

Quare

Quare dilectissimi si serio in nos reuerti velimus, ac vitam malam in melius efformare, & Deo vacare toto corde, ante omnia curemus recolligere nostros sensus, & cogitationibus mundo seruientibus signū dare receptui, submouere negotiorum pluralitatem, & dicamus, animæ quisque suæ, quod veteres Romani in suis sacrificiis: *hoc age*, sepone alia, seruias Deo toto corde: conscientiam tuam exhinc cogita, nihilque amplius. *Porro vnum est necessarium.* Deus faciat nobis omnibus hanc gratiam.

---

# CONCIO OCTAVA.

7. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν εἶπε. *Græca.*
7. *In se autem reuersus, dixit.* *Vulgata.*
7. *Quumque ad se redijsset, ait.* *Syriaca.*

## ARGVMENTVM.

*Dicemus hodie*
1. *In se reuersus exponi posse (per contra se) quod vbiq; pugna sit, & sæpe cõtra ipsum Deum.*
2. *De triplici contra Deum pugna.*
3. *Quomodo prodigus tandem pugnam inierit cum Satana, conuersus ad Deum.*

AVE.

## I.

*In se reuersus exponi posse (per contra se) quod vbique pugna sit, & sæpe contra ipsum Deum.*

HVc vsque, dilectissimi, expositionem communem verborum, *in se reuersus*, secuti sumus: quæ voculam (in) pro *intra aut intro* accipit. Ac inde pulcherrimos, qui inde elici possunt, conceptus extraximus; forte plures quam necesse, omnes tamen (vt mihi videtur) admodum elegantes, melioresque quam in initio speraſsem ex tali radice posse educi. Deo laus qui ea nobis inspirauit, *pro vestra exhortatione & salute.* Hodie tamen 1. Cor. 2.

expo-

expositio mihi occurrit noua plane, atque extraordinaria, non tamen (vt opinor) reijcienda. Accipitur aliquando vocula græca (Ἐις) id est (in) latine pro *aduersus, contra*) *contra* gallicè. Æschines enim bonus author græcus, eam sic vsurpat, Ἐις τὸν δῆμον, *aduersus populum.* Cicero etiam eadem significatione non raro accipit, vt in oratione contra Salustium. *Cato debet omni vitio, qui in alterum paratus est dicere,* & quando sic inuectiuas suas inscribit *in M. Antonium in Verrem in Vatinium &c.* & nos cum dicimus, *in parricidam dico, in Tyrannum pugno.* Atque si illud (in) ita vertamus, *in se reuersus,* significabit *aduersus se reuersus,* & verba ista nobis innuent, quod Prodigus tandem arma sua, rationem, disceptationesque suas, contra se verterit, id est, factus sit sibi contrarius, sibi inimicus, suorum accusator operum, qui antea nimia philautia indiscrete amauerat, quod sibi iam pugnam indicat, se culpans, se damnans, & qui antea suis patrocinabatur erroribus, iam factus sit actor suorum criminum.

*Cicero orat. resp. ad Sall.*

*Quod petiit, spernit, repetit, quod nuper amisit.*

Nouus sed plane egregius veruſque conceptus, fæcundus admodum, qui occasionem dabit *docendi* hodie, quomodo nunquam homo omni pugna careat, aut contra Deum, pro se & Diabolo; aut contra Diabolum, cõtra se pro Deo. Det Dominus vt tam vberem fœcumdamque materiam, fæcunde & salutariter pertractemus.

Ex quo mundus cœpit, certum est nunquam defuisse pugnas, non hominibus, non angelis, non Deo ipsi, non terræ, non cælo: semper vbique, inter omnes pugnæ: inter Deum & creaturas, inter Angelos & Angelos, inter homines & homines, inter Deum & Angelos, inter Deum & homines, inter ciuitatem Dei, in sui contemptu & Dei amore fundatam, & inter ciuitatem Diaboli fundatam in contemptu Dei, & amore sui: harum ciuitatum belli duces sunt, Deus ex vna, Satan ex altera parte. Ecquid dubitatis? *posuit aduersarius noster in cælo bellum,* dicit S. Augustinus. Lucifer

*D. August. in serm. cõmu. serm. 4.*

cifer videns humanam noſtram naturam, in Chriſto, & B. Virgine, exaltãdam ſupra ſe & omnem naturam Angelicam, mouit cælum factione, ac ſibi aſciuit aſſeclas & ſectatores. Ex altera parte Deus S. Michaelem, bonoſque pro ſe habuit Angelos. *Apoc. 12.*

*Factum eſt prælium magnum in cælo: Michael & Angelei eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius: & non valuerunt neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo. Et proiectus eſt Draco ille magnus, ſerpens antiquus qui vocatur Diabolus & Sathanas, qui ſeducit vniuerſum orbem: & proiectus eſt in terram, & Angeli eius cum illo miſſi ſunt.*

*Vide Feuardent. noſtrũ, Com. in Epiſt. Iuda, pag. 202.*

Idem Satan etiam alias Deo bellum mouit, de ſepultura ac corpore Moſis, quod Deus voluit eſſe incognitum, vt Iudæis ad lapſum inclinatis, idololatriæ ſubtraheret occaſionem; aut de tuitione ſynagogæ, quæ corpus myſticum Moſis dicebatur, vt modo Eccleſia corpus myſticum Chriſti: multo etiam audacius in deſerto, quaſi conſertis manibus Chriſto colluctari auſus eſt: ſed acerrime ac cruentiſſime cum Iudæos & gẽtiles & ipſum œconomũ eius Iudã proditorem (*Dux meus & notus meus*) ad crucem vſque auſus eſt armare, ac inſtigare. Nonne hæc dira Satanę cõtra Deum prælia, & Angelorum in Angelos? Quid dicam de directis ac indirectis, certiſque inſidiis quas transfuga perfidus Deo ſuo collocauit. *Pſal.*

Nonne apertum fuit, & directe contra Deum bellum illud, quod eijciens orbe religionem veram, Deique cultum, tot gentibus, tot locis, idololatriam ac ſuperſtitiones induxit.

*Adgreſſus ſuperiſque Iouem detrudere regnis.*

Nonne nimium indirectum fuit contra Deum bellum; quando tam fraudulenter primos noſtros parentes aggreſſus, mirabili ſtratagemate, ſibi ſubiugauit duos illos Dei vaſallos adeo ſimplices ac bonæ fidei? Nunquid manifeſtum bellum Deo infert, dum principem ſe facit mundi, ac per mille tentationes tot animabus dominatur? Deum petit ſceleſtus, quando nos intercipit, & quia in ipſum nihil poteſt, hoc

hoc satagit vt nos destruat, & sternat statuas viuas, veraſque Dei quem odit, imagines.

Quia Diuinitati nihil in se officere potest, tentat fideles subditos, ipsosque Angelos, quotum impedit quantum potest suggestiones bonas, ad animarum salutem, ad corporum incolumitatem, vt cum princeps regni Persarum, id est malignus spiritus, Persarum tentator, restitit Angelo Gabrieli vno & viginti diebus. *Princeps regni Persarum, restitit mihi viginti & vno diebus.*

*Daniel. 2.*

*Lucæ 11.*

Hic ille fortis est, cuius Lucas meminit, qui armatus custodit atria sua, hic mundi princeps, cuius imperium inuasit ac vsurpat. Hic ille *qui factus, vt nullum timeret, Princeps super omnes filios superbiæ.*

*Iob.*

## II.

### *De triplici contra Deum pugna.*

*Iob 7.*

CVm vita hominis quantumcunque longa (vt Iob loquitur) *militia sit super terram*, & iuxta Senecam *nobis militandum, & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur.*

*Senec. epist. 51.*

Vnde & congregationem fidelium militantem appellamus ecclesiam, quia semper sub armis agit. Inueniuntur tamen homines adeo infelices, qui nomẽ dant sub signis Satanæ, vt contra Deum pro sensualitate sua bellum sumant: cum pro Deo, contra Satanam, & concupiscentias suas, sub crucis labara, vt Christi signo militare deberent. Vnus hoc, alius alio modo, ita numerum augent turmarum Satanæ, vt Christi agmen, multitudine sua, multum præcellat. *Angusta via quæ ducit ad vitam, & pauci ambulant per eam. Multi vocati pauci vero electi.* Ambigitis ne? S. Propheta Iob clare idipsum pronuntiat, & ad viuam formam modumque horum Trasonum, præsumptuosique exercitus depingit.

*Iob 15.*

*Tetendit impius aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est, cucurrit aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est.*

Contemnens quasi vires diuinas, ac bene se putans

obtectum

obiectum ob capitis duritiam, vnus autem ex sacro Machabeorum septenario, quem cum reliquis fratribus Antiochus occidit, ita in faciem, coram omnibus Regi locutus est.

*Tu autem ne existimes tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaueris.* 2. *Matth.* 7.

Ipse etiam Christus Iesus satis offendit ab impiis bellose peti, quãdo dicit, *qui non est mecũ contra me est.* *Lucæ* 11.

Nihilominus illi præ reliquis contra Deum acies dirigunt, qui in corde suo dicunt *non est Deus*, aut vtrum reuera sit dubitant, vt olim Protagoras, aut Diagoras, publice affirmarunt nullum esse: aut si diuinũ aliquod numen fassi sunt, vnum aut plures coluerunt Deos, falsos pro vero, Idololatræ, adorantes Iouem, Martem, Venerem, sæpe etiam opera manuum suarum, Aut si vnum verum Deum adorarint, Christum filium eius vnicum nec adorare, nec Deum fateri voluerunt. Iulianus Apostata Imperator Romanus, ac horum Antesignanus, in morte sua tam verbis quam factis testatus est, se Christo Iesu semper fuisse infestum. Refert enim Theodoretus, Tyrannum hunc, lethali vulnere incerto authore afflictum, manum repleſſe sanguine, & in altum excussisse, cum hac voce *Vicisti Galilæe*, simul victorem pronũtians, & blasphemans, postquã sc. in expeditione cõtra Parthos septẽ cõtra Christũ Iesum libros in aciẽ eduxisset. *Iulianus Augustus septem libros in expeditione Parthica aduersus Christum euomuit verius, quam scripsit.... Quanquam Nazarenum nostrum, & (vt ipse solebat dicere) Galilæum statim in prælio senserit, & mercedem linguæ putidissimæ untumeliis perfossus acceperit. dicit S. Hieronymus.*

*Lactant. lib. 1. cap. 1. diui. instit.*

*Theod. hist. Eccles. lib. 3. cap. 21.*

*D. Hiero. epist. ad Magnum Oratorem Rom.*

Sed dicet aliquis, nos istius generis non sumus & illi soli Deo repugnant, ac Diabolo militant, non potest tantus esse, quantum dicis, Satanicarum copiarum numerus. Respondeo. Illos omnes militantibus annumerari qui in sensu & opinione circa vnam rem non conueniunt, quam pugnam intellectus dicimus alias disputationem, quæ optime consistere potest sine inimicitiis, ac voluntatum mutua alienatione *differentium*

*Cicero lib. 1. de finibus.*

*IVS, VIS.*

*ferentium inter se reprehensiones non sunt vituperanda*, inquit Cicero. Et hæc pugna est quam homines in homines maxime sequi debent *per disceptationem, per ratiocinationem, & viam Iuris*, quærentes superare tione, non corporis viribus quæ bestiarum pugnas & causam robustiori adiudicat. *Ius in armis, lex iusti fortitudo nostra*, hæc intellectus pugna, vt plurimu inter doctos in qualibet scientia inuenitur, aliis affir mantibus negãtibus aliis, vnde celebratus versiculus

*Grammatici certant & adhuc sub iudice lis est.*

*Galat. 2.*

Hæc pugna etiã inter S. Petrum & Paulum, de obseruãtia legis, sine charitatis offensa cõsistere potuit, *cum venisset Cephas Antiochiam, in faciem eius restiti, quia reprehensibilis erat.* Restiti Petro qui ad Iudaismũ inducebat gẽtiles. Talis pugna inter S. Hieronymum & S. Augustinum. Talis inter discipulos S. Thomæ & Doctoris subtilis, ac omnes multæ lectionis magnique iudicij, de eadem re diuersim iudicant, non tamen ob sententiarum discrimina se mutuo oderunt, *pugnant sententiis, non animis & voluntatibus.* Quod declararunt satis. S. Hieronymus & S. Augustinus, qui in maximo disceptationis feruore Dominum Iesum testem inuocat quod si à S. Hieronymi opinione dissideat, non hoc se contentiose facere, atque ad irritandum alterum; sed vt quid sentiat, simpliciter declaret in signum amicitiæ scribens quod sequitur. *O si licuisset, etsi non cohabitante, saltem vicino, te in Domino perfrui, ad crebrum & dulce colloquium.* S. Hieronymus similiter beneuolentiam suam nihil hac disputatione læsam ostendens, dicit, *vtinam mereremur* complexus tuos, &, collatione mutua, vel doceremus aliqua vel disceremus.

*D. August. epi. ad Hier. lib. 1. epp. Hiero. epist. 17. edit. Canisianæ.*

*Ibid. epist. 18. ad D. August.*

*Ibid. Epist. 19. ad eundem.*

Ac in alia quadam epistola *mihi decretum est te amare, te suspicere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere.* Tales pugnas sæpe aduocati & patroni in causis & litibus suis pugnant, quos aliquando ita in se mutuo detonare videtis, ac tantopere ad partem rationibus superandam contendere, affirmando, negando, vt ne belli fulmina, nec Achilles in Hecto-

rem,

rem, nec Alexander in Porum, nec Scipio in Hannibalem *pro aris & focis* vehementius certarint: cum tamen extra litem amplexentur se mutuo amicissime, hostes (vt aiunt) in causa, amici in mensa. Ecce vnam pugnæ speciem; intellectus nimirum contra intellectum, ac notate eam obsecro bene quia sępe eritvsui.

*Secunda* pugna voluntatum est, & affectuum, quando vnus hoc vult, alius aliud, alter æstum, alter vmbram, siue iudiciis cõsentiant, idem de re speculatiue sentientes, ac vniformiter iudicantes eam aut bonam aut malam (sicut aliquando accidit, vt in iudiciis conueniant, in electione autem amore ac odio rei eiusdem dissideant) siue non: vbi enim non est *idem velle, & idem nolle*, quomodo potest amor consistere? voluntatum enim discordia, mater ac nutrix est bellorum, & hoc bellum secundum. *Tertium* bellũ *via facti*, est quando quis aut dicit, aut agit aliquid, quo lædere aut offendere intendit partem aduersam, vel si id nõ intendit, illud saltem quod agit, natura sua lædere atque offendere natum est. Non minus quam in veris prælijs insidiæ, direptiones, obtruncationes, incendia, ciuitatum excidia, agrorum vastationes, virginum & matronarum hostiles raptus, & hoc Tertium. Agite igitur, ecce probo peccatorem quemlibet vno saltem horum bellorum, nonnunquam & tribus simul Deum impetere, si mihi concedatis (quod negari non potest) omnes nos peccatores esse, negare etiam non poteritis nos sub Satana, contra Deum, mereri stipendia, imo & contra nos ipsos nostramque vitam militare.

Probo igitur quod quilibet peccator primo militiæ genere Deum impugnet. Primam pugnæ speciem posui tenere opinionem alteri contrariam, ac eã manibus, pedibus, voce, vultu, pertinaciter tueri. Quid sentit Deus, & tu miser peccator quid sentis? Deus tenet portandã esse crucẽ, & clamat, viuat crux, viuat crux. Tu vero quid? non hoc, sed dicis sufficere si in aureo metallo portemus crucem, aut ex rosario aut ex collo pendeat; quod melius sit curare cuti-

culam, volutari in vino & plumis, saltare, cantare, græcari &c. vita saltē moribusque hæc profiteris. *Inimicos crucis Christi* appellat Apostolus, tuæ classis homines. Deus tenet, *beatius esse magis dare quā accipere*, Tu vero quid? beatius est accipere quam dare, accipiendo enim diuites, dādo reddimur pauperes, Deus beatos esse humiles, ipsorum esse regnum cælorum, tu tenes humilitatem quā dicimus, speciē esse socordiæ & ignauiæ, Deus tenet non esse vlciscendum hostem, Tu vero quid? qui agnū præfert; voraturā lupo nec frustra nobis datam irascibilē potētiam. In summa, quicquid Deus probat, tu reprobas, *væ qui dicunt malū bonum, & bonum malum*, quod ipse tanquam rerum in materia fidei, tu tenes tanquam falsum. Deus in sacra hostia suum corpus, in sacro calice dicit esse suum sanguinem. *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Tu vero quid? negas, aisque figuram solum esse corporis & sanguinis, nec intellectum captiuare potes, nec rationem omnipotentię Christi Iesu (vt boni est catholici) subiicere. *In captiuitate in redigentes*
2. Cor. 10. *omnem intellectum in obsequium Christi*, tuum semper sequeris cerebrum semper rebelle, semper obstreperum, *Et omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei.* Nonne hoc est primam contra Deū mouere belli speciem? quis dubitet? Hocipsum est
Isaiæ 65. quod Isaias plangit. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Vere vere Christus signum est, cui maior sui exercitus pars, iuxta vaticinium senioris Simeon, contradicit. *Ecce positus est in signum cui contradicetur*, laudat & commendat rem aliquam, non minus ore quā vita; nos oppositum. Arguit & prohibet aliquid, nos quantū possumus illud captamus. Quoties enim & quam feruide ipsi bellum facimus, præferentes nostram, voluntati eius, *fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, quam raro ex corde dicimus, & vt Christus Iesus in monte Olueti, *non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quam sæpe voluntati ipsius cōtraria flagitamus? Quoties volui (ô Ierusalem, ô peccatrix anima)

congre-

congregare *filios tuos sicut gallina congregat pullos suos subalis & noluisti*, dicit Dominus feruidis deplorãs lachrymis & totus ad fletũ resolutus, ac alibi: *vocaui & renuistis, vos semper spiritui Sancto restitistis*, vel corporis aures obturantes Prophetis, vel cordis aures inspirationibus. Sic igitur voluntate contra Deum rebellamus, quamuis eadem aliquando speculatiue iudicemus, probantes cum Deo hoc vel illud tanquam melius, non tamen illud diligimus, sed seditiosis factiosisque nostris voluntatibus cupimus *quæ* prohibet, negligimus quod iubet.

*Video meliora proboque,*
*Deteriora sequor.*

Ouid. lib. Eleg. 2. Ele. 4. ] *odi nec possum cupiens non esse quod odi.* *Ouid. lib. 7. Metam.*

Fabricantes nobis infirmũ, *tolle propriam volũtatem & infirmum non erit*, inquit S. Bernardus. *In quem enim ignis ille desæuiret, nisi in propriã voluntatẽ.* Videre vultis quo furore propria peccatoris volũtas in diuinã maiestatem incurrat. Dicam vobis ex eodẽ S. Bernardo. *D. Bern. ser. 3. de resurre. qui incipit. Sicut in corp medicina.*

D. Bernard. ser. 3. de resur. Domini.] *Porro voluntas propria quo furore Dominum maiestatis impugnet, audeãt & timeant serui propriæ voluntatis. Primo nempe subtrahit semetipsum, & subducit eius dominationi, cui tanquã authori seruire debuerat, dum efficitur sua. Sed addit adhuc, &, quod in se est, omnia quæ Dei sunt tollit ac diripit. Quem enim sibi modum ponit humana cupiditas? nonne qui per vsuram acquirit pecuniam modicam, similiter mũdum lucrari conaretur vniuersum si non deesset possibilitas si suppeteret voluntas! dico fiducialiter: nemini qui sit in voluntate propria possit vniuersus mundus sufficere Ipsum autem, &, quod in ipsa est, Deum perimit propria volũtas. Omnino enim vellet eum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse Deum (quæ quantũ in ipsa est) vult eum aut impotentem, aut iniustum esse aut insipientem. Crudelis plane, & omnino exeranda malitia, quæ Dei potentiam, iustitiam sapientiam perire desiderat, hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, leæna & sæuissima.* Vade iam, & dic fodes

quod nec pro, nec cũ Satã, contra Deũ & teipsũ certes, alia quã Deus, volens. Voluntas enim peccatoris ita Deũ impugnat, vt omnes pugnæ, omnes hostilitates, quæ in Deũ exerceri possunt *via facti*, hostilitates & peccata non reputentur esse, nisi voluntas hæc eorum author sit. *Mala voluntas efficiens est operis mali* (dicit S. Augustinus) *vsque adeo peccatum, voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*, dicit tota schola post S. Augustinum. Veniamus iam ad tertium pugnæ genus, quo via facti contra illam pugnamus. Deo *via facti* bellum facimus exequentes aliquid quod intellectus noster male consultus bonum iudicat, cui voluntas nostra seditiosa male consentit, contra sanum Dei iudicium, & sanctam eius voluntatem. Cum aliquid aut dicimus cõtra præcepta eius negatiua, blasphemantes, aut accipientes in vanum sacrosanctum nomen eius, reddentes falsum testimonium, suadentes aut docentes falsa, proferentes scandalosa ac indecentia, detrahẽtes proximo, vel etiam cum manu homicidia, latrocinia concussiones, insolentias, violentias, subsignationes falsas, bonis persecutiones inferimus; quæ Deus tanquam in maiestatem suam admissa habet, dicit enim per Prophetam, *qui tangit vos tangit pupillam oculi mei*, & olim de cælo ac throno suo Christus S. Pauli auribus intonuit, cum ferro flammaque pauculos nuperosque vastaret Christianos, *Saule Saule quid me persequeris?* & in nouissimo die dicet. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Cum denique prostituimus ac abutimur corporibus nostris ad omnes concupiscẽtias carnis, ad inordinatos amores, rem quam & veteres & moderni veram appellarũt pugnã, & amãtes milites: vnde veteres hi versus ab amoris magistro. Ouid. lib. 1. Eleg Eleg. 9.] *Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido.*

*Attice, crede mihi, militat omnis amans.*
*Quæ bello est habilis, Veneri quoque conuenit ætas:*
*Turpe senex miles, turpe senilis amor.*
*Quos petiêre duces annos in milite fortis,*

*D. Augst. lib. 12. Ciuit. cap. 6.*

*Acto. 9.*
*Matth. 25.*

Ilos

*Hos petit in socio bella puella viro.*
*Peruigilant ambo, terra requiescit vterque,*
*Ille fores Dominæ seruat, at iste, Ducis, &c.*
*Quis, nisi vel miles, vel amans, & frigora noctis*
*Et denso mistas perferat imbre niues?*
*Mittitur infestos alter speculator in hostes,*
*In riuali oculos alter, vt hoste tenet*
*Ille graues vrbes, hic duram limen amicæ:*
*Obsidet: hic portas frangit, at ille fores &c.*
*Custodum transire manus vigilumque cateruas*
*Milites, & miseri est semper amantis opus,*
*Mars dubius nec certa Venus: victique resurgunt.*
*Quosque neges vnquam posse iacere, cadunt.*

Et epitheta nostra gallica *amantes milites* appellãt cupidinis, & amores *dulces inimicitias, dulces pugnas iucundas rebelliones, ac cædes*. Quæ verba nihil nisi pugnã sonant. Et Apostoli de voluptatibus carnis loquentes verbis eas explicant militaribus. Nominatim S. Petrus, dicens, *abstinete vos à carnalibus desideriis quæ militant aduersus carnem.*

*Mauritius de Portatit. Amoreux in suis epithetis.*
*1. Pet. 2.*
*Galat. 5.*

S. Paulus, *caro & spiritus sibi inuicem aduersantur, & castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum aliis prædicauero ipse reprobus efficiar*, facit vt milites qui hostem fame macerant, & sic sub iugum seruitutemque mittunt. Pugna igitur vna est, & quidem contra Deũ vacare inordinatis carnis voluptatibus, vnde accenditur fomes peccati, qui nunquam cessat. Pugna hęc vastat, populatur, laniat, diripit Christianitatẽ multo crudelius, ac deducendas in cælũ colonias populosque plures in infernum præcipitat, quam vllum bullum aliud. Imo sane, *Inter omnia certamina Christianorum duriora sunt prælia castitatis: nam ibi continua pugna, & rarior victoria.*

*D. Augusti. in serm. D. Grego. Naz. orat. de pauperum cura.*

*Quod timeo, foueo quod amo, timeo: priusquam bellare incipio, concilior, & antequam pax fiat, dissideo.*

Dicit quidam S. Pater de carnis stimulo. Bellum plane diuersum ab aliorum vitiorum pugnis. Alia enim vitia paucos assiliunt, sternuntq; certos: aliquos mendacia, fraudes, mercatores, ac vitilitigatores, rapinæ

pinæ violentiæ militē; oppressiones Principem, au
Præsidem; contentiosę disputationes doctū; Simonię
ecclesiasticū: solum carnis vitium omnes impugnat,
omnes lacerat, neminē quantumcunq; sanctum ne
violentiæ putans exētum. *Non est qui se abscondat a*
*lore eius*, vbique ignem suum accendit nec ciliciis p
D. Bern. cet, nec saccis, magis quam sericis: *luxuria omnem*
*dinem soluit, omnem gradum peruertit. Sericum nōtum*
*cilicium non curat, lasciuit in plumis, i. f. stat in paleis* Pu
gna quę sternit sępe nobilissimos milites, ac strenuis
simos exercitus Dei prælatos. Pugna in qua victor &
victus, amans & amata, lethalibus se ictibus quoad a
nimam cōuulnerant. Bellum quod omnes honores,
facultates, sanguinem, viresque exenterat. *Qui formi-*
*catur in corpus suum peccat*, corpus suum vastat dicit S.
1. Pet. 2. Paulus. S. Petrus. *Abstinete vos à carnalibus desiderijs,*
*quæ militant aduersus animam.* Pugna stataria, nescia
fugæ, nec alio deflectit semel passa repulsam, *luxuria*
dicunt Theologi, *peccatum magnæ adhæsionis est.* Videtis iam opinor clare quomodo omnis peccator, pro
Satana, contra Deum militet, & contra bonum suum
nihilque necesse est vt publicatum à S. Iacobo Dei e-
dictum generale proponam, contra omnes mundi
amatores. *Adulteri nescitis quia amicitia huius mundi*
*inimica est Dei? quicunque ergo voluerit esse amicus sæculi*
*huius, inimicus Dei constituitur.* Omnes interim hi ho-
stes, adeo infirmi, adeo ignaui sunt, vt contra Deum
bellantes non plus proficiant quam Titanes aut gi-
gantes, bellum mouentes Ioui, aut equus reluctans
calcaribus: & si quid vincunt hoc tantillum est quan-
tum Deo, cui aduersantur videtur, qui nōnunquā ali-
quantulū retrocedit, vt tāto lōgius insiliat, ac nouit
loco & tēpore nōnihil deperdere, vt duplū lucretur.

D. August. lib. 12. ciuit. c. 13. ] *Dicuntur in scripturis inimici Dei, qui nō natura sed vitio aduersantur eius imperio*
*nihil valentes ei nocere, sed sibi. Inimici enim sunt resistendi voluntate, non potestate lædendi*, nihil enim referunt
nisi suum damnum.

Prouerb. 1. ] *ipsi contra sanguinem suū contrariantur, &*
*moliuntur*

*moliũtur fraudes contra animã suã, Stipẽdia peccati mors.*

## III.

*Quomodo Prodigus tandem pugnam inierit cum Satana, conuersus ad Deum.*

SI vnquam, dilectissimi, fel citer aliquis contra Deũ bellum incæpit cruentum, furiosum, diuturnum; ille certe noster est Prodigus: qui à iuuentute suã sub Diaboli signis miles ascriptus, dixit patri: Age pater, huc loculos. *Dixit adolescentior ex illis patri: da mihi* &c. Accepta bursa statim ad libertatis regna cũ illa profugit, ibique bonum diem egit; mensam habens à tergo, focum à fronte, amicam ex latere *à dextris à sinistris*, nocte in comessationibus, die in plumis *noctem verterunt in diem*, ac vno verbo lepide viuens, totũ se dedit voluptatibus, *viuendo luxuriose*, habet cõtextus. Cogitate dilectissimi quot peccata sub verbo, *luxuriose*, contineantur. *Omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meũ quin omni voluptate frueretur*, dicere posset cum Salomone. Atque ita creaturarum & mulierum deditus amoribus, magnũ suo creatori bellũ mouit. Sed Deo laus, bona de illo audite noua, *in se autem reuersus*, id est retrahens se ab hac pugna, soluẽs baltheum, seruitium quo Diaboli, fugiens signa, ac abiiciens & spolians se iis quæ congesserat, *desertis partibus aduersis reuertitur*. Multũ præstitum, quamuis ad se tantum adhuc reuertus: suspẽdens ex paxillo arma & domi suæ quasi neutralem se continens. Initium enim amicitiæ est, contra partem illam quam impugnaueris, non amplius signa sequi inimicorum: & amicitia quędam est nõ esse in festum nec vllam exercere hostilitatem. *Qui enim non est aduersum, pro vobis est* dicit Dominus, sed amplius hic dicitur quod sit reuersus *contra se*, id est inuerso sagulo, aliam recepit militiæ tesseram, alium colorem.

*Mutemus clypeos, Danaumq; insignia nobis Aptemus.*

Aptemus, dicit quidam. Siue vt clarius dicamus, abdicata quã secutus erat militia, ad partes se contulit oppositas; factus latino nomine *miles transfuga*, adiecit enim se hosti, obuertẽs caput & mucronem anti-

*Iob.*

*Eccle. 2.*

*Marci. 9.*

*Virg. 2. Æneid.*

quis commilitonibus, secum pugnans etiam ipse.

*In sua victrici conuersus viscera dextra.*

*Lucan. lib. 1.* Audax facinus, quod in mundo si deprehenditur, capite plectitur. Sed quid nobis hæc parabolica locutio in peccatoris opere insinuat. Quantum mihi videtur, nihil aliud quam perfectam conuersionem quæ consistit primo in deserendis, quæ male amaueris, secũdo in amando quæ male oderi. *Auerti a commutabili bono, & conuerti ad bonum incommutabile.*

Tertio in satisfactione, & quantum possibile in demolitione eorum quæ per peccata male struxeris, & tandem in reædificatione eorum quæ forte destruxeris. *In se reuersus.* Dicere vult peccatorem deseruisse militiam Diaboli & carnis, quam pro se educebat in auxilium, contra Deum; ac adscriptus inter Dei seruos, spirituales milites, ratione contra Diabolum & carnem militaturus, quod antea horrebat: a castris & obsequiis Diaboli, contra Deum, rationem, & Spiritum, translatus ad castra & obsequium Dei, & rectæ rationis; cõtra Diabolum, carnem & sensualitatem. *In se* aut contra se *reuersus* indicat, quod quasi cum S. Augustino retractationes fecerit primarum opinionum, ac mutata sententia, priores suos errores impugnet: vel quod cum ante putaret neminem nimium se posse amare, stultitiam esse & barbaram crudelitatem ferre crucem: mutauerit modo animum, dicens cum Christo *qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si bene oderis tunc amasti.*

*D. August.* Vel quod, cum hactenus totus pro carne sua stetisset, pro sua sensualitate, contra spiritum & rationem, in seruitutem volens redigere eos qui ad imperiũ nati erant, & facere dominas quæ seruire debebant, hostis factus sit carni, amicus spiritui & rationi. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Vel quod cum hactenus deperisset mulierculas, & quæ voluptate augerent, nihil gustans rerum diuinarum, cum probasset vitam voluptuariam, detestatus duram viam crucis & mortificationis (*quia propter te mortificamur tota die,*

*du, æstimati sumus sicut oues occisionis*) exinde iã odisset feminas, amæna omnia, & nusquam nisi in Deo oblectaretur: detestans voluptates carnis, commendans studia, veramque philosophiam, maxime Christianã; quæ nihil docet quã se mortificare, crucem portare. *Tota enim Philosophorũ vita, Platonis sensu est iugis commentatio mortis* (*sensuum sc.*) Execrabatur vitam à se transactam, vellens capillos, tundens pectus, ac graviter se incusans. *Dimittam aduersum me eloquium meum: Peccatum meum contra me est semper. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam.*

*Plato in Phædone.*

*Hieron. ad Heliod.*

*Cic. 1. Tusc.*

*Heu! quæ me tellus, inquit, quæ me æquora possunt*
*Accipere? Aut quid iam misero mihi denique restat?*
*Vidi iam iuuenem premeret cum serior ætas,*
*Mœrentem stulte præteriisse dies.*
*O! mihi præteritos referat si Iupiter annos.*

*Vide nostrũ Orbis terrarem Conc. 1. pag. 8. edit. Duac. vel 6. edit. Colon. Virg. 2. Æneid. Tibul. lib. 1. Elegia 4.*

Vel qui ante carni quicquid lubebat quamprimũ indulserat, venundatus ad mundana, ad superflua; iam surda præterit aure, nec satis quidem attendit necessaria; claudit velatque oculos ne quicquam videat; sepit aures spinis, ne quicquam audiat; claustrum iniicit ori, vt nec vitiosa aut otiosa, imo nec necessaria, loquatur. *Linguis loquentur nouis*: si caro subtilia postulat indusia, iniicit cilicia; si quærit delicias, imponit ei crucem; ac semper dat contraria inordinatis appetitibus.

*Horat. Satyr. lib. 2. Sat. 7.*

*Sapiens sibiq; imperiosus*
*Quem neq; pauperies, neq; mors, neq; vincula terrent,*
*Responsare cupidinibus, contemnere honores,*

*Fortis*: Bellum subit pro spiritu & ratione contra carnem. Vel qui mẽbra sua iniquitatis fecerat organa, iam iustitiæ & bonorum operũ facit instrumenta. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.*

*Rom. 6.*

Vel qui antea alienæ semper insidiabatur pudicitiæ, scandalisans alios, seducens, corrumpens; modo quantum potest aliorum cõuersioni incumbit. *Quis consurgat mecum aduersus malignãtes, aut quis stabit mecum*

*Psal.*

*cum aduersus operantes iniquitatem?*

Summa, intellectus & voluntas plane ipsi muta sunt: quod probabat antea, nunc improbat; quæ mabat antea, nunc peste morteque peius odit; quæ antea capitaliter oderat, modo efflictim amat; ac plane aliam iam viam ambulat. Eundem esse ... res, ita sensibus, ita affectibus, ita moribus, ita ac... nibus mutatus est. O læta patri eius nuntia.

Ita & nobis agendum dilectissimi si pœnitere vo... mus; in hoc te exemplo, in hoc te speculo, in hi... Prodigo inspice; quem Christus Iesus vt forma... proposuit, certumque ad Deum credendi modum.

D. Augustinus de Pœnitentia.] *Actio pœnitētiæ tunc erit perfecta, & Deo acceptabilis, si ascenderit homo aduersum se tribunal mentis suæ; & constituerit se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat, sicut comminatur Deus peccatori. Atq; ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix, cogitatio, testis conscientia, carnifex timor, inde sanguis animæ confitentis per lachrymas profluat. (Vbi nota pulchri dixisse Augustinum lachrymas animæ sanguinem.)*

Nonne hæc nominata illa peccatrix Magdalena fecit? nonne bellum in se conuertit? quando per vtrumque oculum, duo ista fulgida lumina (quibus tot adolescentulos oppugnauerat, tot spiritus excæcauerat, tot animas occiderat, sicut aspectu Basiliscus) Oceanum emisit lachrymarum, inundauit stratoria, tota in feruidas diffusa lachrymas, publice, in conuiuio, in domo Simonis leprosi. Quando ex aureo & crispanti capillitio (quo tanquam teti & cassibus tot corda inuoluerat) sudarium fecit, non vt Veronica, ad extergendam Iesu Christi faciem; sed ad extergēdos pedes, pedes nunquam calceatos, & proinde bene puluerulentos, bene lutosos? Pedes antea ploratu rigatos, & proinde bene sordidos? Quando roseo ore (quod osculis, cantionibus, animas antea deprædabatur, infecerat, necauerat, basians Sapphice, loquens dulce, spirans aromatice) tristis iam domini osculabatur pedes, & terram sacris vestigiis calcatam, & omnium forte pedes conuiuātium? Quando od...

*Lucæ 7.*

doodorata vnguenta, & aromata (quorum suaui odore magnam ad se turbam traxerat amantium, sicut Panthera alias suaui afflatu allicit bestias, *Curremus in odorem vnguentorum tuorum*) in benedictum totius mũdi caput profudit, quo alias cõsueuerat perũgere suum. Cum deniq; eisdem membris, eisdem brachiis (quibus tanto opere impugnauerat & diuerberauerat Deum, & animam suam sub Diaboli stipendiis sauciauerat) pro Deo, pro anima, contra Satanam cœpit depræliari. Quid? Noster etiam S. Franciscus, quando agere cœpit pœnitentiam, suis bellum indixit opinionibus, actionibus, affectibus: sentiens, amans, agens, plane contraria quam ante conuersionem. Audiamus ipsum si placet loquentem, & credamus: testamentum enim hoc ipsius est, in morte, aut saltem non diu ante mortem conditum, post accepta Iesu Christi stigmata. *Dominus dedit mihi Fratri Franciscus ita incipere facere pœnitentiam: quia cum essem in peccatis nimis mihi videbatur amarum videre leprosos, & ipse Dominus eõduxit me inter illos, & feci misericordiam cum illis. Et recedente me ab ipsis, id quod mihi videbatur amarum, conuersum fuit mihi in dulcedinem animæ & corporis.* *Ex prologo testam. S. Francisci.*

Sic, sic etiam S. Paulus rem instituit, qui deserens Synagogam, & Christum sequens, omnia faciebat primis operibus contraria. Nam ex Christianorum infestissimo persecutore factus eorum Patronus, ex lupo agnus, ex fure & raptore dispensator. *Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, vesperi diuidet spolia (vesperi postea:)* *Genes. 49.* Ex destructore ædificator, ex eradicato, e plantator, ex Iudæo Christianus, Iudaismi hostis infensissimus. *Paulus autem magis conualescebat, & confundebat Iudæos, affirmans quoniam hic est Christus.* *Actor.* Hoc, hoc est facere fructus dignos pœnitentiæ, quos S. Ioannes Baptista magnus præco pœnitentiæ, exigit. Faciamus & nos dilectissimi; Faciant sic & nostri hæretici, deserant castra hæreticorum, redeant ad ordines & signa Ecclesiæ, sibi ipsis bellum moueant, palinodiam canãt, dedoceant quæ docuerũt, recantent

tent errores quos cecinerunt, & linguas & calam & eloquentiæ suæ arma, ad hæresis sui exterminiu conuertant. Imitentur S. Augustinum suos prius in pugnantem Manichęos, adiiciant animos ad no randam doctrinam Catholicam, ad reducēdo os seduxerunt, aut quod par est, alios æqua permuta ne in locum ipsorum Deus nobis gratiam illa ciat, vt sic omnes conuertamur.

# CONCIO NONA.

*Græca.* 7. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν εἶπε.
*Vulgata.* 7. *In se autem reuersus, dixit.*
*Syriaca.* 7. *Quumq; ad se redijsset, ait.*

## ARGVMENTVM.

*Dicemus hodie.*
1. *Hominem esse admodum in negotiis inconstantem, maxime in rebus salutis.*
2. *Totum mundum in duas diuidi ciuitates admodum diuersas.*
3. *Quod homo partes & Principem sæpe mutet.*

## AVE.

### I.

### *Hominem esse admodum in negotiis inconstantem, maxime in rebus salutis.*

QVM mille inter Deum & homines discrimina sint, Auditores, præcipuū tamen mihi esse videtur essentiæ & voluntatis ipsorum constantia atque inconstantia. Deus enim secundum esse & velle, suum semper idem manet, æque viuidus, æque vegetus, æque fortis, æque prudens; nihil patiens, nec crescens, nec decrescens. *Ego Deus* (inquit per Prophetam) *& non mutor* immortali florens æternaque iuuenta. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.*

*Alludit Autor hoc versu ad illum Tibulli lib. 1. Eleg. 4. Solis æterna est Phœbo, Bacchoque iuuenta.*

Hom

Homo contra aut ipsa est inconstantia, aut ipsa pertinacia & obstinatio. In perpetua mutatione tam patiens quædam independentia à libero arbitrio, quam agens ex libertate voluntatis. Patiens non libere quantum ad corpus, & dona animæ, & quantum ad bona quæ veteres appellarunt fortunæ: nunquam sibi similis, vnum perdurat diem. *Homo nunquã in eodem statu permanet* dicit Iob: à iuuentute transit ad senium, à firmitudine ad infirmitatem: iam solidus, iam arundine fragilior; iam sanus, paulo post æger, modo viuus, & ilico mortuus; iam diues, iam Rex, & cuestigio pauper, & seruus; momentum temporis inter solium & aliena genua.

*Ludit in humanis Diuina potentia rebus,*
*Et certam præsens vix habet hora fidem.*
Voluitur semper fortunæ rota,
*Iras & est subito qui modo Cræsus erat.*

*Ouid. 4. de Ponto.*

Ad tantam redactus inopiam, vt seipsum in rogo pyraque ligatum à victore suo Cyro conspexerit. Belisarius primum sub Iustiniano Imperatore summus militum Dux, cæcus stipem publicè à transeuntibus mendicauit. Heri Valeriani, Romanorum Cæsares; Heri Baiazetes, Turcarum Imperatores; hodie collum dorsumque inclinant, vt ascensuris in equum victoribus scalam faciant, Baiazetes Tamarlano magno Tartarorum Regi, Valerianus Sapori Persarum Imperatori. O rerum humanarum inconstantiam! Sed excusabitis quod hæc voluntaria non sint, & consequenter nec vituperium mereantur, nisi in quantum primi parentis peccata & nostra propria, ad hoc præcipitarunt. Hoc equidem volebam: sed monstrabo hominem in rebus sibi liberis multo etiam mutabiliorem. Nonne hodie bonus, cras nequam; mane lupus rapiens, vesperi omnia rursum quæ ceperat profundens? *Beniamin lupus rapax mane rapiet prædam; vesperi diuidet spolia.* Modo affirmant, modo negant. Heri tibi amicus quam posset fidus maxime, hodie tibi infestus magis quam lupus agno, magis perfidus quam Pœnus Romano, &, *ipsis mendacior*

*Genes. 49.*

*Sallust. orat. in Cicer.*

*dacior Parthis.* Nunc his fauens, nunc illis, vtrimque *leuissimus transfuga. Aliud stans, aliud sedens de Republica cogitat. Amans te, non vt osurum, sed vt osum ipse.* Et cum contractam soluit amicitiam, non tam dissuit paulatim, & filatim quasi, sed totam vnoctu disrumpit, ac intercidit. Hodie diruit, nouumque superædificat; paulo post nouas fabricas deuertit.

*Genes.* *Destruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.* Labã hodie daturus est cognato suo Iacob pro salario omnes fœtus varios & maculosos, cras retinere volet, & mutabit mercedem pastori suo septem vicibus.

*Quod placuit spernit, repetit, quod nuper omisit.*

*Eccl. 27.* Qui talis est in œconomia ac politia, multo etiam instabilior est in conscientia & anima. *Stultus vt Luna mutatur.* Versatilior Protheo, vt in omnem formã transeat: instabilior Euripo, septies de die æstuanti.

*Prou. 24.* *Septies cadet iustus & resurget.* Quid hoc: nisi reciprocare, fluere, & refluere, descendere & ascendere, decies & quater vno die; septies velle malum, septies quotidie velle oppositum; labi ac relabi centies momento tẽporis, ac semper in omnem ventum cum cothurno versari, vel cum arũdine ad omnẽ inclinari flatum; iã huc iam illuc, aut cũm hyenis & leporibus mutare (vt aiunt Naturales) sexum, iam masculũ iam fœmineum, vel vt virga quam Moses nunc virgam, nunc serpentem, nũc iterum virgam videbat. *Omnis, omnis homo mendax:* nihil in homine statum. *Vana salus hominis: Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum in quibus non est salus.* Non intellectus ipsi constans, vt varia ipsius demonstrant iudicia, palinodiæ, retractationes, non semper adeo bonæ ac sinceræ quã S. Augustini, Non volũtas stabilis; vt videre est in varietate affectuum. Non in religione firmus, clamant hoc apostasiæ ad prætensam religionem reformatã, cursus, recursus denuo ad Ecclesiã Catholicã. *Miror quomodo tam cito transferimini in aliud Euangelium, quod non est aliud.* Hoc toties nouatę Augustanę confessiones, tot saltus de fide in fidem *Quem fidibus multis luditur*

*Exod.*
*Psal.*
*Psal.*

*vnafides*. Non semper in moribus idem. Quem enim in Natiuitate aut Paschate videmus contritum, confessum, deliberate resoluisse nunquam iterum peccato succumbere, ecce necdum venit Innocentium festum, & ipse iam perdidit innocentiam; nec Dominicam Albis adhuc illuxit, & ipse iam albam quam in Paschate pœnitens resumpsit tunicam, iterum commaculauit, & (vt nostrum habet prouerbium) Deum in Galileam remisit. Nonne magna hæc inconstantia? Dauid hanc in se sensit & deplorauit. *Ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum. Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Auertisti faciē tuam, & factus sum conturbatus.* Psal. 29.

S. Petrus quid? Audiuistis ipsum die Iouis sanctu offerentem se ad omnia; corpus dare excarnificandum & excoriandum antequam fidem falleret, negaretq; magistrum, sed post paulo, quam primum manus iniecta est Domino, coniecit se in pedes S. Petri: reuersus postmodum ad palatium Pontificis, dæmulierculæ ipsum adegerunt ad negandum, pernegandum, deierandum, execrandum quod non nosset magistrum. Hoc modò, dilectissimi, etiam in nostro videmus Prodigo. Nam ecce qui antea nihil præter patrem oderat, qui malebat seruire foris, quam in paternis ædibus bene se gerere, nullius modo rei æque pertæsus est, atque externi domini, & nihil æque anhelat atque bonum suum parentem. Antea nihil nisi carnis sectabatur voluptates, iam nihil nisi illas odit. Antea ita adulabatur sibi, vt quicquid ageret recte opinabatur factum, iustificans sua opera, ac putores suos aromata putans ac suauecentias, iam nemini æque ac sibi displicet, nullus actiones æque grauiter atque suas incusat. *Ecce in se, contra se, aduersum se reuersus*, bellum venit mouere sibi & iniquitati. Ecce ipsius inconstantiam; sed in tali re optimam, ac laudabilem: *Hæc mutatio dexteræ excelsi.* Et sicut plerumque desertores multo pugnant furiosius contra partes quas ante sequebantur, & multo animosius

sius partem nouam propugnant quam alias impu-
gnauerant, adeo vt nulli fere fideliores & constantio-
res inueniantur in exercitu. Testimonio est Achito-
phel, qui pro Absolone contra Dauidem tantum ó-
siliis suis egit. Testimonio quidam Curio, qui
Iulio Cæsare iuratus fuisset hostis, mutata volun-
ac partibus, corruptus auro quod Cæsar ei dona-
rat ad soluenda quæ contraxerat debita, inter prim
postea fuit defensores Cæsaris. Nã, vt refert Seruil
vendidit ipsi Romanam ciuitatem viginti sex scute-
rum aureorum millibus. Sic & noster Prodigus bel-
lum offensiuum infert Satanæ, vitiis, peccatis, sen-
sualitatibus, & carni suæ. Defensiuum pro Deo suo,
pro legibus, virtutibus, pro spiritu, & recta ratione:
multo fortius quam plerique, qui nunquam vt ipse
in castris aduersis militauerant. Quam hostiliter car-
nem ab ipso putatis tractatam? Non opinamini illi
tanquam inimico subtractam annonam, vt ieiunijs,
& abstinentia compelleretur dedere se rationi? Opi-
namini vincula ipsi rigidissima defuisse? & non po-
tius tanquam capitalem hostem, funibus reuinctam,
ad reparationem præteritarum dissolutionum? An
oblitum putatis flagris ac fustigationibus, ob priores
stultitias, castigare inimicam? Non creditis totam
ipsius curam circa hoc versatam, vt fracta laboribus,
subruta, subfossa, eneruis ac debilior, spiritui seruiet
victori? *Cum infirmor tunc fortis sum.* Summa Summa-
rum; totus sibi incubuit, omnem belli vim in se transi-
tulit, homo interior in exteriorem, spiritus in car-
nem, ratio in sensum, donec se vidit totum mutatum
mutatum in alium, totum, totum iustificatum: *Cun-*
*ctis diebus quibus nunc milito expecto donec veniat im-*
*mutatio mea.*

*Iob.*

*Iob.*

Nihil deplorans, nihil detestãs æque, quam quod
male consultus, arma in Deum tulisset. *Quare posuisti*
*me contrarium tibi? Peccatum meum contra me, &c.*

*Psal. 50.*

Actor.] *Durum, contra stimulum calcitrare.*

Salluſt. de bello Iugurtino.] *Frustra niti, neq; aliud*
*se fatigando, nisi odium quærere, extremæ dementiæ est.*

II

## II.

### *Totum mundum diuidi in duas ciuitates, admodum diuersas.*

VIdete igitur nostrum Prodigum aliarum partiũ militem, ciuem, & incolam alterius Reipub. vasallum alterius Principis. Nam transmigratio ad hãc partem, ad hanc ciuitatem, ad hunc Principem, nouũ plane postulat agendi modum: *Alieno nunc more viuendum. Si fueris Romæ, Romano viuito more. Velle suum cuiq. Vnusquisq; in sensu suo abundat. Hæc dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.* *Terent. in And. Act. 1. Scen. 2.*

Duæ hæ Ciuitates, vna Dei, altera Diaboli, non tantum differunt dominis, quorum bonus alter, alter malus, nec solum fundatoribus; ciuitas enim Dei à Theophilia, aut Dei amore, & contemptu sui ædificata est, Diaboli autem erecta à Philautia, & sui amore, ac contemptu Dei; sed & habitatorum numero. Nam Dei ciuitas etsi amplissima & capacissima, paucis tamen constat ciuibus, & pene videtur deserta. *Ciuitas magna, magna solitudo: quia angusta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci ambulant per eam.*

Ciuitas Diaboli exuberat populis tanquam aliqua Babylon: nam post Adami lapsum, omnes eius nascimur ciues. *Omnes nascimur filij iræ.* Et quamuis Baptismo in ciuitatem Dei simus adscripti, quot inueniuntur qui ad peccata dimissa recurrunt, & centies retracti per pœnitentiam, centies iterum nouis peccatis transmigrant. *Lata est via perditionis, & multi ambulant per eam.* Via perditionis ciuitas est Diaboli, & quia laxa est, multi eam sequuntur. O Deus meus, quoties & ego & vos, post baptismum, post infelicem illam ciuitatem repudiatam, per serium *Abrenuntio*, & post tot absolutiones sacramentales, post tot pœnitentias, quoties turpiter transfugimus. Quoties relicta Dei Ciuitate, ad Ciuitatem Diaboli reuertimur? O quoties, si iuxta militarem (qualis apud homines est) tractaremur disciplinam, acti fuissemus in crucem? Non mutantes tantum eorundem castro-

rum Duces, sed sępe etiã aduersis partibus seruientes.

Differunt etiam ciuitates hæ exercitiis & opificiis. In Dei enim ciuitate hæ artes sunt, hæc exercitia.

* 1. *Amare Deum, contemnere seipsum.*

* 2. *Amare proximum sicut seipsum.*

* 3. *Ferre crucem, ieiunare, seipsum mortificare, confiteri peccata, ignoscere inimicis, orare pro iis, ac ipsis bene facere. Sapientia iustorum est nihil per ostensionem fingere, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumeliã lucrum putare*: inquit S Gregorius. In Diaboli ciuitate, hæ sunt artes, hęc exercitia.

*D. Greg. lib. 10. mor. cap. 16. in c. 12. Iob.*

* 1. *Deum spernere, se nimiũ amare. Fons omnis peccati* (vt inquit Plato) & contrarium peccatorum remediis: quia quilibet sic constitutus facile sibi ignoscit, & se honore digniorem iudicat, quam reuera sit.

*Plato sup. de legib.*

* 2. Alta spirare, inordinatis amoribus ardere, & nihil meditari quam auaritiam. *Omne quod est in mundo*, inquit S. Iohannes, *concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est.*

*1. Ioan. 2.*

* 3. Eiicere omnes virtutes, recipere vitia.

* 4. Excusare semper peccata sua. *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.*

*Psal. 140.*

* 5. Eadẽ publicare, ac gloriari, tam de iis quæ feceris, quã de eis quę nõ feceris. Peior illis, qui se primi parentis peccato excusant: omnis enim vel iusta, vel iniqua excusatio, testimonium dat aliquem adhuc esse peccati pudorem: peior etiam aliquibus brutis, quæ quum aluum exonerarint, sordes suas operiunt, terram in icientes vnguibus. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt.*

Certe S. Augustinus de se fatetur quod ante conuersionem, inter petulantiores iuuenes, cum quilibet de malegestis gloriaretur, ipse etiam iactauerit, ne eis videretur melior, feciisse quæ non fecerat: inter tales enim pessimus est, qui nocuerit minus, & *ab huius mun-*

*D. August. lib. Confess.*

*mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur.* Dicit S. Gregor. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Psal.

* 6. *Habere libertatem quidlibet agendi, & viuere ad libitum.* Vt fere apud plerosque hæreticos. *Corcyra libera est, caca vbi libet.*

D. Gregor. lib. 10. moral. cap. 16 in c. 12. Iob.] *Huius mũdi malitia est, cor machinationib. tegere, sensum verbis vlare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc sibi obsequentibus præcipũ honorũ culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere cũ vires suppetunt: nullis resistentibus cedere: cum virtutis possibilitas deest, quicquid explere per malitiã nõ valent, hoc in pacifica bonitate simulare.*

* 7. In summa, facere quicquid carni libitum, nihil aut parum quod spiritui. *Venite, & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus: non præteat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequã marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ: vbiq; relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.* Hoc est quod quærimus dicunt illi, *edamus & bibamus, cras enim moriemur.* Et me mortuo, equo mortuo, mortua omnia, dicunt Athei & Epicurei. Commoda lex viuentibus, mala morientibus, dicebat quidam, loquens de Caluinismo. *Sapi. 2.*

* 8. Paruulos adigere ad iurandum contra Deũ bellum: quasi ab incunabilis, sicut Amilcar Hannibalem filium suum nouennem, ad altare iurare compulit, bello Romanos vleisci, cum primum foret armis idoneus. Virgil. 4. Æneid.

*Tum vos (ô Tyrij) stirpem & genus omne futurum* (piorum & Catholicorum sc.)
*Exercete odijs, cineriq; hæc mittite nostro*
*Munera: nullus amor populis, nec fœdera sunto.*
*Exoriare aliquis nostris ex ossibus vltor,*
*Qui face Dardanios ferroq; sequare colonos,*

*Nunc, olim, quocunq; dabunt se tempore vires,*
*Litora litoribus contraria, fluctibus vndas*
*Imprecor: arma armis pugnent, ipsiq; nepotes.*

Reuera Martinus Lutherus se Papæ & Romanæ Ecclesię professus hostē, minabatur. *Mortuus bis hosti ero.* Adeo vt de ciuitatis illius ciuibus iure dici possit, quod alibi de Iudæis dixerunt iniuria, qui reparationem Hierosolymæ, & subuersorū mœnium reædificationem conabantur impedire, *vrbs illa rebellis est, & nocens Regibus & Prouinciis, vt bella concitantur in eaux diebus antiquis.*

1. *Esdr.* 4.

2. *Machab.* 14. *Assidei Iudæorum bella nutriunt, & seditiones mouent, nec patiuntur regnum esse quietum.*

Non magis quam olim Carthago Romam dimisit tranquillam ac Lacedæmon Athenas.

Ecce tibi artes ac opificia Ciuitatis aduersus Deū rebellis, sub Satanæ Tyrannide. Deus bone, quæ inter duas has ciuitates, ac ciues est differentia? Quare recte dicimus Prodigum vt declararet se reuera partes ac ciuitatem mutasse, omnem operam dedisse vt antiquas consuetudines, moresque deponeret, quos in Diaboli ciuitate didicerat: & quam maxime annisum vt naturam & ciuitatis Dei bonos mores indueret.

*Virg.* 2. *Æn.* *Quisquis es, omissos nunc iam obliuiscere Graios.*

Consuetum enim est aduenis, & ad alia castra transeuntibus militibus, accommodare se statim iis quibus adsunt, & locorum consuetudines moresque sumere quos inueniūt, dimittere antiquos, propriosque, & nouis multo seruire diligentius, tum vt monstrent quod reuera partes mutauerint, ac sic tandem ad dignitates vrbis, aut militares coronas, quasi indigenę promoueantur, aut saltem vt habeantur fideles. Latini id appellant *sese venditare. Quomodo autem sese venditant Cæsari* (ait Cicero ad Atticum) *id est in clientelam Cæsari dedunt se & ancillariter seruiunt.*

## III.

*Quod homo partes & Principem sæpe mutet.*

Dici

Dici non potest quam homo sit varius, quoties studia mansionemque mutet. Nunc Dei, nunc Diaboli ciuis, nunc hic nunc istic Adam; & nos in illo, diuinæ ciuitatis ciues creati sumus: sed quid? continuo facti sumus (sex horis vt aiūt post creationem) ciues Diaboli, & deinde omnes ciues nascimur maledictę ac diabolicę ciuitatis, per peccatum Originale. *Omnes nascimur filij iræ: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Deinde per baptismum & gratiam Christi à Diaboli ciuitate, ad ciuitatem Dei plerique transfugimus, per magnum *Abrenuntio*. Ac ibi tam sumus accepti, vt non aduenæ sed genuini habeamur, *Iam non estis hospites & Aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei.*

Oseæ 2.] *Dicam non populo meo: populus meus es tu: & ipse dicet: Deus meus es tu.*

Sed videte inconstantiam hominis, liberique arbitrij. Vix attingimus rationis vsum; nonum, septimum, quintum annum, plus minus, ac nutamus statim mortaliterque offendentes Deum, rursum diffugimus ad ciuitatem Diaboli: inde rursum per pœnitentiam ad ciuitatem Dei, & hoc *toties quoties* peccamus mortaliter, & iterum per congruam pœnitentiam resurgimus. O admirabilem Dei bonitatem! quæ toties portas, toties brachia transfugis aperit, ac toties nomina nostra de nouo registrat ac inscribit aureo prædestinationis libro, secundum iustitiam præsentem, toties delet, eraditque, toties describit ad ipsorum beneplacitum. O si ciues ac milites terrenorum essemus Regum, ac toties claudicaremus in partium fide, quoties penderemus ex arbore, si tot haberemus animas! O quoties, quoties, & vos & ego apostatauimus? stationem post baptismum deseruimus? quoties post primam pœnitentiam & confessionem? *Septies cadet iustus & resurget.* Si quælibet nostra fuga *Prouer. 24.* seculari disciplinæ militaris rigore plecteretur, vix cordigeris cordę, vix syluis cruces superessent. Si suspenderemur toties quoties transfugimus, ac toties reuiuisceremus, vix miseri cordigeri funes inuenire-

mus ad cingula, toties quilibet in ſtatu ſuo labimur.

Duo tamen, partes mutantium genera ſunt, quorũ illi qui ſic mutant vt Prodigus ſunt meliores. Peiores illi qui per pulchrum vitæ initium, ciuitatem Dei habitant, & multo ſatis tempore partes eius ſectãtur, ſed eheu tandem turpiter in Diaboli ciuitatẽ ſe dant. ac totam priorem deponunt vitam: ſpiritum, qui regnare ſolebat, compingunt in ſeruitutem; ſenſualitatem, & externum hominem, ad regnũ euehunt qui ſeruire & ancillari conſueuerat. Veri Achitopheles, Dauidi pro tempore fideles, infideles poſtea ſeruique Abſolon, donec vtriq; ex laqueo pendeãt. Tales fuerunt Neroñes inter Romanos. Tales Saules, & Salomones, inter Reges Iſrael. Nero enim hic illic legitur, primis quinque imperij annis, non tantũ fuiſſe tolerabilis; ſed omniũ aliorũ laudes ſuperaſſe. Traianus dicere ſolebat *Procul diſtare cunctos Principes, à primo Neronis quinquennio*, vt, tum vrbis ac orbis deliciæ appellari potuerit, & (ablato paganiſmo) bonus ciuis ciuitatis Dei. Subſequentibus vero nouem annis, ita omnibus opertus eſt flagitiis, maxime impudicitia & crudelitate, primus Imperatorũ qui auſus fuit arma imperatis in Deũ expedire. Vt per infamiam propriũ ipſius nomen, factum ſit appellatiuum, & crudeles omnes appellentur Nerones, & qui in eo genere excellũt *Nerone Neroniores*. Mortuus denique *in ſe reuerſus, contra ſe reuerſus*, ſibi ipſi totus contrarius, & factus ex Dei ciue ciuis Diaboli, iure ac priuilegiis ciuium ipſius, in inferno perpetuum iam gaudet. Saul & Salomon quid? Saul multo tempore ciuis fuit Dei; bonus & optimus ſub patris diſciplina conſtitutus, tantum alios virtute ſuperans, quantum corpore. *Erat ei filius, vocabulo Saul, electus & bonus, & non erat vir de filiis Iſrael melior illo, ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum.*

*Sext. Aurel. Victor de vit. Imp. Rom. in Nerone.*

*Euſeb. Ceſar. lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 24.*

1. *Reg.* 9.

In regno ſuo ad duos circiter annos adeo integre adeo innocenter egit, vt puer vnius anni in ſcripturis nuncuperur. *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cepit, & vbi Chaldæus paraphraſtes ait, fuiſſe virum inno-*

1. *Reg.* 13.

*cen-*

*ctem, ob id vocari filium. Saul sicut puer vnius anni erat, in quo nulla sunt peccata, quum regnare cæpit. Hunc sequũtur Doctores, ait Vatablus: quod est contra Castalionem putantem locum corruptum, & agi de ætate qua regnum inierit Saul, nihilq; memorantem de prima Saulis innocẽtia.)*

*Vatabl. annot. 1. in 6. 13 Reg. Castalion annotat. in cap. 13. Reg. Actor. 13.*

Sed non permansit in bonitate (mutamus enim mores, sed rarius in meliores.) Duobus tantum annis probe rexit, ciuis ciuitatis Dei, *Duobus annis regnauit super Israel* dicit Scriptura. Quomodo duobus annis inquies? cum in Actis Apostolorum legatur regnasse annis quadraginta, & Iosephus sub fin. lib. 6. referat sedisse octo annis viuo Samuele, & Samuele mortuo duobus adhuc & viginti annis. Respondeo diuersimode. Primo. Ipsum tantum duobus regnasse annis, quia solum tam diu gauisus est dignitate regia, qua exutus est ad annum secundum. In Actis autem Apostolorum dicitur regnasse 40 annis, & à Iosepho 30. Quia etsi dignitate regia spoliatus esset, cum pluribus tamen annis actualis Reipublicæ administratio penes ipsum erat. Vt sic respondeam, doctus mihi author est Vatablus. Secundo. Dictus est sedisse duobus annis, vt significaretur annis sequentibus non Rex, sed Tyrannus fuisse. Quam cito ex ciue Dei factus ciuis Diaboli? inobediens cõstitutionibus & mandatis Dei, datis per Samuelẽ, inuidus & æmulus publicæ glorię Dauidis, homicida aliquoties Dauidis per cõsensum, reuera autẽ etiã patricida Sacerdotũ in Nobe, desperãs, sui ipsius interfector, & quis nouit saluus sit nec ne. Damnatus, quantum videtur, propter desperationem, & voluntariã necem; nisi forte in vltimo spiritu animam exhalans, quod possibile est, corã Deo pœnituerit. Salomon etiam nonne pro tẽpore, tenellus adhuc, iuueniscus, egregius Dei ciuis, inimicus diuitiis, ne earũ occasione Dei obliuisceretur; inimicus exactionib. quas ne grauaret, à Deo petebat victui necessaria, inimicus omnis iniustitię: qs enim ignorat æquissimã sententiã, & ius dictũ inter duas meretrices, inter alios de successione cõcertantes? fidissimus executor paterni testamenti, puniens

*Vatabl. annot. 2. in 6. 13. 1. Reg.*

Ioab sicarium & homicidam Amasæ, & Abner, principum militię, circumscribens Semei maledicum, vicem reddens filiis Berzellai, qui fidelis fuerat Dauidi, cum omnes essent infidi? Princeps religiosissimus, fundator Augustissimi templi, quod septem mundi superat miracula. Salomon pro tempore tam lectæ ciuitatis Dei ciuis, vt optime prefigurauerit ac repræsentauerit Messiæ futuri personam. Sed eheu *Inse-uersus*, totus alius, totus sibi contrarius, factus est ciuis diaboli, mulieres amans, tam natione quam religione exteras. Contra Dei mandatum alens in suo gynecæo, nimium & pene incredibilem fœminarum numerum. 700. reginas, & 300. concubinas, vt Persæ olim, & modo Turcæ (cum Dauid pater eius 2. Regum 3. sex tantum habuisse perhibeatur, nec permissum fuerit, vt dicunt Hebræi, Regibus septenarium numerum excedere.) Item nimis stulte amans genus istud Amasiarum, quarum singulis permittebat templa & fana erigere idolis quæ adorabant. *Omnium gentium seruiebat erroribus.* Totum ipsius regnum vnum videbatur idololatriæ templum, fanis ita vbique exædificatis, vt si confunderentur, de eis dicas, *Roma domus fiet*. Denique vt impendia subministraret suis mulierculis, ac idololatriæ; exactionibus vexabat populum, oneribus inusitatis, adeoque intolerabilibus, vt eo mortuo populus de grauamine vehementissime conquereretur, supplicans à successore filio moderationem aliquantulam, qui stulto collactaneorum Principum ac iuuenum consilio, nihil imminuere volens à paternis vectigalibus, sed augere illa etiam comminatus, ex 12. prouinciis vna defectione 10. perdidit: *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis, tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo quod imposuit nobis, & seruiemus tibi.*

*Vide Vatabl. annot. 5. ad cap. 11. lib. 3. Reg.*

*D. Leo de Roma vet.*

3. Reg. 12.

Plorabat plebecula vix trahens animum; pulchrũ speculum nostris regibus. In summa miserum est acta eius legere, descripta fere 3. Regum cap. 10. & in ipsius Ecclesiaste: ac ita Diabolicæ ciuitatis ciuis vixit, totus

tus à se & ciuitate Dei alienus, vt maior Catholicorum DD. pars nesciat quid de statu eius statuat. *Descendit ad inferos* (dici posset) vt Iesus Christus quem præfigurabat; sed dicere nemo vt certum audeat, *Ascendit ad cælos sedet ad dexteram Dei Patris omnipotẽtis*, vt de Christo Iesu dicimus & credimus. Tales mutatores neutiquam probo, & ideo talem cõmutationẽ tanquam impiam & deplorandam, quilibet bono iure detestetur; dicens: *Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis? Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Sed inuenitur etiam aliud mutantium genus, non quidem optimorum: (optimi enim sunt qui post baptismum, quo ciues & indigenæ ciuitatis Dei facti sunt, Deum nunquam mortaliter offendunt, rari vt Sol, vt Phœnix, vt monoceros) eorum scilicet qui primis meliores, vitam in iuuentute lasciuam, cum nostro Prodigo transigunt, ideoque Diabolicæ ciuitatis ciues fiunt; sed per Dei gratiam veram faciunt pœnitentiam, ac per eam se ciues stabiles, ac perpetuos diuinæ ciuitatis efficiunt. *Iob 7.*

Cicero in Catil.] *Multos vidimus & audiuimus, cum totam adolescentiã voluptatibus dedidissent; se ad frugem bonam recepisse, hominesq; graues fuisse.*

Transeo Paganos (quia defectu fidei non videntur inter ciues Dei numerari, quantumcunque mores in melius conuertant) qualis Themistocles, qui ita iuuentutem in Diaboli ciuitate transegit, ac ita vixit, vt eum bonis omnibus exhæredaret pater, mater tædio se strangularet, tandem tamen *in se*, & *aduersum se reuersus*, factus sibi contrarius, seruauit patriam, strauit Xerxis iurati hostis exercitum, nec parem in tota habuit Græcia: nam *quis clarior in Græcia Themistocle*, ait Cicero. Qualis & Scipio Africanus, iuuentutis parum probatæ; tandem tamen vir optimus, baculus senectutis Romanæ, fulcrum patriæ, quam decrepitam, lassam, & longis bellis exhaustam fulsit. Transeo illos. Omnino tamen Regem Manassem præterire non possum; qui ex Prophetarũ *4. Reg. 21.*

carnifice, *in se reuersus*, ac sibi factus contrarius, restaurator factus est & protector honoris diuini. Et S. Paulum; qui vt leo in nuperos ouilis Christi agnellos, quasi leo insidiator caularum irruit. *Spiritus minarum & cædis in discipulos domini in se reuersus* factus est ouis eiusdem gregis, redactus in ordinem diuinæ ciuitatis, & bellum bellauit contra synagogam & Sanam strenuissimè. *Saulus autem multo magis cõualescebat, & confundebat Iudæos*; Nec S. Augustinum: qui iuuenili luxu, & Manichæorum hæresi, *in se reuersus*, ad mirabilem transiit castitatem, & ita fidem propugnauit Catholicam, vt (teste Possidonio) *hæreticos nullo passus sit loco consistere*. Vere malleus & flagellum hæreticorum. Hi transfugæ, & partium desertores mihi perplacent. Nam de malo ad bonum transeunt. Nec solum Apostatæ & desertores sunt partium malarum, & sectatores partis melioris, (quod solum dicit vox Græca Ἀπόστασις, & Latina *defectio*) sed defensores etiam nouarum partium, & primarum impugnatores: quod indicaret Latina vox, *rebellio*, & *in se, vel contra se reuersus* de nostro Prodigo. Difficilius denique est in senectute bene agere, post malas improbæ iuuentutis cõsuetudines, quam malum facere cum quis consueuerit agere bene. Ah anima, anima mea! quando tandem vereeris apostata, & desertrix ciuitatis Diabolicæ, & ciuis ciuitatis Diuinæ? nunquamne? quando tandem firmiter partibus illis adhærebis. *Cunctis diebus quibus nunc milito expecto donec veniat immutatio mea.* Spero & expecto innouationem integram; & venit tantum dimidia iam Dei partibus seruio, per pœnitentiam; iam noua istius pœnitentiæ pœnitentia rursum dilabor alio. Partibus modo his modo illis addictus varius, nescio quam diu. *Homo leuissimus supplex inimicis, amicis cõtumeliosus; modo harum, modo illarum partium, nemini fidus.* Ah! quantum massam, pastamq; communem, ex qua compactus sum, sentio? *Omnis homo mendax, varius & mutabilis, mutabilior metra Erisicthonis*: maxime indoles impiæ, quæ vt Luna mutantur. *Sidera errãtia*, nubes

*Acter. 9.*

*Possidonius in eius vita.*

*Iob.*

*Salu. Orat. in Cic.*

*nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur.* Iudæ 1.

Michael Volat. lib. 28. comment. tit. de stultitia.] *Platoni, stulti Proteo similes sunt; ille corpus, hi animum sæpe mutant.*

V. Beda lib. 3. c. 38. in Marc. 9.] *Hi nunquam in eodem permanentes, nunc ad hæc, nunc ad illa vitia, mutati, crescunt.* Ah! quam male anima mea, creatura tam nobilis, & rationalis, Deo tuo minus constans, minus fida es, quam bestiæ canesque domestici dominis suis? *Cognouit Bos possessorem suum & Asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognouit.* Canis dominum suum, etsi pauperem, non deserit, nec sequitur ditiorem; sed pessime etiam habitus, pro domino suo semper excubat; & homo Deum deserit, fontem inexhaustum omnis boni? Nemo adeo mendicus est, ne ipse quidem Codrus, cui canis suus, Chiron dictus, fidus non fuerit: nunquam enim ipsum deseruit. Tobiæ canis toto itinere ipsum secutus est, non minus fideliter quam Raphael Angelus. Non tantũ valet ranula, nec sal cõtusus, nec panis aut caseus sub accellis fotus, ad mendicandum canibus obiectũ, quo nos sequantur, quo fideliſſime semper nostris inhæreant vestigiis, quantum recordatio beneficiorũ, quod nutriantur semper à dominis; naturæque instinctus, qui dictat ipsis quod nati sint vt dominis suis à pedibus seruiant, & excubiis. Si forte herum suum mutẽt, hoc non fit nisi fraudibus, illectamentis & incantationibus, aut violentia, qua furtim auferuntur, aut infortunio, quod casu herum perdiderint, aut quod alteri donati sint, aut quod nimiũ obstinate multis fustib. à dominis suis abigantur: aut nonnunquã ad præsagium notabile mutationis rerum. Sic aiunt canes in tempo, desertis dominis, cõfugere ad hostẽ eumq; sequi quẽ sentiunt & præsagiunt fore victorẽ. Narrabo hic exẽplum ex Froissardo, de cane qui dominũ suũ relinquẽs, præsagiuit eum qui erat successurus in regno. Richardus Rex (refert Froissart) canẽ venaticum habuit, nomine Mathlõge pulcherrimũ, qui neminẽ nisi solum recognoscebat Regẽ, & vinculis à custode dimisso

*Isai.*

dimisso ad equitaturum statim accurrens, assilieb
& blandiebatur Regi, & anteriores pedes in hum
ros ipsi iniiciebat. Accidit vt Rege & Comite de E
by simul colloquentibus in castri atrio, equis iam ac
ornatis ad iter, canis quas solet Regi exhibere ssti-
culationes, omisso Rege procurreret ad Comm
de Erby, eique ita adularetur vt consueuerat do-
no, insiliens pedibus in collum, & admodum fel
circumcursans. Comes de Erby, qui venaticum ist
non nouerat, quæsiuit ex Rege quid sibi vellet can
Cognate (inquit Rex) signum hoc tibi valde prosp
rum, mihi aduersum. Vnde hoc (inquit Comes) susp
caris? Intelligo (ait) quod canis hic hodie tibi adbla
diatur, & colat te vt Regem Angliæ: fies enim, & de
ponar ego, & hoc naturaliter canis hic sentit. Aduer-
te, te sequetur, me fugiet. Comes de Erby, his auditis
bene accepit canem, qui exinde nunquam Richardi
Burdegalensem, sed semper secutus est Comitem de
Erby Ducem de Lanclastre. Credo equidem hæc: E
nunquam inueniemus canem nec raptum, nec do
natum, nec abactum, nec perditum, nec talia porten-
dentem, nec in campo ad victores transfugientē, tam
turpiter ac improbe ab heris suis deficere, vt nos
transfugæ & desertores à Deo: quem, cum deseruí-
mus, vel per infidelitatem (sicut Iulianus Apostata)
vel per vitæ improbitatem, contra professionem, &
Satanę abiurationem in baptismo factam, transfem-
tes ad Paganismum, aut Iudaismum, aut ad mundi
carnisque seruitia, ac tandem ad vitam magis barba-
ram, & Turcicam, quam Christianam. Nam excipe
solum fabulosos canes Actæonis, qui deuorarūt ma-
gistrum, id est, (aliis verbis) sumptus venaticorum
canum, qui euertunt heros & depauperant; vel para-
siti, adulatores, & mensarum cænarumque venato-
res, vt interpretatur Ioannes Dantiscanus, Episcopus
Varmensis, aliique nonnulli, qui deuorant suos ho
spites & exedunt. Excipe mihi etiam canē D. de Lau
may, qui magistrum momordit, & rabie, vt fertur, ex
tinxit. Cælestis tortor, ad castigandum illum cruen-
ru

*Vide Iacob Spieg. in Lexico Iuris Ciuilis tit. Apostata. Ouid. lib. 3. Metam. & in Ibin Quidam in expositione huius Fab. M. Thomas Walleys Ord. Præd. moralitate huius loci litera H.*

tum illum sacerdotum & seruorum Dei carnificem, vltimis hisce nascentibus & glisscentibus in Belgio tumultibus. Hæc inquam excipe, & alia pauca exempla. Nunquam enim canis mutauit herum tanto affectu, vt mordicus aggrederetur Dominum priorē, ac læsurus inuaderet, sed recurrit ad ipsum, alludens quasi memor beneficij, & seruitutis prioris. Sed heu, homo semel à Deo ad Diabolum deficiens, deserta Ecclesia, sequutus synagogam Satanæ, vel Paganismum, vel Iudaismum, vel Turcismum, vel Caluinoturcismum, aliamve hæresim, non promptum fuerit dicere quantum contra Deum & Ecclesiam bellum vrgeat, insilit in guttur sacerdotum, quam primum adspexerit, blasphemiis, profanationibus, sacrilegiis omnia sacra inuadit. Quis vnquā exercitus tam perfidum habuit, tam ordinum suorum desertorem, hostem adeo cruentum, adeo infestum primis partibus, quam fuit Iulianus Apostata, Christo & Ecclesiæ? Quis vnquam Philosophus stylum magis acuit, quis vnquam linguam magis obdurauit ad maledicta, subuersionemque sectæ quam prius aliquando tenebat, (vt Aristoteles aliquando Platonem, & Academias secutus) quam Apostata Lucianus, Sophista Samosatenus, contra Christianos? Qui vnquam transfugæ tantas fecerunt strages & vastitates suis olim amicis, quam hodie Lutherus, & alij excucullati monachi? qui cappam abiecerūt, & habitum sacrum proculcarunt, & Breuiarium remiserunt monasteriis, Clero ac sacerdotali ordini, quem aliquando in Ecclesia Catholica habuerunt. Quis vnquam rebellis & seditiosus miles, tam hostiliter desertam & abiuratam inuadit partem, quam hodie Christiani Apostatæ ac renegati apud Turcas, quorum flos ac robur militiæ Ienitsari sunt, tanquam Romanorum Tiiarij, neruus totius belli & masculi quasi vigorque Imperij Tyrannici. *Filij filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Cant.

*Volater.*

Tob. 1. *Occiderunt Regem filij ipsius.*

Ouid. lib. 3. Metam.

Ouid.

*Vellet abesse quidem, sed adest, velletq; videre,*
*Non etiam sentire canum fera facta suorum:*
*Vndiq; circumstant, mersisq; in corpore rostris,*
*Dilacerant dominum, falsi sub imagine cerui.*

Ah magnus Christianorum pudor, magnum infortunium! quod illi qui olim mallei & flagella erant Mahometismi, iam ipsis gladij sint & scuta. *Conuer. Domine captiuitatem nostram, sicut torrens in Austro* forte Eurypum dicere voluit, qui fluxus habet & re fluxus, tam notabiles, fac Domine vt transfugæ illi, & Apostatæ ad Turcas, laudabili fluxu ad nos reuertantur vt audiant & exaudiant singuli vocem tuam. *Ego sum Iesus Nazarenus quē tu persequeris*, aut omnes simul. *Actæon ego sum: Dominum cognoscite vestrum.*

*Psal.*

*Actor.*

*Ouid. 3. Metam.*

Donet hoc Deus per gratiam suam, idq; celeriter, vt sanguis Christianus, *in se*, aut *cōtra se reuersus*, versus de Christiano in Turcam, fiat tāquam dira Turcicorum viscerum colica, tāquam sudes in latere, tanquā lancea in corde, vt cadant, cum non cessent minari perdere Christianos. O si quis posset reducere illos abductos, & apostatas, sperarem totam illam tyrannidem, ita toti Christianitati imminentem, breui lethalibus vulneribus conficiendam. *populumq; potentem In sua victrici conuersum viscera dextra.* Arbitror præcedentem Regem Henricum Quartum, huic rei diligenter intendisse: nescio quis eum tam cito spiritus abstulerit? Spero gloriosum ipsius germen Ludouicum 13. perfecturū imperfecta. Contingeret hoc plane (quantum opinor) si præsagia & vota mea valent quicquā, & si omnes pariter primū studeremus imitari tam speciosam Prodigi nostri cōtra se rebellionem, ac subtrahere quam primum pedem ex ciuitate Satanæ ad ciuitatem Dei: vt in posterum bellum geramus contra sensualitatem, expellentes omnem vetustatem, omnes mores malos. Hæc via Regia dilectissimi, qua Apostatas Turcarum ad nos reducamus; si scilicet ipsi primum simus desertores Diaboli, & mūdi, rebelles nostrę carni & sensualitati, cui eheu tam diu, tam obstinate militauimus, & ex hoc fiamus

fideles

fideles milites fortes, & strenui pro Christo Iesu, & ciuitate Dei. *Israel si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsan inimicos eorum humiliassem.* Deus omnibus nobis hanc faciat gratiam, Amen.

# CONCIO DECIMA.

7. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν εἶπε. *Græca.*
7. *In se autem reuersus, dixit.* *Vulgata.*
7. *Quumque ad se rediisset, ait.* *Syriaca.*

## ARGVMENTVM.

Dicemus hodie.
1. *Duas habemus imperfectiones, Diuinæ constantiæ contrarias, quæ in Prodigo nostro non fuerunt.*
2. *Duo requisita ad faciendam pœnitentiam, quæ in nostro fuerunt Prodigo.*
3. *Vtrum aliquando liceat deserere patres.*

AVE.

I.

*Duas habemus imperfectiones, diuinæ constantiæ contrarias, quæ in nostro Prodigo non fuerunt.*

NEMO opinor Charissimi adeo rudis, adeo nouus in disciplina morali est discipulus, qui ignoret virtutem medium tenere inter duo extrema, ex diametro opposita, & quod nihilominus affinitas & cognatio quædã sit inter extrema ista & medium. Duo dixi: mediocritatẽ & cognationẽ seu affinitatem. Pro mediocritate videte quid adferã. Horat. Ep. 18. lib. 1.] *Virtus est medium vitiorum, & vtrimq; redactum. Sic Aristoteles virtutes omnes dicit esse μεσότητας, id est mediocritates, & (vt ita dicã) medietates.* Arist. lib. 1. Mag. moral. c. 24.] *Virtus est habitus animi iudicio susceptus in mediocritate positus, ea quæ nos attingit, rationeq; sic definita, vt prudens præscripserit q. d. quia mediocritas quoad nos incerta esse potest, volo eam à Prudente tanquam à regula præscribi.*

Ibi-

Ibidem.] *In definitione virtutis, qua quid sit rei media critas intelligitur. In medio consistit virtus.*

Cicero 2. de Inuent.] *Virtus est animi habitus, natura moderatione consentaneus.*

Idem lib. 1. Offic.] *In vestitu, sicut in plerisq; rebus, mediocritas optima est.*

Teren. in Andr. Act. 1. Scen. 1. Sim. senex filiũ Pamphilum à mediocritate laudat.] *Quod plerique omnes faciunt Adolescentuli, vt animum ad aliquod studium adiungant, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad Philosophos (sc. animum adplicare:) Horum ille nihil egregie præter cætera studebat, & tamen omnia hæc mediocriter gaudebam. Sosia autem seruus eius, etiam commendat illam in omnibus auream mediocritatem, ibidem: nam id arbitror (inquit)*

*Adprime in vita est vtile, ne quid nimis*
*(quod Chilonis dictum fuit, in templo Apollinis*
*Adijcies:) nequid parum: nimium enim penes excessum, parum vero penes defectum, sunt extrema vitiosa mediocritatis.* Videte rationem. Omnis virtus hinc inde duobus comitata est vitiis, quasi ad dexteram leuamque plane sibi contrariis, & pari quasi spatio ab illa distantibus, vt (exempli gratia) liberalitas media est inter auaritiam & prodigalitatem, clementia inter crudelitatem & segnitiem, inter *nimium & parum*, inter totum & nihil, excessum & defectum. Quantum ad cognationem & affinitatem virtutis cum vitiis collateralibus, illa nota est; quia vtrimq; aliquid participat. Liberalitas enim hoc habet ab auaritia, quod prudenter, aut totum aut aliquid petenti deneget, respectu habito vel temporis, vel meritorum, vel cõditionis, vel necessitatis eius qui recipit, & eius qui donat. Auaritia totum denegat omnibus, & semper, sine vllo respectu. A prodigalitate hoc habet, quod pluribus donet, & satis largiter, cum prodigalitas donet omnibus omnia, & quasi totum semel, sine vlla discretione. Liberalitas, per auaritię affinitatem, non nimium nec nimis sæpe largitur. Per cognationem prodigalitatis sua quantum satis est, honeste distri-

buit

buit. Quis ignorat alia donari ab Alexandro, alia ab opifice, & Scribas ac Phariſæos non duos tantum obolos in gazophilacium templi iniecisse; munus hoc erat viduæ pauperculæ. Quis ignorat liberalius dandum Lazaro, plane inopi ac nudo, quam alteri semi veſtito, & variegatis operto centonibus, famenti instar lupi, qui longa pene extinctus media, riget frigore, & animam inter digitos halat semimortuam, vtillos confoueat; vlceribus à planta pedis vsque ad verticem obsitus, radens testa saniem, ac vlcerum suorum crustas, vt miser aliquis Iob in sterquilinio, quem integer calcat sextipedum exercitus, incedens per turmas & ordines suos, quam communi alicui & obuio pauperi, qui sibi soli solicitus est, si quis velit habere nomen liberalis. Quis ignorat liberalitatis nomẽ non perdi, & notam auaritiæ incurri; quia quis recusat agmen ducere otiosorum, muscarum tabernariarum, præreptorum & interuersorum bonorum pauperum; dare ac negare tempore suo hominem facit liberalem; non dare omnibus, & nihil recusare. Sic ad clementiam pertinet illa seueritas, quæ aliquando cristas erigat, vngues dentesque ostendat, vt appareat Rex non frustra accinctus gladio. *Non sine causa gladium portat, ad vindictam malefactorum.*

Sic etiam illa remissio, quæ non indiscrete omnibus, sed certis ac suo tempore impenditur, *parcere subiectis & debellare superbos*, ignoscere subiugatis, & exarmatis, rebus publicis, ac cadentibus & lapsis per ignorantiam, aut venia dignis propter antiqua merita. Sed quorsum hæc tam alte repetita oratio? Vt ostendam homines appellari non posse constantes (hoc enim Dei proprium esse monstraui ante. *Ego Deus & non mutor: omne consilium meum stabit, &c.*) Constantes non censentur, quia modum non seruãt & medium in iudiciis, in dictis, in factis, fere habentes *nimium*, aut *parum*; pertinaces, ac obstinati etiam in malis, & æternam concernentibus salutem: aut rursum nimia leuitate ac volubilitate animi, in ictu oculi, & versa quasi manu, toties fidem mutan-

*Virg. 6. Æneid.*

tes & propositum, quoties chameleon colores, & paucis diebus, imo horis, centies variant, ex ciuitate Dei ad ciuitatem Diaboli, deserunt virtutes, & vti fastidiosi sponsas repudiant, & in contraria vitia affectum transferunt, non secus ac iuuenculi in meretriculas. Quantum absumus a cõstantia; qui hodie Baptismo Christi, & sanguine Iesu, cras iterum insordescimus, & tanquam impudẽtia scorta, in peccatorum nostrorum stercore volutamur. Hodie confessi ac denuo mundati, cum emendationis proposito, ac promissione; vix à sacerdote recedimus, & iterum in eadem incidimus; vt pueri *qui ære lauantur*, in cloacas, in cineres, in cœnum, in sordes consueras. Qui hodie per confessionem noxios eiecimus humores, ex conscientiæ stomacho; illico vt canes, sine vlla nausea, aut animi auersione, vomitũ nostrum relambimus.

2. Pet. 2.] *Contigit eis illud veri prouerbij: canis reuersus ad suum vomitum: & sus lota in volutabro luti.*

Quomodo constantes dici possumus, qui heri repulso & abiurato, quem semper nobis insidiari scimus, Diabolo: hodie eidem iterum sociamur, hospitium damus, & seruimus abiectissime? Quem heri tyrannum diximus, non Principem sed inuasorem mũdi, ei hodie iterũ fauemus, partes ipsius & studia augemus, deserentes denuo Deum quem vocare cõsueuimus *optimum, maximũ*. Cui in baptismo Chirographum dedimus, solenne fidelitatis sacramẽtum præstitimus, fugimus iterũ tanquam tyrãnum sceleratũ, & omnes vires, omnia arma contra voluntatem eius intendimus. Heu humanam inconstantiam! *Varium & mutabile semper arbitrium humanum.* Magna profecto instabilitas; vitam ordiri bonam, & tam cito male perdere, male claudere. *Cum adhuc ordirer, succidit me.* Magna mutabilitas, hodie peccatum detestari, cras iterum obsecundare; intolerabilis leuitas, hodie obsequi virtuti, cras eandem exsecrari, & quasi de probitate sua pœnitere.

Sed hæc inconstantia humana tolerabilis aliquo modo, fragiliores enim sumus vitro, ossibus, carne

qu

que cõpacti. *Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & ecce, qui seruiunt ei non sunt stabiles: quanto magis hi qui habitant domos luteas?* Iob. 4.

Spiritus promptus & alacer, caro infirma & deses; spiritus alæ nos in altum eleuant sed nostri corporis saxum, quod ex pedibus dependet, cito velatum nostrum deprimit, & vix sensim per terram repere permittit. Opportunitates sunt commodæ, vela, remi, bona: sed lenti torpidiq; remiges. At hoc deterius, quod cum in bono adeo varij, in malo nullis simus obstinaciores, capitosiores rhedarum clauis, capistrati semel admisso freno, nihil nisi illud mordemus, atque excutimus. Redditi vero Diaboli ciuitati, ac synagogæ Satanæ, nunquam aut admodum tarde eximus, nec vnquam fere serio tanquam permansuri, per pœnitentiam ad Dei ciuitatem reuertimur: inchoata semel scelerum tela non cessamus nisi eã pertexamus. *Cœperunt hoc facere (ædificare sc. turrim Babel) nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* Genes. 11.

*Implete mensuram patrum vestrorum.*

Inconstantia & pertinacia in miseris Adæ filiis vtraque grandis; sed in malo pertinacia longe maior, quam cõstantia in bono, eamq; sæpe mutamus propter motiua minora, imo etiam *motu proprio*, nõ moti nisi à nobis, bonum propositum in vitiosum cõuertimus, quasi vitia nobis naturalia sint & essentialia, aut inseparabile accidẽs, aut insita & conclauata nostræ animæ. Virtutes autẽ nec in nobis radicem à natura habeant, aut accidẽs tantum sint sine difficultate separabile; nõ insertæ, nec clauis infixæ animæ, sed paruulis tantum affixæ asciculis: quasi vitia, basis firma sint, cubus, & perfectum vndique quadrum, vt inde nunquã excidere possit qui semel ei insteterit. Virtus contra rota, qualem fortunæ affingunt, lubrica, versatilis, cui nemo sine lapsu diu insistat: quasi vitia & Satan plus pulcritudinis, plus commodi, plus vtilitatis ac voluptatis habeãt, quã Deus & virtutes; quas tamen vt par est, amare nõ possumus, nisi verã ipsarũ speciẽ semotis obuolucris, gloriosis & beatis oculis

inſpexerimus; aut Pictor aliquis adeo accuratus, vt Dionyſius Antropographus dictus, qui nihil vnquá niſi facies humanas pinxerat; aut ſculptor aliquis ver-

*Quintil. lib. 12. inſti. cap. 10.*

ſatior Phidia (*Diis, quã hominibus efficiendis melior artifex traditus*) nobis eas quam optime in naturali ſpecie repræſentet, aut in tabula aut in ſtatua depingat. Deus bone quanta in bono & virtutibus noſtra apparet inſtabilitas? cum nihil ſit tam modicum, tam tenue, nec digiti attactus, nec leuis afflatus, nec tam fragile filum, quod nos ab ea non facile abducat. Adam morſu pomi illectus eam deſtituit. Eſau pulmẽto modico primogenita ſua poſtpoſuit. Iudas 30. denariis Dominum ſuum prodidit. S. Petrus cubiculariæ ancillulæ minis eundem abnegauit. Exiguo ſcilicet verbo, & primo occurrentis alloquio, & nos vnico pulchri ocelli obtutu, vnico criſpantis capillitij crine attracti, aut galero, aut pericelide, aut vaporatis & ſuaue ſpirantibus odoratis veſtibus, rebus nihili, in impudicæ mulieris poteſtatem concedimus. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meũ, in vno oculorum tuorum & in vno crine colli tui.*

*Cant. 4.*

Cant. 1.] *Poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

Nihil opus niſi leui aura, ac modico tentationum ventulo, & ecce de ſummo virtutum culmine præcipitamur. Paruum ſcandalum, paruulum ad mala exemplum, & ecce omnia bona opera intermittimus. Heu in bono inconſtantia! Contra, centum diuinæ inſpirationes, mille conciones, vehementiſſimæ neruoſiſſimæ quæ fieri poſſunt, ſexcenta exempla bona, tantus bonorum hominum numerus, à peccato nequeunt nos abſtrahere, & ad virtutem adducere. Ah grandem in malo pertinaciam! in ciuitate Dei deſerenda, bonis omittendis, malo agendo, omnes confeſtim parati imus, currimus, volamus, etiam alatis pedibus, aut Pegaſos aſcendimus ac Bellerophontes, ſine deliberatione, ſine conſultatione longa; ſed vt exeamus à ciuitate Diaboli, vt deſinamus à malo, & faciamus bonum, teſtudine & cancro

ſumus

sumus tardiores, & acceleramus iter quasi lassum currui iungentes bouem.

*Abnegat inceptos, & sedibus hæret iisdem.* *Virg. 2. Æn.*

Si moturi sumus pedem, antequam incipiamus, centum conuocantur consilia, centum instituuntur deliberationes, replicæ, duplicæ centum, antequam quicquam resoluatur. Dicimus in bono *Deliberãdum est diu, quod statuendum est semel.* *Cicero.*

D. Bernard. in illud ecce nos reliquimus omnia, &c.] *Quantos mundi sapientia maledicta supplantet, & conceptum in eis extinguit spiritum quem voluerat Dominus vehementer accendi? Noli (inquit) præcipitanter agere, diu considera, diligentius intuere. Magnum est quod proponis, & opus habens multa deliberatione. Experire quid possis, amicos consule ne post factum pœnitere contingat.*

Si ad male agendum accincti sumus, nihil cursum nostrum inhibuerit: non Chaos, non interiecti montes, non obuij exercitus, omnia possibilia meditanti malum; sed enauigaturi ad bonum, nihil nos nõ impedit. Omnis ventulus ad portum vnde egressi sumus nos repellit. Musca remora piscículus minimus qui Græcis (ἐχενὶς) sentinæ nauis nostræ adhærescens, statim inhibebit cursum, vt olim Periander Tyrannum, etiamsi iam in alto simus, & passa secundo turgeant vela vento: soli parentis sepultura, adolescentem ne Christum sequeretur detinuit. Vbi festinato opus, ac obfirmatione animi ibi cunctatores sumus & cothurni: vbi deliberatione longoque tempore, ac plumbeo quasi incedendũ pede, illic statim nos præcipitamus, consilium in arena, sententia prompta, *nihil est medium.* Non diu hæret Israel, vt ad idololatriam transeat.

Exod. 32.] *Recesserunt cito de via, quam ostendisti eis, fecerunt sibi vitulum conflatilem quem adorauerunt.*

Galat.] *Miror (Galata) quod sic tam cito transferimini, ab eo qui nos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium: quod non est aliud.*

*Ipsi currebant, & ego non mittebam eos.*
*Pedes eorum in malum currunt.*

*Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.*

*Luca 24.* Contra dicit Apostolus, *ô stulti & tardi corde ad credendum.* Diu subsistebant antequam Christi Iesu resurrectionem crederent. Cum plures malint persistere in vitiis, obstinatione diabolica, quã mutabilitate humana sententiam partesque mutare, quam primum errorem suum reprehẽderint, *labi, errare, decipi, peccare humanum est, perseuerare diabolicum.* Quid? ipse etiam Deus pœnitere se dicit quod fecerit hominem, ideoque generali diluuio omnem carnem se abolitorum. Dicit aliquoties se facturum pœnitentiam, super malo quod cogitabat facere populo, si populus de sua pœniteret malitia; & tu homũcio, ita cerebrosus, ita tui eris sensus, vt errorem agnoscens non corrigas? partem te malam fouere vidẽs, non desistas? tu nihil dicere, nihil facere voles, contra imaginationes & fantasias primas, pertinaciã putãs constantiam, & inconstantiã cum ætate proficere. *Virtus est mediũ vitiorũ vtrimq; reductum.* Virtus inter vitia mediat, cognata extremis. Cõstantia nõ est nunquã, nullaq; de causa mutare propositum, sed peruicacia: constantia, persistere in bono, bene incipere, bene finire. Nec inconstantia est oportunè suoque tempore variare, sed prudentia, quæ aut corrigit præuiã inconsiderationem, aut sapienter rebus se accommodat.

*Horat. lib. 5. Epist. 18.*

Cicero lib. 4. Ep fam. Ep 21. ] *Tempori cedere, id est, necessitati parere semper sapientis est habitum.*

Idem lib. 5 Ep. 21. ] *Quauis tuta conditione pacem accipere malui quam viribus cum valentiore pugnare. Stultum, nihil aliud, quam contra stimulum calcitrando & renitendo fatigari.*

Leotychidas quidem redargutus quod parum cõstans videretur in negotiis, *mutor (inquit) sed pro temporum ratione non vt vos. Prudentis enim est pro re nata mutare consilia: sine causa autem subinde alium fieri, inconstantiæ vitium est.* Noster itaque Prodigus sicut prius sic & postea egit humaniter. Fragilitatis humanæ fuit ita relinquere parẽtem, ita male vixisse, ita Deum offendisse, & homines. *Peccaui in cælum & coram*

*coram te*: publice ac secrete offendi inquit. *In cælum* & secrete aliquando nemine nisi Deo conscio, & *coram te*. Ecce publice coram teste, & non sine scandalo: perpotatus vt Templarius, luxuriatus vt Sybarita, cultus adornatusque vt Milesius, seruiens mulierculis vt Cyprius, aut Corynthius: omnia hæc humanæ fragilitatis, *hoc quidem ferendum aliquo modo est.*

*Persuasit nox, amor, vinũ, adolescẽtia.* Humanum est.] Melius quidẽ hæc aliter. Quis dubitat? Sed humanę fragilitatis sunt: rariora minoraque in alus, in aliis crassiora frequentioraque. Virum tamen se probauit, & prudentem, quod *in se*, aut *contra se reuersus*, animũ partesque mutauit: iam plane aliter quam ante statuens. Primum, partem deseruit iniquam, quam stulte fuerat secutus, *reuersus*; abdicauit militiam & diaboli ciuitatem, recipiens se ad partem oppositam, & Dei ciuitatem; & contra priora instituta depugnauit. *In se*, vel *contra se reuersus* quam primum suum persensit malum, declinauit illico, & quod prudentis erat viri egit, non pertinax sicut Diabolus, nec obstinatus, in peccato, flocci faciens pro Deo ac salute nomen accipere incõstantis, mutabilis, profugi. *Neq; in hac neque in illa parte fidem habentis*, Nonne constans factus est? qui primum mente conuersus solum, *in se*, vel *aduersum se reuersus* (*sententia mutata scilicet*) non destitit à proposito, donec intellectus & ratio idem etiam persuaderẽt, & acceptabile facerent voluntati. Constans fuit, quia non contentus bono iudicio, bono desiderio, bono proposito. (*Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas, vt non peccem tibi*) quibus mercibus infernus scatet; sed eadem opere perficit, ac bonam voluntatem impleuit. *Et surgens venit ad patrem.* Virum se ostendit, quia confiteri proposuit, dicens: *surgam, & dicam: Pater peccaui in cælum.* Inspice etiam de facto confessus est. *Et surgens venit ad patrem, & dixit: Pater peccaui.* Generosus adolescens tam in exequendo bono, quam proponendo. Sequamur igitur eius formam pœnitentiæ, qui sequuti sumus modum delicti. Hic meæ dictionis scopus.

*Terent. in Adelph. Act. 3. Scen. 5.*

*Salust. Horat. in Cice.*

II.

*Duo requisita ad faciendam pœnitentiam, quæ in nostro fuerunt Prodigo.*

VEniamus modo ad praxin pœnitentiæ ipsius. *In se* vel *contra se reuersus, dixit*: Factus ex sui amico sibi hostis, dixit. Audistis (& si minus clare) duo hic de ipso dici. Primum, quod sit *reuersus*, quod parti renuntiauerit. Secundum, quod partem alteram elegerit, ac concertarit, impugnauerit que illos quibus illuc vsque seruiuerat. *In se*, vel *contra se reuersus*. Sequestratus à causa mala, non satis habuit neutras partes sequi, & arma ex pariete aut trunco suspendere, vt ibi araneis vestiantur; sed partem elegit priori planecõtrariam. *Contra se reuersus*. Sibi obuertit frontem, sibi armatus occurrit hostiliter. Quam belle, quam bene, dilectissimi: nam in vera pœnitentia duo hæc iungẽda sunt, vt sic coram Deo duas compensemus malitias, quæ in quolibet insunt mortali peccato: auersionem scilicet à Deo, & conuersionem ad creaturas. Theologi enim peccatum mortale communiter definiunt. *Peccatum est auersio à summo & incommutabili bono Deo, & conuersio ad bonum commutabile, creaturã:* Nam & illæ quidem bonæ sunt, Deo iudice, qui cum creata lustraret omnia, *vidit cuncta quæ fecerat, & erãt valde bona*. Non tamen ex seipsis bonæ, ac immutabiles, sed solum participatione diuinæ bonitatis: vnde *peccatum est amor sui vsq; ad contemptum* Dei. Duæ hæ malitiæ in peccato vno, apud Ieremiam clarissime designatæ sunt, hisce verbis. *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*. Duo mala. Me deseruerunt fontem vitæ naturalis, gratiosæ, glorioſæ, vnde enim anima nisi à me; vnde gloria, aut quæ gloria bonorum ve præmium, nisi ego! *Ego sum protector tuus Abraham: & merces tua magna nimis*. Item *gloria virtutis eorum tu es*.

*Genes.*

*Ierem. 2.*

At illi cisternas foderunt dissipatas, rimosas, pertusas, quæ aquas non continent. Cisternæ ipsorum a-

qua

qua carent, aut si aliquam habeant ea pluuia est deducta canalibus, aqua mortua, & vt plurimum corrupta. Apud me scaturigo est, & vena aquæ viuæ, fons inexhaustus: nihilominus ita populus meus stultus est, vt aquæ viuæ mortuam præeligat, riuulum fonti. *Væ peccatori ingredienti terram duabus viis.* Obuertens Deo tergum, cui deberet obuertere vultum. Deflectēs faciem illuc quo deberet obuertere humerum, ad creaturas scilicet: vnde Deus genti peccatrici minatur suo tempore reddere vicem. *Dorsum & non faciē ostendam eis,* id est, repellam eos plane, indignos amari. *Auertente autem te faciem turbabuntur, & in pulue-* *Psal.103.*
*rem suum deficient*, recidentes iterum in nihilum. Plane sicut in speculo accidit, vbi quam primum facies obiecta subtrahitur, species repræsentata euanescit. Dicitque Dominus noster, quod abacturus sit damnatos à sua facie, dicens: *Ite maledicti,* retro, retro me. *Tollatur impius ne videat gloriam Dei.* par pari *Eccl.33.*
*hostimentum hostile.* Vt igitur Deus per veram pœnitentiam concilietur, duobus hisce malis, duo oportet facere, his opposita bona duo contra duo, obuertendum est tergum creaturis, ac nobis ipsis; frons Deo; ei exhibendus lætus vultus; nos ipsos debemus odisse, & quicquid nos male illexit ad se: Deum amare, & quicquid nos ad Deū deducat. Hæc duo Christianæ iustitiæ officia, tantopere à Prophetis nobis commendata, vt bene cum Deo transigamus. Isaias *Isai.*
inter alios dicit: *quiescite agere peruerse*: id est, Dorsum obuertite creaturis, & vobis ipsis, ac dein *discite bene facere.* id est, faciem ad Deum conuertite, ipsum amate, ac bene agite. Ipse etiam Propheta Dauid. *Declina* *Psal.*
*a malo & fac bonum.* Nonne hoc noster fecit Prodigus? Nōne dorsum obuertit creaturis, ciuitati, ac synagogæ Satanæ, ac toti suæ parti; *reuersus* inquit textus. Deinde nonne & bonum fecit, contra se digladians, contra prima instituta, *in se*, aut *contra se reuersus.* Arma in priorem partem tulit, omnem in eam hostilitatem exercuit, amans Deum quem antea oderat, exosus Diabolum, mundum, & carnem, quos

male amauerat : Vigilantior iam ad reparandum, quam antea ad destruendum; animatior ad defendendam rationem, contra sensualitatem, quam prius ad fouendam sensualitatem, contra rationem; non pura tantum, aut simplici vsus apostasia ac defectione, quæ ordines & signa deserit, non hostibus se fugit: nequaquam: sed defectione sua perduellionem ac rebellionem quantum potuit auxit, vt priorum partium statum euertat, ac Dei partes consolidet. Pulchra huius Iuuenis pœnitentia: propria enim est pœnitentiæ admissorum displicentia, & libera ardensque voluntas, vt quæ facta sunt (si possibile esset) infecta forent: siue bona siue mala ea sint: (pœnitet enim aliquando bene egisse) siue dolore careat (sicut in beatis & ipso Deo, quem pœnituit fecisse hominem tempore diluuij, sine molestia tamen; *D. August. lib. Confess.* *pœnites & non doles*, inquit S. Augustinus) siue dolore misceatur, sicut in nobis viatoribus hic accidit, quibus *pœnitere*, vere est (iuxta S. Augustinum) *pœnam tenere*: & *pœnitet me, est*, quasi dicas *pœna tenet*, sum in pœna, ac doleo hoc aut illud esse factum. Et iuxta Magistrum sententiarum: *pœnitentia dicitur à puniendo, qua quis punit illicita quæ commisit, Pœnio enim veteres pro punio dixerunt, ac forte etiam melius quam nunc punio: vnde enim vox pœna.* *Mag. in 4. sent. dist. 4. §. A.*

Sed vnde monstrabo melius mihi quod feci displicere, quam detestando, deplorando, vellendo capillos, tundendo pectus, aut etiam destruendo quod factum est, aut faciendo factis plane contraria. Detestari factum, vel ore (vt plerique pœnitentes) aliquid est: vel corde (vt omnes facere debent, qui salutariter pœnitere volunt) aliquid etiam est amplius; Adeo vt sine hoc omnia alia non sequantur, aut si sequantur, non prosint suspiria: (speciatim quando cum Deo nobis negotium est, qui magis voluntates quam opera gestusque inspicit, *scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.*) Si stratum *Ioel.* lauatur lachrymis (vt fecit Dauid) aut Christi pedes rigentur (vt fecit Magdalena) pectus instar incu-

distundatur (vt fecerunt Publicanns in templo, & Centurio, reuertens à Caluariæ monte) magna sunt veræ pœnitentiæ indicia; sed irritare præterita, ac facere plane contraria, multo maius est. Vt cum Deus homines diluuio perdidit, nonne mirabile fuit pœnitentiæ indicium? Quãdo figulo vas figulinum omnino displicet, aut male tornatum, aut aliquo deprauatum casu, confringit statim, ac in primam massam reducit. Cum dolet aliquis librum se cõposuisse nonum, aut locum aliquem male tractasse, nonne exunt, nonne discerpit totum librum, aut spongia delet, quicquid male sanum est. Hoc Ouidius suis se ait fecisse operibus. *Emendaturus ignibus ipse dedi.*

Quando Claudius aliquis nuptias suas cum Agrippina dolet, suspiriis quidem illud indicat, & planctu; multo tamen clarius si faciat diuortium, ac soluat matrimonium. Sic certo intelligimus animæ veram de peccato pœnitentiam, cum contraria operari incipit, & quæ in præteritorum destructionem vergeant. Thais scortum Ægyptium, de salute per Abbatem Pafnutium monita, verbis quidem & lachrymis prodere potuit pœnitentiam; multo tamen perfectius, cum colligens omnia quæ corporis quęstu quæsiuerat, simul totum in ignem iniecit ex prostibulo suo, vbi tanto tempore corpus hominibus, Diabolo animam sacrificauerat, transiit ad monasterium; vt pro talione in posterum totum se Deo offerret in holocaustum. Sic pristina destruere, est veram pœnitentiam testari. Secundo quando quis ægre facit iis qui sibi displicent vt si alias amaui aliquem, qui mihi propter ingratitudinem aut alia de causa displicet, peius eum nunc odi quam vnquam amaui, ferro flammaque eum persequor, pro cuius defensione alias periclitatus sum vitam. Quædam enim sunt quæ quidem omnino destrui non possunt (nam facta non possunt esse infecta, nec dicta indicta) quales sunt virtutum & vitiorum actus; sed tamen opera, votaque fieri possunt iis tam contraria, vt ex illis facile intelligatur, quod tanquã non facta habeantur. Noster

ſter ergo Prodigus *in ſe* vel *contra ſe reuerſus* operam dedit vt quæ peccauerat iterum deſtrueret, & virtutum exercitiis alius eſſet. *Verte impios & non erunt.* Quantum ad hæc igitur, perfectam fecit pœnitentiam Ita enim & omnes Sancti pœnituerunt. Ita & Moſes, totius populi idololatrici nomine, in pulverem redigens & exurens vitulum aureum, quem abſente conflauerant, coniecit eum in torrentem, & totum inde iuſſit bibere populum: non quidem (vt aliqui volunt eueniſſe diuinitus) vt culpabiles, inhærente muſtacibus auro, hoc ſigno proderentur: ſed annihilare volens vitulum, omnemque abſumere materiam, ne idoli tam funeſti vllum relinqueretur veſtigium: *Arripienſq; Moſes vitulum quem fecerãt combuſſit, & contriuit vſq; ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo in potum filiis Iſrael.* Vſus fere eo pene genere, quo ad aras Lugdunenſes multabantur, qui in inſtituto à Caligula Imperatore, eloquentiæ Græcæ Latinæque certamine, ſæpius deliquiſſent, fuerantque inferiores: quos victor cogebat abolere ſcripta, & ſpongia vel lingua eluere; niſi mallent ſentire ferulas, aut in vicinum præcipitari flumen. Sic & S. Paulus in prima ætate contra nouellos Chriſtianos, ita digladiatus vt leunculus, ſanguinem ſitiens Chriſtianum, & præludia dans, vt ex vnguiculis qualis futurus eſſet, adultus cognoſceretur; cuſtodiens veſtimenta lapidantium S. Stephanum, & eruentiſſimo paſcens oculos ſpectaculo. Poſtea roboratior *leo* prædabatur, & ſicut leones, qui in martyres *alebantur*, non expectabat donec laceſſeretur, aut irritaretur in Chriſtianos; ſed ingeſſit ſeipſum, inſtigans Principes, & Sacerdotes Synagogæ, tanquam nimiũ clementes, nimium conniuentes in ſectam nouam; quem voluntarium appellare poſſemus carnificem. *Petit à Principe Sacerdotum litteras in Damaſcum perſcrutans ciuitates, vicos, pallatia, domos: vt ſi quos inueniſſet viæ huius viros.*

*Pet. Comeſtor cap. 73. in hiſt. Exodi.*

*Exod. 32.*

*In Caligula Sueton. cap. 20.*

*Iuuen. Sat. 6. de hac ara.*

*Actor.*

Blaſphemus & perſecutor Chriſti nominis. Quando pœnitentiam agere cœpit, fulminatus de cælo, pro-

prostratus ex equo, institutus ab Anania, armatus, in ipsum conuertit stylum; negans quæ affirmarat, affirmans quæ negarat. *Affirmans queniam hic est Christus.* Pugnans pro Ecclesia contra Synagogam, calamo scilicet & lingua, vera religionis militia. Vbi duos videbat Iudæos, aderat ipse statim tertius, vt Christum doceret, dedoceret Mosen. *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Nemo denique Iudæis infestior, Christianis amictor, quam hic S. Paulus: non contentus reparasse quod forte prostrauerat, ac destruxerat, iuit in gentes, peragrauit Asiam, Europam, inuisit Romam, vt S. Petrum parando ac subiugando Christi legibus orbis imperio intentum, auxilium ferret. Fundator iam est defensor religionis Christianæ magis, quam vnquam impugnator & direptor. Sic ipse pœnituit. Sic & Christus S. Petrum facere docuit. Præcipiens, *& tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Si modo Caluinus aliquis ab inferis resuscitaretur ad pœnitentiam, an alia putatis acturum? Reuersus ad sinum Ecclesiæ, nisi errores suos anathematisaret, deprædicaret, retractationum libros scriberet, non faceret nisi dimidium eius quod noster fecit Prodigus. *Reuersus* solum, non *in se*, aut *aduersum se*. Et quis nouit an non hinc vna pœnitentiæ integralis pars appellata sit contritio? non tantum cordis ac voluntatis respectu, sed etiam propter hunc effectum conterendi, ac constringendi comminuendique in puluerem, id est, contrariis operibus annihilandi, peccata præterita. Quidni?

## III.

### *Vtrum aliquando liceat deserere partes.*

QVid interrogabit aliquis, an satis honestum mutare partes, iam has iam illas? hodie stare pro Pompeio, cras pro Cæsare; hodie pro Cicerone, cras pro M. Antonio? Videri posset quod non. Chilon vnus ex septem Græciæ Sapientibus dicere solebat, omnia tarde suscipienda & consulto; post consultationem autem constanter perseuerandum. Socrates virum bonum *Stob. ser. de prudentia.* *Idem ser. 1.*

bonum dicebat firmum esse in proposito, quasi statuam in basi: Et quid aliud seruator noster intendit,
*Luc. 9.* dicens non esse aptum regno Dei, qui manum mittens
*Genes.* ad aratrum respiciat retro, sicut vxor Loth verum statuam salis? Et si malum est simplicem fallere promissionem, quanto magis iuratam & sacramento obstrictam fidem? Themistius dicere consuerit pe dia nihil plus humanis rebus officere, quam caut esset impossibile. Perfidus enim dicebat iuramenti abutitur; quæ vnicũ nostrum possu nt esse refugium.
*Stob. ser. 12.* Exempla denique Gentilium satis ostendunt honestum non videri mutare partes: inter alia: Centurio Augusti Cæsaris, cui nomen C. Meuius, qui comprehensus, & adductus ad M. Antonium, rogatusque ab eo qua ratione à se transiret: Caput (inquit) mihi præcide: non enim siue vitam dederis, siue abstuleris, tuus vnquam ero, ac desinam militare Cæsari. Laudabilis constantia: quæ cum prædictis satis videtur declarare perstandum in cœptis. Sed quid? Quid dicemus ad
*Psal. 1.* verba Dauidis, *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit?* Vbi permittere videtur, non semper iisdem adhærere partibus. Quid dicemus ad nuper allata? quod viri prudentis sit, pro temporis necessitate mutare sententiam. Respondeo habendum respectum belli partisq; quam sequimur; vtrum æqua, iniqua, an indifferens. Si bellum iustum, nunquam licet illud deserere, vt contra pugnetur. Si iniustum, non solum non peccamus nos subtrahendo, sed peccamus perdurando.

Cicero 1. Offic.] *Iam illis promissis non standum esse quis non videt, quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo promiserit.*

Idem dicere voluit S. Isidorus *in malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum.* Etiam mille obstrictus iuramentis, ac sacramentis militaribus. Male feciſti iurando, non peccas non seruando. Graviter peccauit Herodes, iurans saltatriculæ dare in disco caput innocentis; peius fecit etiam præstans

Quo

Quod si pars nostra indifferens sit, ac iustitia causæ, vtrimque æque dubia, videtur subditus, data maxime iurataque fide, debere seruare tuerique locum, & esse inuariatus. Sed pars quam noster tam diu sequutus est Prodigus, notorie erat iniqua: quo enim iure Satan, aut homo, contra Deum militat? Potuit igitur, imo & debuit, transire ad Dei partes, & bellum in se ac Diabolum cõuertere. Sed exinde iam partem mutare ipsi non licuit, sicut nec fecit: quia posterior causa erat iusta, à qua ne deficerent martyres, acerbissima omnia tolerarunt Oremus igitur Deum dilectissimi. Primum vt in iuuentute suis consiliis nos ad partem bonam deducat, ac deinde, vbi eam elegerimus & acceptauerimus, nunquam eam commutemus. 3. Si destituti Diuina luce error nobis obrepserit, & in militiam Satanæ ac Diaboli ciuitatem, contra Deum, cum hoc Prodigo inciderimus, contra nos ipsos, & inordinatos appetitus; ac gratiam nobis donet, vt ita sub signis eius militemus, vt laureas æternas consequamur. Amen.

Ite in pace.

CON-

# CONCIO VNDECIMA

*Græca.* 7. Εἶπε πόσοι μίσθιοι τοῦ πατρός μου περισσεύονται ἄρτων, ἐγὼ δὲ λιμῷ ἀπόλλυμαι.

*Vulgata.* 7. *Dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.*

*Syriaca.* 7. *Ait, quot nunc, sunt nunc mercenarij in domo Patris mei qui abundant pane, ego vero hic fame pereo.*

## ARGVMENTVM.

*Dicemus hodie.*

1. *Quod verba ista, maximam contineant exaggerationem, miseriarum nostri Prodigi.*
2. *Quantum profuerit aliquibus, à patria, & suis aliquanto tempore abfuisse.*
3. *Prodigi patrem & herum, Dominos fuisse, admodum diuersos, in famulos, & patrem ipsius fuisse liberalissimum.*

AVE.

## I.

### *Quod verba ista maximam contineant exaggerationem miseriarum nostri Prodigi.*

SIcvt qui post insolentem Turcarũ aut Barbarorum victoriam in ciuitatem suam redit vastatam, direptam, euersam; mænibus, ædibus, palatiis, templis, tormentorum vi, flammis, arietum quassatione deiectis, videns iam omnem per plateas solitudinem, & vastitatem; *campos vbi Troia fuit.* Templa versa in desolationem, palatia in rudera, aulas in stabula, nec lapidem mansisse super lapidem (sicut in capta sub Tito & Vespasiano Hierosolyma) aut si forte aliqua perstiterit domus, non collapsa ex toto, omnem tamen supellectilem sursum deorsum, huc illuc versatam, *Dispersos lapides Sanctuarij in capite, omnium platearum.* Verum Chaos,

*Virg. Æn.*

Chaos, repletum putore, fuligine, sordibus, semiuorata cadauera à canibus & vermibus, exesaque putredine, horrore magno stabit immotus, & obrigescet instar statuæ quam primum ad tale admissus fuerit spectaculum: magnis dein se signans crucibus, & tandem vix ad se reuersus, suspirat, ingemiscit, & millies cum Ieremia exclamat: *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo; facta est velut vidua domina gentium? Princeps prouinciarum facta est sub tributo. Præcipitauit Dominus nec pepercit omnia speciosa Iacob: tetendit arcum suum quasi inimicus, firmãs dexteram suam, quasi hostis: & occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Syon.* Quæ miseratio! quod lamentum! quæ mutatio rerum! O Diuum domicilium! nõ hic iam Troia, non iam meum regnum! Quo vadam, quo me conuertam, vnde hæc reædificare incipiam? *Thren.* 1. *Idem cap.* 2.

Virg. 2. Æneid. sed de Sinone.

*——Vt conspectus in medio turbatus, inermis.*
*Constitit atq; oculis Phrygia agmina circumspexit,*
*Heu quæ nunc tellus (inquit) quæ me æquora possunt*
*Accipere? aut quid iam misero mihi deniq; restat?*

Sic opinor, dilectissimi: Prodigus noster (qui tam diu peregrinus & à se ipso extra animam suam oberrarat exul voluntarius) tandem, *in se reuersus* post longam absentiam, postquam Satan & peccatum inimici victores digna ac indigna, victoribus insolentibus consueta exercuissent, videns se foris & intus confractum, partim incendio, partim ruinis, partim deordinationibus deiectum, vitam infectam, ac deprauatam, sine intellectu, sine ratione, sine Dei memoria, sine amore cæleſtium, sine inferni timore, sine Dei hominumque reuerentia, spoliatum omnibus, diu quasi extra se raptus, & stupore stetit attonitus: cadẽs forte in terram, sine voce, signis tantum, & lachrymis, & in cælum suspicione loquens; torquens manus, iactans pedes, plangens percutiensque seipsum. *Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum, & erubui.* Psal. *Ieremi.* 31.

*Obmutui, & silui à bonis, & dolor meus renouatus est.*

Virg. Æn. *Obstupui, steterunt q; comæ, & vox faucibus hæsit.*

Dein vero restituta voce, quis dubitat exclamasse, ac vehementem animi perturbationem, omnibus modis ostendisse, quod Græci παθητικὸν appellant, in hunc modum. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundãt panibus, & ego hic fame pereo* Allegoricè: quo animæ inter gregarios qui Deum timent, Dei sermonibus implentur, abundãt consolationibus internis ex benefactorum conscientia; & ego, qui ad meliora natus eram, ecce instructore careo, pastore animæ, inter media excarnificatus peccata. Hęc peccatorum cantio. Adolescens historicus, aut verus Prodigus, videns miserrimum statum in quo spiritu constitutus erat, statumque in quo aliquando fuerat, ac iam non erat; proculdubio pro tempore etiam totus obstupuit ac obmutuit; ac paulo post, hac aut simili voce erupit. O quot mercenarij apud bonum meum patrem feliciter agunt, & ego hic quam misere! Mercenarij panibus ad saturitatem implentur, & ego filius, Eheu! etiam filius, fame contabesco! Ah miserum patrem, filiam autem etiam multo miseriorem! Expendamus quæso, dilectissimi, singula huius adolescentis verba. *Quanti pro quot*, iuxta Caietanum, & Ariæ Montani versionem. *Nam quantitas hic secundum quam aliqua dicuntur aliquot.* Efferque cum gemitu, quem attendere oportet in isto loquendi modo, inquit Caietanus. Pronuntiandum enim est, inquit S. Bernardinus, ac si quis dicat heu! eheu *quam* multi &c. O quantus numerus, ô quantus *mercenariorum* grex, abunde nutritur. *Ego autem*, filius tanti patris, non mercenarius sicut ipsi, hic solus ab omnibus destitutus, fame enecor, pro tenui tantum seruiens victu. Altius paululum hæc repetamus, & videbimus nullum verbum carere antitheſi.

Primo enim, multitudinem opponit vnitati. *Quanti, quam multi, ego autem vnicus & solus.* Quot mercenarij; non vnus, non duo, sed integra agmina: ego vero solus, & tamen &c. Pater meus tam multos adeo alit liberaliter; & hic herus ne vnum quidem

dem. Ibi omnes tam fortunati; ego hic solus in infortunio, sine ſ ci›, sine solatio. *Ferre, quam sortem patiũtur omnes, nemo recusat.* dicit Seneca. Illud (ego) plane emphaticum est:

*Aſt ego quæ diuûm incedo Regina, Iouiſq;*
*Et ſoror & coniux.*

Secundo comparat *ſtatum ſtatui*, qualitatem qualitati, dicens: *illi mercenarij, μίσθιοι ſtipendiarij à μίσθος, merces, ſtipẽdium, præmium, & pretium laborum; homines, quorum opera non quorum artes emuntur, ait Cicero.* Cic. lib. off. 1.

Opifices tantum, mechanici, diurnæ operæ; non domeſtici, non fratres, non cognati mei, ſed externi; etiam qui in diem ſeruiũt. *Ego autem filius*, boni illius Domini; filius non adoptiuus, ſed naturalis, & minimus quidem natu, *Iacob diligebat Ioſeph, eo quod in ſenectute genuiſſet eum.* Et ego filius, ac proinde liber natus, natus dives, atque in opulentia, illis omnib. peius habeor. Aut dicere voluit: ſi mercenarij illi ſunt, ſum & ego hic Heri mei mercenarius, non bello captus, non emptitius ſed conductitius; non tamen hic ita alor, ſicut illi apud parentem meum. Vel, Illi patris mei mercenarij, præter ſtipendia ſatis larga, liberum abundantemque habent victum; & ego quamuis hic ab Hero meo nec teruntium lucror, & pro victu ſeruiam, pereo nihilominus fame, nec canibus, nec porcis domini mei æquiparatus. Geneſ.

Tertiò. *Locum loco* componit, ſecundum Latinam videlicet verſionem: Nam in Græco non eſt (*in domo*) nec aduerbium loci (*hic*) *Ego autem hic*: ſed ſolum (*quot mercenarij patris mei abundãt panibus, ego autem fame pereo.*) Secundum Latinum igitur textum, quaſi ſic dicit. Illi ibi in regione ſua ſunt, ego autẽ hic in extra, in peregrina terra; egregie extenuatus fame, extra notos, & quaſi iectus à meis. Vel, Illi ibi ſunt in domo, ſub tecto, extra pluuias, extra turbines: ego autem hic in agro, ſub diu; vento pulſor & grandine, inſtar beſtiæ, peius fere damnatus quam ad triremes. Vel, Illi ibi ſunt *in domo patris mei*; ego hic ſtabu-

latus in putenti hara, inter porcos, dormiens in stramine, aut humi cubans, esca vermium & cimicum, fame perditus. Vel iuxta Græcum, qui non habet in *domo*, nec *hic*, quasi dicit, mercenarij patris mei, qui foris etiam ipsi seruiunt, vt vinitores, fossores, colliones, &c. victualibus abundant, aut vltra conditi stipendia liberaliter conceſſis, aut quia magna lucrantur stipendia, eaque in diem persoluuntur, facile demptis: At ego mercenarius tanquam ipsi, nec corollaria accipio, nec dona; nec lucellum meum victui sufficit, & quamuis exiguum sit quod debetur, ægre tamen soluitur: tantum non fame morior. Illi ibi argentum & victum accipiunt, argentum in bursa, victum in bucca; mihi neutrum est. Et hoc etiam plus mihi videtur habere energiæ, ac magis amplificare adolescentis miseriam, & Heri tyrannidem, qui gratia imperabat seruitia, mercedem insufficientem & iniquā, nec soluēs bene, nec suo tempore, quam promiserat. Ah (Deus bone) quot herus iste habet locios, qui carnem & sanguinem operariorum deuorant! quas non merentur isti inuectiuas, sed non habemus hoc loco tales (si adessent etiam in turba centies mille hominum, dicerem quod æquum est & quod sentio) pergamus igitur.

Quarto. *Quantitatem quantitati* comparat: abundantiam extremę inopiæ. Abundant inquit. Græcum περισσεύουσι, amplius quid dicit. Significat enim *superant* aut *superfluunt*. Hoc autem plus est quam *habere* satis. Græca igitur quasi dicunt, *ingurgitari possunt illi* si velint; ego autem hic fame pereo, non vulgari modo esurio; extreme inops, nec siliquas habens, nec illa quæ solis apponuntur porcis; sed conficior inedia, nihil habens quo stomachum placare queam latrantem, fame rabidus atque enectus: illi ibi liberaliter se tractant, ego hic liberaliter ieiuno. O quando ille redibit dies, vt & ego satur me curem hilarius!

Quinto. *Panes* opponit *peremptoriæ fami*. Illis, inquit, panum copia, mihi fames: illi ibi nimium, ego hic nimis parum: nimium dico, nam distenduntur;

nec

nec vno quidem genere panis, sed *panibus* variis *primo & secundo (viuit siquis & pane secundo*, ait ille) ventrē infarciunt recenti, nouo, calido, hesterno, frigido, &c. sumunt quantum & qualem volunt; fruuntur, *solis mensa, in domo patris mei.* Vel *panibus*, inquit, quia quilibet pro gradu suo ac officio quod gerebat, aut pro fide ac diligētia, primario aut secundario alebatur pane; quilibet tamen suo abundanter. Ego autem aduersa luna natus, digitos rodo, nec siliquas prandeo, conuiua porcorum. Si quid mihi nimium, hoc fames est; si quid copiosum, illud esuries. Venter & intestina mihi crepitant, ac lupum intus habent, qui vltimæ vix meminit prædæ. Parum abest quin vt famelicus lupus terram vorem, aut vt serpens, terram comedere omnibus diebus vitæ suæ, diuina sententia damnatus.

*Vide Caliū Rodig. lib. 16. ant. lect.*

*Genes. 3.*

Macrob. Act. 1. Scen. 3. Colax parasitus.

*Instar puerperæ gemellos quæ edidit,*
*Flaccesco ventre, quatriduanam ob inediam.*
*——le semble ce Vautour,*
*De qui iamais la faim du gosier n'est ostee,*
*Deuoraſt il cent fois cent cœurs à Promethee.*

Fame pereo, morti vicinus, vt lampas sine oleo. Non hæc hyperbolice (vt sentire videtur Gislandis) neutiquam: sed simplici veritate. Nihil mihi iam præter pellem & ossa, factus vera mortis imago, collabascens in vestigio; capilli, quos olim vanitas crispauerat, omnes fere in terram sparsit paupertas. *Pro crispanti crine caluitium.* Excrescunt mihi digitorum vngues inacciſi, qui dorsum scabant, pulices me viuum credunt, supersum nudus vt pomilegulus, venditus & traditus, vt viuam quoadusque *Mori restat, fame pereo.* Iam septimum aut octauū vt poterat sine cibo agebat diem: homo enim famem sustinet, vt Gellius inquit, diebus octo aut nouem, vt non moriatur. Et magnam emphasim habet quod dicat potius *fame pereo*, quam labore; quia vt in prouerbio est *miserrimum fame mori.*

*De Gislandis q. 12.*

*Isai. 3.*

*enecæ.*

*Aul. Gell. lib. noct. Att.*

Ieremias *Melius fuit occisis gladio quam interfectis fa-*

*me.* De hac re dictum tomo secundo horum sermonum.

Hic enim quasi dicit; vtinã me vel gladius transadigat, vel in rotam leuer, aut furcam, (salua tamen fama ac animæ iactura) Sed fame, toties me occupat, quoties me venter allatrat: hic mihi langor morte peior est, & hoc famis supplicium omni crutu crudelius.

Guilielmus Gnaphæus in acolasto Act. 5. Scen. 4

*Quæ de inferis narrantur fabulosa sunt*
*Omnia, si non veros patior inferos.*

Psal.] *Dolores inferni circumdederunt me.*

Psal.] (*Damnati enim*) *famem patientur vt canes.*

Psal. 101.] *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.*

Psal.] *Genua mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea infirmata est.*

Iuxta versionem Syriacam quæ habet particulam *nunc*. *Tempus* opponit *tempori*, dicens: *nunc*, hic durante fame, illi ibi quam habentur laute. *Quot sunt nunc mercenarij, &c.* O miserum me & infelicem, vnde & quo deueni? quis fui, & quis modo sum? Quid agam? quid faciam? quam belle hæc in me recudiunt stultitia? O pater, ô pater mi vbi es? & tu ô frater quam beatus, qui apud patrem mansisti? O me rer infelicem, qui ipsum demisi: quis vnquam tale mihi ominatus fuisset infortunium. Ah miserum verbum

*Virg 2. Æn.* *Fui, fuimus Troes*; fuit Ilium, & ingens gloria Teucrorum.

Boet. lib. 2. de consol.] *In omni aduersitate fortunæ, infœliciſſimum genus infortunij est, recordari se fuisse felicem.*

*Cic. Ep. ad L. Luceium lib. 5. epp. ad fam.* Sicut recordari præteritas miserias dulce est passis, (*Habet præteriti doloris secura recordatio delectationem*, ait Cicero. *Et hæc olim meminisse iuuabit*, dicit Poeta.)

*Virgil. 2. Æneid.* Sic etiam pristinas meminisse fortunas longe acerbissimum, longe miserrimum. Bene tamen res habet quod recordetur quis fuerit, & recognoscat quis sit; bene habet quod gemat; quod suspiret, ac flectatur.

In ho

In hoc Prodigus noster multos confundit, qui nunquam suam recognoscunt miseriam, & qui cautibus duriores & incudibus nullis tribulationibus emolliuntur, nec rugiunt, nec gemunt, nec vlla tanguntur inuerecundia: *qui assiduis conuitiis, calamitatibus depudere didicerunt.* D. Bern. lib. 5. ad Eugen.

Homines effrontes, duri, ac adamantini cordis: quorum pectus nec compunctio scindit, nec pietas emollit, nec preces mouent, nec minæ terrent, quos verbera indurant; ingrati beneficiis, infideles consiliis, crudeles iudiciis, impudentes ad scelera, impauidi ad pericula, inflexibiles ad omnia: qui non magis flagra timent, quam caudas vulpinas, &(vt vno concludatnus verbo) dura corda, quę nec Deum timent nec homines reuerentur.

*Induruerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Ierem. 5.

Iob 41.] *Cor eius indurabitur tãquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.*

Diabolis obstinatiores. Necdum omnino conclamatum ac desperata res est, quando quis lapsus recognoscit errorem, rugit, gemit, accusat se, ac confitetur miseriam suam descendere à peccato. *Peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis.* Ierem. 5.

Cicero 4. Tusc.] *Cum dissolutus filius, heu, me miserum, dixisset: tum seuerus pater, dũmodo doleat aliquid, doleat quod lubet.* Ex Afranio.

Ibid.] *Morderi est optimum conscientia, post commissum facinus.*

Senec. in Agamemnon. Act. 2. Scen. 2.] *Quem pœnitet peccasse, * pene est innocens.* * al. pœna.

Sic Diogenes laudabat adolescentem, qui reprehensus erubescebat, adiiciens hoc esse ex virtute. Sic & Ieremias Propheta, pessimum putat augurium peccato non verecundari. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Ierem. 3.

Comicus etiam, quasi bonum signum ac generosi animi notam adfert, adolescentulum coram patre erubuisse: *erubuit* (inquit pater de filio) *salua res est.*

Si erubescere bonum signum est, gemere etiam mul-
*Terent. in Ad. Act. 4. Scen. 5.* to melius. *Cum ingemueris, tunc saluaberis*: qui enim gemit, certo demonstrat esse aliquid in opere suo quod displiceat, quod infectum mutatumque velit, si posset.

II.

*Quantum profuerit aliquibus, à patria, & suis aliquanto tempore abfuisse.*

NOtate hic parentes & filij; non sensisse Prodigum paternarum ædium bona, quæ optimus pater Deus & natura ipsi subministrabant, donec inde aliquo tempore peregrinatus, externam expertus est seruitutem.

Chrysologus sermone 1. de Prodigo.] *Expertus est miser, quod est penes patrem dulcis conditio, libera seruitus, absoluta custodia, timor lætus, blanda vltio, pauperias diues, secura possessio.* Hinc discite patres ac matres, quando vobis nimium recalcitrant filij, semperque obluctantur, duri, intractabiles, si minentur aliquando, vt accidit, fugam ac desertionem, aut nimis importune veniam petunt alium quærendi magistrum, ac visitandi terras; non nimium obstare: dummodo non sit animæ periculum, vel per religionis mutationem, aut per mala consortia. Videmus enim necessitate ipsos sæpe melius erudiri, domari, & reformari, quam cura laboreque vestro. Verum enim est illud prouerbij: videri quid amicus valeat cum perieris, ac desiderari repudiatum. Nescitur quid sit, *parentes* habere, eisq; seruire, donec excidant, aut experimentum sumatur iugi seruitiique externi, *Contraria iuxta se posita* (inquit Philosophus) *magis eluescunt*; & violæ melius olent, dicunt hortulani, inter allium & cepas. Nescitur quid pax sit nisi bello, quid sanitas nisi morbo, quid libertas nisi seruitute. Dominus etiam noster dimittens populum secundum desideria sua, permisit vt in graues dominantium manus incideret, vt experti iugum inhumanum suaue reperterent iu-
2. Paral. 12. gum Diuinum. *Seruiunt (Ierosolymitani sc.) Sesac Regi Ægypti,*

*Ægypti, vt sciant distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarum.*

Quid inopia victus, & rerum vitæ necessariarum, mancipia aliquando ad priores retrahit dominos, quos ob nimiam seueritatem fugerant. Filij Israel, qui toties iam clamoribus suis cælum ac Deum pulsauerant, contra tyrannidem Pharaonis & exactorum; famẽtes in deserto, ac destituti cibo, Ægyptum etiam repetere meditantur, nisi cibo de cælo præstito, & victualibus copiosè subministratis detinerentur.

Amor patriæ omnibus naturalis, filios vestros quasi manu tandem reducet; aut potius cathenis tenacibus domum retrahet. *Amor patriæ ratione valentior omni*: dicit quidam, &

*Nescio qua natale solum dulcedine cunctos*
**Ducit, & immemores * non sinit esse sui.*

*Ouid. lib. 1. de Ponto Eleg. 4.*
**al. Detinet imme.*

Etiamsi extra patriam omnia inuenias bona, suspirabis tamen eam, & semper videtur tenue salinum, siccaque mensa domi melior, quam dubia apud externum. Quoties foris inter conuiuia & sympoſia **al. nec* læta auditur hæc vox *Patriæ sat pluris faciendus quam hospitis mensa*. Ecclesiasticus ait, *Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quam epulæ splendidæ in peregre sine domicilio.* *Vide Chil. Erasm. Eccl. 29.*

Casulæ, tuguria, prætexta araneis, cereuisiæ crassę, carbonum cespitumque fuligines, nigrique lares patrij magis nos trahunt, quam foris palatia aurata, saccarum Candiæ, vinum Canariæ, odoramenta matronarum, ac omnis suauiolentia, quam ex cinnamomi ignibus ac Arabicis incensis elicere possis. Dicimus omnes verba Teucri, *Patria est vbicunq; est bene.* Quantum igitur desiderabit reditum cui foris est petius? Quid amœnius Roma? cum tamen ibi essem, & bene exceptus & honoratus supra meritum, benignitate scriptorum omnium Cæsaris Cardinalis Baronij, & speciatim summi nostri Põtificis, Pauli Quinti (cui Deus semper benedicat) peractis tamẽ negotiis, domum versus grandiui gradus, versus partes nostras

feriores, & vere inferiores & humiliatas ciuilibus bellis.

*Ouid. 1. de Ponto Eleg. 4.*

*Quid melius Roma: Scythico quid frigore peius?*
*Huc tamen ex illa Barbarus vrbe fugit.*

Quæ columba, quis taurus, quis leo, tam sui oblitus, cui cum melius sit in cauea ac stabulo, non malit redire hic ad prata, ille ad syluas, & antra; illa in deserta. Verum (inquit aliquis) hæc bruta sunt et bestiæ. Barbari & effœminati ita agunt; Philosophi, & quibus feruet sanguis in pectore, longealiter sunt animati.

*Nam omne solum forti patria est, vt piscibus æquor,*
*Patria est vbicunq; virtus sedem delegerit.*

Cicero lib. 4. Ep. fam. Ep. ad Marcellin.) *Sapientis est carere patria.*

Concedo equidem, quando patria deseritur ad quærendas seruandasque virtutes, discendas scientias, aut veritatem. Nihilominus tamen si quis ad animi ipsorum centrum fundumque pertingeret, deprehenderet vtique, quod suam locis omnibus præferant patriam. Dicat Diogenes, dicat Socrates quoties placet, rogatus cuias sit, se *mundanum* esse, ac *mundi ciuem*: inuenietur tamen magis patriæ suæ quam vlli loco affectus; nisi forte causa subsit cur patriam oderit, vt ingratitudo, aut alia vitia, &c. aut cur alium locum magis diligat. Quis vnquam durior, prudentior, ac minus effœminatus Vlysse. Ithacam tamen regionem sterilem, lapidosam, quæ nec leporem aleret semper suspirabat.

*Cic. 5 Tusc. tribuit Socrati, Laertius ni fallor Diogeni.*

Ouid. lib. 1. de Ponto, Eleg. 4.) *Non dubia est*
*Ithaci prudentia: sed tamen optat*
*Fumum de patriis posse videre focis.*

Quid? etiam Iacob voluit reuerti in patriam, cum quatuordecim annis pro duabus vxoribus seruiisset, in Mesopotamia, multo tempore post coniugium; nam exiens magnum trahebat agmen puerorum, & domesticorum, quamuis videri potuisset naturam istius loci induisse, ductis ibi vxoribus, procreatis liberis, aucta re: maxime cum moraretur apud auun-

auunculum, ac dupliciter socerum, (& quod mirabilius) moriens in Ægypto, quo ipsum fames deportauerat, ossa sua inde in patrum terram iussit trãsferri, pia credo deuotione, sed nihilominus communi etiam in patriam naturalique affectu. *Etsi enim sapientis est carere patria*, inquit Cicero, *Duri, non desiderare: etsi Repub. non posse frui stultum est nolle priuata.* Cic. lib. 4. epp. Ep. ad Marcellũ.

Sed esto. Concedatur (videte quam sim liberalis) effœminatos esse qui patriam respectant, quam Philosophi negligunt (quamuis reuera falsum sit, quod eam nec curent nec desiderent) filij nostri, adeone omnes sunt masculi, adeone Philosophi, vt sperandum non sit, patriæ desiderio sapientiores ac tractabiliores domum redituros? Quis vigor masculus, quæ philosophia (obsecro) in puero, qui ad boni patris arbitriũ, nec labores domesticos sustinet, qui fructum ventris sui nunquam opprimit? Quod obsecro sapientiæ studiũ in tali, qualis noster est Prodigus, qui omnis oblitus humanitatis, & affectus naturalis, in vitæ authorem, in nutricium, in tutorem suum? Quod philosophi extra patriam facile agunt, aut ex rerum præclare gestarum conscientia est, aut quia inquisitio veritatis ac virtutis, ipsos consoletur, vel quod scientia ac probitas ipsos externis commendet, abundeque suppeditet media quibus commodius quam in patria vitam tolerent. Vestri vero filij, qui sic peregre abeunt, nihil nisi crucem morsumque conscientiæ circumferunt, quod apud parentes male se gesserint, quod peregre profecti sint non ad adipiscendas scientias, aut virtutes, quas nec discebant in patria; sed ad quærendam libertatem. Imperiti autem & male instituti, nec amicos facile inueniunt, nec subsidia. *Egestas & ignominia ei qui deserit disciplinam*, dicit Salomon. Prou. 13.

Atque ideo sperandus magis ipsorum reditus, & correctio, sicut nostri Prodigi, ex conscientiæ remorsu, ex amicorum defectu, ex rerum omnium inopia, mansuri ex inde commodiores, & instituti paratique ad omnia.

Vete-

Veteres amicitias, colloquia, vicinias, confabulationes, quæ in patria sua habuerunt, quam dulcia fuerint gustabunt melius, cum aut nullos aut paucos habuerint socios, & eos vtrimque magna cum diffidentia: quæ facile tantum illis excitabunt tædium, nihil nisi de patria cogitent. Domestica vilent, sordeat in patria amicorum turba, nauseãtur obuiæ mercedes & prompta oblataque omnia; sed cum amicorum grege priuari cœperimus, cum extra patriam nullus, aut vix vllus inuenitur fidelis, etiam multo labore quæsitus, cum nunquam magis futurus esset vsui, tum demum piget desertionis, tum nihil nisi reditus suspiratur, somniatur.

Cicero Orat. ad Quirites post reditum.] *Amicitiæ, consuetudines, vicinitates, clientelæ, & quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo.*

Ouid. lib. 1. de Ponto Eleg. 4.

*Effice, vos ipsi ne tam mihi sitis amandi,*
*Talibus vt leuius sit caruisse malum.*

Videte igitur vtrum male suadeam parentibus, vt immorigeros, refractarios, irreuerentes, impios ad externas regiones dimittant, mittantque ad scholas quasi virgas, sq; ferreas: vt sic compulsi reperere patriã, parentes, & amicos, redeant tandem subacti, flexibiles, ductiles, nec amplius fugam minentur.

Seneca in Prouerb.] *Cautio est in reliquum, lapsus anterior.* Exemplum petatur à nostro Prodigo, in hoc theatro: moneant qui tempestates experti sunt, stantes adhuc, & soluturos ex portu, ne in easdem vndas se facile præcipitent.

*——fœlix quicunq; dolore*
*Alterius, disces posse carere tuo.*

Dicam hic in transitu, non inconsultum etiam fore, quibusdam coniugatis, quibus coniux parum commoda ac morosa, (idem etiam in marito habet locum) oportune se subtrahere, vel occasionem aliquam quærere vt coniux importunior ac morosior ad negotia proficiscatur, vel visitatum amicos peregre habitantes; vt alter interea voluptatibus & commodi-

moditatibus maritalibus priuatus, orbatus consortis præsentia quam fastidiebat, redoptare incipiat. Virgil.4.Æneid. vox Didonis ad Æneam.

*Spero equidem mediis (si quid pia numina possint)*
*Supplicia hausurum scopulis; & nomine Dido*
*Sæpe vocaturum.*

Diuturnior absentia postmodum noua gratia præsentiam condiet, & consors morosior, nouis studebit delinire blandimentis coniugis fastidium.

Quis dubitet etiam inter bonos inueniri, qui quos præsentes & viuētes, nec videre, nec tolerare possunt; absentes & mortuos summopere flagitant; refodiūt pene terram vnguibus, ac monumenta pertundunt, vt eos ab inferis si possent resuscitent. Clamant pene cum Christo, *Lazare veni foras*, mōtibus aureis vitam ipsorum redemturi. *Ioan.*11.

Horatius lib.3. carminum Ode 24.] *Virtutem incolumem odimus: sublatam ex oculis quærimus inuidi. A busto quiescit inuidia scilicet.*

Plaut. in capt.

*Tum denique homines nostra intelligimus bona.*
*Cum quæ in potestate habuimus ea amisimus:*

Sophocles in Aiace.] Οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τ' ἀγαθὸν χρῶν. Ἔχοντες οὐκ ἴσασιν πρίν τις ἐκβάλη, *id est, Mali bonū in manibus habentes, illud ignorant: vbi amiserunt, tum cognoscunt.*

Paterculus.] *Præsentia, inuidia; præterita veneratione persequimur.*

Quis ignorat quanto odio Prophetæ semper vixerint, maxime illi qui Regum & gentium vlcera ferro & cauteriis adurebant. Lapidati sunt secti sunt, &c.

Ierem.2.] *Deuorauit gladius vester Prophetas vestros, quasi leo vastator generatio vestra. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt.* Ierusalem quasi macellū Prophetarum omniū. Ierusalem quasi amphitheatrum, vbi boni feris spectaculo obiiciebantur. *Quem Prophetarum non sunt persecuti* *Matth.*23. *Lucæ* 1.

Actor. 7. Luc. 13. *persecuti patres vestri.* Dicebat S. Stephanus. *Non capit Prophetam perire extra Ierusalem*, dicebat Dominus. Ac reuera nemo verba, nemo vultum eorum tolerabat, *Virtutem incolumem odimus; pascitur in vultu liuor.*

Horat. Ouid.

Sed post mortem (Deus bone) quam desiderat quam honorati? Parricidarum filij eis mausolea struxerunt, & monumenta magnificentissima. *Prophetas* (inquit Christus) *Patres vestri occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.* Ac parentes vestros calumniamini, quasi minus futuri sanguinarij si illo vixissetis tempore. *Ornatis monumenta iustorum, & dicitis, si fuissemus in diebus patrum nostrorum non essemus socij eorum.* Hoc Seruator noster sibi euenturum indicauit, quod probis omnibus: inquirendum se nimirum, vbi foret ablatus; *Ego vado & quæretis me.* quasi dicat; modo *grauis sum etiam ad videndum*, præsentia mea vobis onerosa est, vt Sol vespertilionibus aut lippientibus, & rosarum ac amarici odor porcis; veniet tamen dies quo me desideretis. Quis ignorat Ciceronem pro tempore adeo fuisse inuisum, vt vrbe ea exularet quam sua vigilantia ac sudore, contra Catilinæ coniurationem seruauerat? *Seruatæ patriæ pœnam passus exilium.* dicit Quintilianus. Sed quis ignorat quomodo idem à bonis omnibus fuerit repetitus? Ipse de se iactare ausus est, præsente omni Romana nobilitate (opinor quod vere) *me in patriam ter suis decretis Italia cuncta reuocauit:* ac eodem anno quo eiectus est, octo Tribus apud Senatum pro reditu eius solicitarunt: vnde & alias in pleno gloriatur senatu, *non solum reducti sumus in patriam, sicut nonnulli clarissimi viri; sed equis insignibus, & curru aurato, reportati sumus.*

Matth. 23. Luc. 11. Quintil. lib. 11. Inst. c. 1. Cic. orat. ad Quirites. post reditū. Idem orat. in Senatu post reditū.

Equos forte dicere vult albos, qualibus in triūphis vtebantur. Salustius æmulus eius obiicit ipsi, dictum nimis fastuosum. *Italia exulem humeris suis reportauit.* Ipsemet Pomponio Attico amicissimo sibi scribens, de triumphali suo in vrbem reditu dicit.

Salust. orat. inuect. in Cic.

Cic.

Cic. lib. ad Atticum 4. Ep. 1.) *Ad vrbem ita veni, vt nemo vllius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obuiam non venerit, præter eos inimicos, quibus idipsum non liceret aut dissimulare, aut negare.*

Et nihilominus (videte quid præsentia possit) idem amico suo conqueritur versam esse sortem, adeo vt qui absentem tutati fuerant, præsenti iam succensérent, ac inuiderent.

Cicero lib. 4. Ep. ad Attic. Ep. 1.) *Iam quidem qui me absentes, defenderunt, incipiunt præsentibus occulte inuidere, aperte inuidere.*

Magnus Sixtus Quintus, ex Cordigero factus Papa, cum ego essem iuuenis, quid non effecit? tamen, post renouatam Romam, purgatam latronibus Italiam, exercitam iustitiam, etiam in suos, non ante sui odium effugit, quam vitam, & quis nouit quomodo sit mortuus. Ac post mortem eius quæ non dicta, quæ non seminata. Scio tamen & ipse in vrbe audiui, quamprimum Romæ annonæ crescunt pretia, plebeculam Romanam semper eius reminisci: ipsum gemit, ipsum inclamat, Ah *Sixto Quinto!* ah *Sixto Quinto!* quasi desiderans viuentem, ac necessitates eorum, vt facere consueuerat, curantem. Aristides cognominatus iustus, quod ab omni alienissimus esset iniustitia, inuisus fuit Themistocli; ac tandem factiose duodecim annorum exilio Athenis ablegatus.

Quid accidit? Xerxe Persarum Rege cum copiis in patriam ipsius irruente, absentem statim repetierunt, postularunt præsentiam, reuocarunt ab exilio. Camillus magna ingratitudine Roma deportatus in exilium priuatus agebat Ardrenis; sed Roma a Brenno & Gallis capta, obsesso Capitolio statim desideratus, statim inquisitus, reductus & dictatura honoratus est. Quid? nonne & ipsi tyranni, succedẽtibus peioribus, post mortẽ aliquãdo redoptãtur. Testimonio Pausanias qui terrã versans *Antigonum* (aiebat) *re-fodio.* Odiosissimus qui vnquã in Belgio vixit, quomodo post mortẽ suam à nõnullis desideratur: quod sane hone-

*Plutarch. in Camillo.*

honestius est, quam nunquam fuisse læsum. Cicero orat pro domo sua. *Ad immortalitatem gloriæ plus adfert, desideratum esse à suis ciuibus, quam omnino nunquã esse violatum.* Glorioſius fuit Rutilio Gemino Sylla factionibus fuisse proscriptũ, ac cum ab eodem Sylla reuocaretur, recusasse & respondisse quod refert Seneca, *Malo vt patria exilij mei erubescat, quam redditus mœreat.*

*Seneca lib. 6. de benef. Ouid. de ipso lib. 1. de Ponto Eleg. 4.*

Nos magnis illis viris comparati vmbra sumus & locustę; non semel tamen repeti ac desiderari nos cõtigit, propter candorem, & apertum in concionibus animum, ac dicendi quæ conscientia dictat libertatẽ, constantiam in redarguendis malis, vbi, cum præsentes essemus, æmulatione nõ carebamus. Et credo dũ viuimus scripta quędam nostra dicta aut facta displicent, quæ cum viuere desierimus nobiscum non mediocriter appetentur. *Scribantur hæc in generationem alteram, & populus qui creabitur, laudabit Dominum.* Sed hæc de me satis, forte etiam nimium. Concludo igitur bonum esse magnis ac illustribus viris subtrahere se aliquantulum nauseantibus, fastidientibus, ac inuidis, laribulo quodam voluntario, vt Sol per eclypsin, aut nebulam, ac naturæ ordinem, toties se abdens noctibus; vt familiaritas, mater contemptus, per absentiam istam excluſa, non tantum contemptum ac fastidium abigat, sed appetitum etiam & desiderium maius accendat.

*Psal. 101.*

## III.

### *Prodigi patrem & herum, Dominos fuisse admodum diuersos, in famulos, & patrem Prodigi fuisse liberalissimum.*

SEd notate hic in transitu, ex Prodigi verbis, quantum duo isti Heri à se mutuo differant, in seruorum ac familiæ regimine. Prodigi pater Herus erat optimus, liberalissimus, humanissimus, æquissimus, dignus cui seruiretur; ac probatissimos, vt opinor, habuit famulos. Herus vero ipsius, Arabs reuera, ac tyrannus, qui seruo suo in agro nec porcorum dabat siliquas

siliquas. Herus certe dignus cui nemo vnquam famularetur, qui deseretur ab omnibus, etiam ab hoc prodigo & ab omnibus (quod & fiet Deo dante) sic equidem opto alius equidem esse non debet qui in hac parabola repræsentat Diabolum.

Pater ipsius (vt verba textus citata insinuãt) quatuor dotatus erat virtutibus: humanitate, scilicet, liberalitate, iustitia, & discretione.

* 1. *Humanitate.* Quia pluribus nutriebat homines; filios, mancipia, mercenarios, non inutiles ad solam voluptatem bestias, ex quibus aut nihil aut parum sit commodi; vt canes, equos, simias, cercophitecos, &c. vt multi faciunt: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus.* Quanti mercenarij (inquit) non canes, equi, simiæ, &c. Sed suadere me dicetis vtrunque. Alioquin enim vnum aperte affirmare, altero aperte non excluso, concludi non posse, quod pater ipsius has ad voluptatem bestias non aluerit. Respondeo hoc alibi habere locum, hic minime. Insinuatur enim oblique & tecte satis, (ita tamen vt oculus acutior, facilis auris, facile id sentiat) Prodigi verbis nihil istius generis à patre suo nutritum, quod duplo plus haberet impendij quam fructus. Suas enim voluit quam maxime exaggerare miserias; & proculdubio miserabilius multo fuisset patrem in ædibus, durante fame publica, canes alere liberaliter, cum interim filius in agro extingueretur esurie: Vnde si istius generis bestias fouisset domi pater, proculdubio in prima hoc collocasset lamenti sui capite, tanquam fortius, & moturum magis, dicens: *Quot canes venatici, villatici, pastorales, pecuarij &c. Quot equi admissarij, hippiati, desultorij &c. Quot simiæ saltatriculæ, imitatriculæ, adulteratriculæ &c. in domo patris mei, abundant panibus, ego autem &c.*

Ah rem indignam fame pereo! Dubitatis sic fuisse dicturum, si ita res habuisset. Nimis ingeniosa est ad lamentum necessitas. Non habuit igitur ista, vt falsi nominis diues, qui forte propter hæc nihil subuenit Lazaro, quod canum sumptus vix cum difficultate

præstatet. Quamuis autem non omnem reprehendo venationem, bona enim est quam appellamus *salutarem*, quia hæc conformis satis Dei decreto, victu suo in sudore vescitur. Nec iniusta est: non enim capitaliena, sed solum communia, & syluas in bonum publicum noxiis purgat bestiis, & humanæ vitæ infestis honestum etiam contra otia exercitium, ac institutis quasi ad bellum (vt alias copiose satis Leodij in S. Petri Ecclesia in festo S. Huberti patroni venatorum tractaui) cõmendare eam tamen non possum, quando Lazaro & pauperibus eleemosynas præripit, quod nimirum canes panem egentium, & sæpe ipsos heros vt Actæonem deuorarint. Sententia summi domini est: *Non est bonum, sumere panem filiorum, & dare canibus.* Nec ego hoc probare possum, cùm pauperes, coloni, & villici, nobilium suorum grauantur canibus, quasi assignatis cuique ad Chirographum suis, quos vt milites nutriant, canibus. vnde non raro accidit, vt inopes coloni ipsorum, pauciores ad ianuam deferant eleemosynas, ac pueris suis minus benefaciant. *Non est bonum*, iterum dico, *sumere panem filiorum & dare canibus.*

1603. 3. Nouembr.

Notandum igitur, quod etsi Prodigus dixisset canibus omnia abunde à patre suppeditari, adiecisset in domo patris mei. Imo, aluntur largiter, sed tamen in domo patris mei; non in alienis pauperum ædibus, vt fere fit, hoc tempore.

Hæc quæso emendentur. Consulo (non enim habeo quod imperem) vt magni illi venatores, ac canum nutritij Sabaudiæ quendã Ducem, nomine *Amadeum*, *ama Deum*, vel potius *amatum Deo* imitari studeant: quem authores non contemnendi aiunt rogatum quodam tempore à legatis, quos liberaliter tractauerat, vt venaticos suos canes ipsis exhiberet; post multas tergiuersationes ac subterfugia, tandem eorum victus instãtia, cubiculũ aperuit, omnis generis mendicis plenum, qui quotidie ipsius alebantur eleemosinis, dixitque: *Hi sunt canes mei, quos alo quotidie, quibus & me cælestem gloriam spero venaturum.* O præclarum respon-

*Munsterus lib. 2. Cosmog. & libellus gallicus Apopht. nostri temp.*

responsum! ô bellam venationem! non arbitror multum hinc abfuisse Prodigi nostri parentem, multos potius alentem mercenarios, negotiis suis occupatos, quam multos canes & equos ad voluptatem. Ipsius canes, ipsius aues prædatrices, ipsius equi bellici, ad cælum inuadendum, pauperes erant. *In prece pauperis spem reponens.* Et hoc vnum.

* 2. *Liberalitate.* Quæ maxime in duobus eluxit. Primo in victualium abundantia, abundant (inquit filius) Græcus dicit περισσεύουσιν, superfluunt. Secundo in varietate, *Panibus*, inquit, omnis generis. *Pane cibario & familiari qui ad cibum seruis datur, sordidus, nec delicatus; pane aceroso, & gregario*, qualis sæpe canibus obiicitur; *pane similagineo*, qualis nobilium, panibus omnis formæ, omnis generis, *pane herulitio, hordeaceo, frumentario*, panibus diuersimode conditis, *pane butyrato, pane fermentato, pane azymo, pane crocato.* Abundant denique panibus, manducantes qualem & quantum volunt.

*D. Ambros. lib. 2. de Virg. sub initium.*

*Vide Noniũ in voce cibarium, & Isid. 20. c. 2. Cibarij panis meminit Cor. Celsus lib. 2.*

O liberalem Dominum! ô vere dignum cui fideliter seruiatur, & (vt quod res est dicam) & en verum medium, quo omnis in officio contineatur familia. Optime hoc intellexit Cato maior. Rogatus enim quid in re familiari administranda esset omnium primum: *bene pascere*, inquit: quid secundum, *satis bene pascere*: quid tertium, *bene vestire*: quid quartum, *arare*. Interrogans autem bellus iste quęstionarius, quid censeret de vsuris; noua interrogatione ipsi satisfecit, Quid *hominem, inquit, occidere?* ostendere volens vsuram & homicidium paris esse sceleris. Sed ad propositum nostrum, bene pascere igitur, & bene vestire suos, cardines sunt bonæ œconomiæ iuxta prudentis illius dictum. Alius quidam, nec forte minus recte, inquit mancipia, nec adamantinis quidem fortius ligari catenis, ne diffugiant, ab opere, & à dominis, quam si naso ad mensam bene instructam alligentur. Bonæ culinæ inquit vincula, & nidor mensæ, dulcia & grata famulis vincula sunt, ac talia quidem, vt quo magis laxes, fortius stringant. Audiamus si placet ipsa boni

*Cic. lib. 2.*

istius Consiliarij verba. Plautus in Menæchmis Act. 1. Scen. 1.

*Quem tu asseruare recte, ne aufugiat, voles,*
*Esca atq; potione vinciri debet.*
*Apud mensam plenam hominis rostrum deligas.*
*Dum tu illi, quod edat, & quod potet, præbeas,*
*Arbitratu suo affatim quotidie,*
*Nunquam Ædepol fugiet, tametsi capital fecerit,*
*Facile asseruabis dum illo vinclo vincies:*
*Ita est, hæc nimis lenta vincla sunt escaria;*
*Quam magis extendas, tanto adstringunt arctius.*
*Non claudes os boui trituranti.*

Serui, seruæ, milites, parasiti, ancillæ, vxores, filij, religiosi, hæresciunt fortius, quam ex rupe Prometheus, & compediti in nauibus remiges: nec deserunt tectum, agrum, seruitia, officium boni pastus obstricti vinculis. Italiæ Bubali iniecto naribus tenentur æneo circulo, homines liberali sustentatione. Qui melius soluit, ac optime tractat milites, optime eos continet, ne seditiones, transfugia, ac defectiones moliãtur. Docuit eheu satis experientia in Belgio. Qui vxorem in necessitate destituit, ab eadem etiam se deseri videt, & nescio ex cuius etiam scurræ semper hærentem latere, largoque attractam victu, quasi validissimis catenis, nec latum vnguem ab eo discedere. *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam & linum meum, oleum meum, & potum meum.* Dicit Oseas de impudica muliere: quæ paulo post iterum dicti nostri monstrans fidem, eo se recipit vbi habebatur melius. *Vadam & reuertar ad virum meum priorem; quia bene mihi erat tunc, magis quam nunc.*

*Ose 2.*

*Iob.*

Monasteria bene constituta, quæ liberaliter suos sustentant religiosos non quidem æqualiter omnes, sed vnumquemque pro indigentia, vt olim in Apostolorum collegio, vbi dabatur *prout vnicuiq; opus erat*, paucos ex suis vident Apostatas. Qui vero hæc præposterè negligunt, nimis certe multos: vbi *vnus esurit, alius ebrius est*, vbi alij tanquam domini splendent in

vestibus

vestibus, alij tanquam attonsi mendici, laceri, omni panno, omni colore obtecti. Quid mirum si tali loco teneri nō possunt particulares, cum sine istis vinculis, nec exercitus, nec populi integri teneantur? nec vlla ratione citius, quam istorum neglectu dilabātur. Populus Israel exercitus sexies centum mille hominum, exceptis, fœminis, pueris, senibus, qui tantopere libertatem suam desideraverant, in deserto desertum se videns à panibus, à semita, ac recordatus ollarum Ægypti, pernas, pepones, allium, quibus ventrem aliquando infarserant; reuerti voluerunt in Ægyptum. *Tantummodo oculus Iacob in terram frumenti, vini, & olei.* Integri etiam exercitus, cincti ac clausi, fame suam vendunt libertatem; ac miraris si fugitiuum mancipium, libens illuc redeat, vbi bene pascebatur, nisi in meliorem culinam inciderit. Bestiis alioquin minus sapiet. Asini ipsi copiosa non deserent præsepia: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui.* Deut. 33. Isaiæ.

*Apes*, inquit Plinius, *inopia cibi desperant, moriuntur, aut effugiunt.* Plin. lib. 11. cap. 16.

*Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam.* Ouid. lib. 1. Trist.

Externos canes panis particula quo placet allicies, sequitur ouicula virentes ramusculos, bestię, serui, ancillæ, æqualiter de omnibus dixeris, *prædam sequitur turba ista non hominem*: semper frequens erit seruitiis familia, in qua mercenarij *abundant panibus*, & vbi domestici *vestiti sunt duplicibus*. Contra vero videbimus cito solitudinem in ædibus, vbi quisque seruulus cum nostro dicit Prodigo, *ego autem hic fame pereo*. Et hoc esse opinor quod populos in Regum fide contineat; cōtra vero guttur occludere, panem de manibus nimiis exactionibus extorquere, miseros ad paleas fouti equos, aut ad terram vt famelicos lupos, aut ad siliquas, vt hūc nostrum Prodigum redigere, Regiam opinor ad tumultus & seditiones esse viam. Et hoc secundum. Seneca.

* 3 A *iustitia* non minus: illud *panibus*; diuersitas panum, domini, domesticorum, canum, siligineus,

hordeaceus, aliique prænominati, indicant quod omnes simul & singuli panibus abundarint: non tamen omnes eodem pane vixerint. Oeconomia enim ibi adeo recte fuit instituta, vt quilibet suos haberet panes, aut atrum, aut album, iuxta officij sui dignitatem & gradus sui ordinem: nobiles & serui honorarij alio tractabuntur pane, alio cursores, equisones, subulci bubulci, alio culinarij, alio archimagiri, alio extremi alio forte etiam robustiores, & diligentiores. Quid ni? omnes interim abundabant. Bonum seruauit ordinem ac iustitiam. Cur enim opilio, famulis æquiparetur honorariis? cur compeditum mancipium, & damnatus catenatusque ad triremes, eodem cum Nauarcho tractetur bis cocto? *Capitalis oratio ad æquationem bonorum pertinens: qua pestè, qua potest esse maior?*

*Cice. lib. 2. Offic.*

Iustitia est dare cuique suum; iuxta dignitatem, iuxta meritum. *Similes*, vt est in prouerbio, *habent labra lactucas*. Iniquum est vt bellicus equus asini mandat carduos, vt cursor ac veredarius non plus accipiat auenæ quam equus stabularius, qui nusquam nisi aquatum educitur. Et vt adiiciam verbum quod nos concernit, quid concionator, cui caput studiis, & fauces clamore rumpuntur, vt in ampla vastaque Ecclesia ab omni audiatur populo, qui in cubiculo suo obrigescit in libris, ac rursum calore sudoreque diffluit qui nec cibum aut potum audet intempestiue attingere, ne spiritum ad studia grauet, stomachum ad verba; vt ille nihil amplius habeat quam frater aliquis laicus, cui caput nulla re alia occupatur nisi dicendis *Pater noster*? & ipsius ministeriis iniquum est. Aliud exigit iustitia, & ratio. Aliter fecerunt Apostoli, *dabatur prout vnicuiq; opus erat*, non æquale singulis, aliis plus, aliis minus, aliis hoc, aliis illud. S. Paulus Apostolus aliter egit, qui regulam hanc suo scripsit Timotheo. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere, propter stomachum & frequentes infirmitates tuas.*

Et versiculi istius communis: probo iustitiam, non mensuram & harmoniam.

D

*Da vinum docto, laico de flumine cocto.*

*Qui parce seminat parce & metet*, inquit Apostolus. Quid? hunc respectum inter bestias habemus, negligemus inter homines? Deus habet multas mansiones in sua domo, vt post hanc vitam diuersis meritis, diuersa rependat præmia; & homines inter labores horum & illorum non distinguent? Magna hæc foret iniustitia, & tamen sæpe admittitur, quod peius est. Et hoc tertium.

* 4 *Discretio* Deus bone quanta fuit? Abundant quidem, sed panibus solum. Quid? panem igitur solum manducabant? semper panem? Ergone herus iste tam parcus vt Hispani nonnulli, quorum superbia multos conducit famulos, auaritia vero eos male tractat? Vnde & Cleonardus in Epistolis suis Raphanophagous illos appellauit? Pistorne fuit, aut filius pistoris, qui suis nihil præter panes præstabat; vt quondam Augustus Cæsar suo Virgilio, & reliquis seruis, quibus nihil vnquam subministrabat præter panes dietim, duplicans numerum ac triplicans, secundum quod crescebant seruitia: vnde dicere ausus ipsi Augusto, se dubitare num ex pistorio esset genere, vt refert in vita ipsius Donatus. Semper panes? *Non in solo pane viuit homo* dicetis mihi. Non sufficit hoc homini, *aqua panis, vita canis.* Verisimile nihil illis præter panes datum: non enim tacuisset noster Prodigus, volens vndecunque suam exaggerare miseriam, si quid vltra accepissent.

*Tib. Cl. Donatus in vita P. Virgilij.*

Quod si pane solum vixerint, non mirum si abundauerint: ille enim tanquam modici pretij, dari potuit largiter, maxime cum illis pro integra esset refectione, nec ante, nec post, quicquam aliud acciperent, & parum etiam illis facile satis & nimium esset. Filij enim Israel ipsum, quod quotidie comedebant, manna fastidiebant; cum tamen & gratioris esset saporis, & angelorum cibus. *Panem Angelorum manducauit homo. Nihil nisi Man vident oculi nostri: nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo.*

Semper capones, semper capones, largi, crassique

dicunt ventres, eosque auersantur. Sed respondeo: Primo, per panem in scripturis victum & omnia ad vitam necessaria significari, vt cum à Deo panem petimus quotidianum. Secundo, per panem aliquando sobriam ac modestam significari refectionem, vt cum dicitur Christus apud Pharisæum buendam, sabbatho manducasse panem: nihil enim ibi significatur aliud, nisi sobrie, moderate, & quod naturæ sat erat pransum: cum nec ipse conuiua esset qui sumeret, nec alter hospes qui daret nimium.

Tertio, per panem intelligi aliquando non ista quę absolute ad vitam seruandam homini sunt necessaria, sed ea etiam quæ requiruntur ad cuiusque statum: vt quando Reges, & mendicantes, pari passu à Deo *panem nostrum quotidianum* oramus: Si enim tum simpliciter necessaria postulamus, vt foueamus vitam, nihil rex amplius petet quam mendicus: quia similiter homo est, & naturæ ipsius ea quæ mendicati aut Cordigero sufficiunt; & mendicus paria regibus petet. Sed qui putet Regem, panem quotidianum orantem, alia postulare, quænam illa sunt? Ipse statui suo postulat necessaria. Rex regia, tanquam persona publica, & pluribus quam mendicantes, aut Cordigeri indigens, quæ ad magnificentiam spectant, quæ ad bellum, quę ad pacem regni, &c. Prodigus igitur verbo, *panibus*, iuxta secundam & tertiam interpretationem, dicere voluit mercenarios omnes apud patrem suum abunde liberaliterque haberi, iuxta status sui indigentiam: qualia scilicet mercenariis ac mechanicis debentur; victus qualitate, mercenariorum qualitati contemperata. Habuerunt abunde, non tamen nimium delicate, Videte discretionem, ex temperantia & sobrietate. Ne videretur nimium tenax & parcus esse, dedit cuique conuenientem victum, ac abundantem: abundat quidem, sed panibus tantùm, non cupediis; quæ necessitas, non quæ voluptas peteret. Idem etiam pater & Dominus formam dat, quomodo ministri liberaliter, non delicioſe habendi sint, nisi eos rebelles & recalcitrantes sentire velimus. Item naturam hominis

paucis

paucis esse contentam, victuque parabili, si seruiatur necessitati, non voluptati cui nihil satis est.

D. Bernard.

*Quærit vt expoliet, venatibus, alite, pisce,*
*Gustus humum: gustus aera: gustus aquas.*

Sed in eo consistit discretio.

Ecclesiast. 33.] *Cibaria & virga*, & onus asino, panis, & disciplina, & opus seruo.

Prouerb. 29.] *Qui delicate à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.*

*Iucrassatus est dilectus meus & recalcitrauit.*

Bonus cibus seruis, sed ille crassius. *Abundant, sed panibus.* Non pauit suos pater iste nisi familiari & domestico cibo; nullibi defuturo: docens quantillum natura exigat, quam exigui pretij, gulæ nihil esse nimium. *Lucanus.*

*Exquisitorum terra pelagoq; ciborum ambitiosa (gula tit paruo cultu natura contenta.*

Adferatur tantum fames, quam acuit sobrietas, labor, occupatio, quilibet cibus, quilibet potus, rudibus illis & crassis hominibus facile erit lautus, imo & sapidior exquisitis epulis, sine sobrietate, sine præuio labore. Darius Rex fugiens inimicos, post suorum stragem, vehementer lassus, nihil nisi obuiam biberat aquam, eamque forte turbidam & fœtidam, dicebat tamen nihil se vnquam bibisse gratius. Vnde hoc? quia nimirum aridus ac sitibundus biberat, qui antea sitire non consueuerat. Ptolomeus Rex per Ægyptum iter faciens, cum forte aberrasset à suis, ac in humili tugurio apud pauperem quendam, nescio quem atrum accibarium panem pransitasset, idem plane iudicabat. Idem & magnus Rex Franciscus primus, forte à suis dilapsus, & in casula quadam pauperis villici panis aprugno dicere potuit: Famem aut expectare oportet, aut quærere, vt cibus sapiat. Docuit id Socrates: qui rogatus quid ita ad sudorem vsque obambularet, respondit vt prandium condiret, cœnaretque melius. Et Alexander qui à Regina (ni fallor) Cariæ, aut saltem à Principe aliqua fœmina versatissimis do-

natus archimagiris, eos remisit, dicens sibi ist hoc hominum genere nihil esse opus, se cibum & potum, cum iucunde prandere vellet, condire cursu, sudore, ac venationis laboribus. Idem & cocus perbelle Dionisio Tyranno suggessit: cum enim Tyrannus in conuiuio iusculum quoddam, tanquam insipidum minus conditum arguisset, quod tamen Lacedæmoniis, qui simul aderant, perplacuerat: respondit culinæ præfectus, nihil id sibi videri mirum, deesse enim pulpamento suum condimentum. Quodnam inquit Tyrannus? *Labor* ait *in venatu, sudor, cursus ab Eurota, fames, sitis, his enim rebus Lacedæmoniorum epula condiuntur.*

Nonne videmus omnia omnino, & ipsas quidem bestias, ad victum nihil nisi communia & obuiam petere, eisque nõ vltra necessitatem vti. Quid? Persæ qui lauti delicatiq; habentur, nihil pani addunt, nisi quod ex hortis suis decerpserint, inquit Xenophon.

Nostri etiam horti, frugiferæque arbores, habent vnde panem obsonemus, si viuamus ad necessitatem; non torquenda erunt maria, non flumina, vt pisces reddant; non aer vt aues, non syluæ vt feras. Equidem sanctiores, saniores, sapientiores qui iis victitant, quam gastrimergi, ac vtres vinarij, vino ac omnibus deliciis oppleti. Conferte mihi crassos illos obesosque, cum macrioribus & videbitis eos qui voluptates quærunt, noctu diuque, nunquam eas inuenire; qui non quærunt eisdem frui. Sobriis mensa grata est; propter esuriem; gratus lectus, propter dulcem quem capiunt somnum. sine cruditatibus, sine indigestione; incumbunt læti, læti surgunt, alacres spiritu, valentes corpore: comessatores, quibus palatum adeo eruditum, nec mensa fruuntur iucunda propter nauseam, non strato propter vigiliam, distento scilicet ventre, grauati crapula; surgere non possunt grauato corpore, grauato corde, non minus quam si tota nocte plumbo turgerent infuso. Hoc Timotheus dicere voluit, vir princeps Athenis: qui iucunde apud Platonem cœnatus, postridie ipsi occurrens, ait, Conuiuia vestra

restra non tantum cum sumuntur, sed & postridie grata sunt; cum animus officio suo fungi non possit pridie corpore cibo vinoque infarto. *Pinguis venter, non gignit sensum tenuem.*

O sapientem, ac vere sapientem Prodigi nostri patrem! qui famulos suos panibus alebat familiariter, ne eos experiretur refractarios, ne commodus ipsis vnquam victus deesset, vt eos bene contineret, vt eos semper haberet sapiētes, sanctos, sanos, illæsos à morbis. Vtamur eadem frugalitate & discretione etiam nos, erga domesticos si eos habeamus, si non erga domesticum nostrum præcipuum, & animę seruum corpus dico; & habebimus illud semper subditum, sanctum, probum, sanum, & bene dispositum. Corpora ista sobria & sana, animas mille fecerunt sanctas, & modo corpora sancta eleuata sunt & coluntur religiose.

CON-

# CONCIO DVODECIMA.

*Græca.* 7. Εἶπε πόσοι μίσθιοι τοῦ πατρός μου περισσεύονται ἄρτων, ἐγὼ δὲ λιμῷ ἀπόλλυμαι.

*Vulgata.* 7. *Dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.*

*Syriaca.* 7. *Ait, quot nunc, sunt nunc mercenarij in domo Patris mei qui abundant pane, ego vero hic fame pereo.*

## ARGVMENTVM.

*Dicemus hodie*
1. *Textus noster continet sex genera hominum diuersæ conditionis, & quæ inter eos conuenientia, & differentia.*
2. *Qui homines moraliter significentur.*

AVE.

### I.

*Textus noster continet sex genera hominum diuersæ conditionis, & quæ inter eos differentia, & conuenientia.*

QVi recto iudicio hoc in negotio versatur, videbit statim in Prodigi nostri parabola sex hominum genera tangi, diuersę plane conditionis. Primo enim de Patre quodam agitur. *Homo quidam duos habuit filios.* Dein de duobus filiis. *habuit duos filios.* Tertio de eius mercenariis, *quanti mercenarij in domo patris.* Quarto de seruis, *ait pater ad seruos.* Quinto de ciue Prodigi domino, *adhæsit vni ciuium regionis illius & misit eum in villam suam vt pasceret porcos.* Sexto de meretricibus, *postquam filius tuus hic quid deuorauit substantiam suam cum meretricibus venit, &c.*

Videamus igitur quis pater dicatur, quis filius, quis seruus, qui mercenarij, & sic de cæteris, ordinemque hunc sequemur, tam propter narrationis contextum, quam

quam vt singula singulis, quantum res ferent, componamus. Quantum ad patrem igitur: patres illos appellamus (vt notum) qui filios habent: sed vt diuersimode habentur filij, ita & varij sunt patres. Communiter patres appellantur qui filios procrearunt, vel in vel extra matrimonium, & illi proprie patres. Varro *patrẽ à parte faciendo semine vult dictum.* Sic & prima Trinitatis persona proprie Pater dicitur, quia ab æterno, ex sua substantia Secundam genuit, quem Filium appellamus. Sic & nos patres appellamus, qui nos genuerunt. Secundo pater etiam satis proprie dicitur, qui rem aliquam ex nihilo creauit, aut ex alio transformauit in melius. Sic Deus Pater noster dicitur, quod creauerit nos ex nihilo, vnde etiam apud Paganos perpetuum Deorum Epitheton est pater: *Pater proprie omnium Deorum est Epitheton* dicit Seruius. Inde & nos, à Christo instituti, dicimus: *Pater noster qui es in cælis.* Et Moses ratione creationis Deum dicit pro patre habendum, *nunquid non ipse est pater tuus qui creauit te?*

*Varro lib. 4. de ling. Latina.*

Et nos librorum à nobis compositorum patres, ac illos partus nostros appellamus, *libri quasi liberi:* quia à nobis facti, & ficti; & libri nostri quasi fratres inter se dici possunt, tanquam ex eodem cerebro nati, vt Minerua ex Ioue. Videte cur homo omnium pene seculorum ingeniosissimus, ita de se ac libris suis loquatur. *sc.)*

*Adspicies illic posítos ex ordine fratres (libros meos*
*Quos studium cunctos euigilauit idem.*
*Deq; tribus moneo, si qua est tibi cura parentis,*
*mei Authoris tui.*
*Ne quemquam (quamuis ipse docebit) ames.*

Ouid. lib. 1. Trist. Eleg. 1. ex altera parte.

*Sic ego non meritos, mecum peritura, libellos,*
*Imposui rapidis viscera nostra rogis.*

Idem 1. Trist. Et,

*Orba parente suo quicumq; volumina cernis.*

Pater etiam dicitur, qui ex sacerdote Episcopus, ex eius Senator factus est.

Pater

Pater etiam (aut saltem pro patre habetur) cui legitima vxor filios tribuit, etsi reuera eos non genuerit, iuxta regulam iuris *Pater est quem nuptiæ designant.* Si enim eos tantum dicamus patres qui nos genuerunt, semper incerti erimus quem patrem appellare debeamus: nam iuxta Homerum, Nemo de patre certus est, ne ipse quidem Augustus Imperator.

*Homer.* Odyss. li. 1.

*Illo me genitum dixit pia mater, at ipse,*
*Nescio. Nam proprium certus scit nemo parentem*

*Manet etiam hodie vulgi iocus, quo dicitur, sapientem esse filium, qui patrem suum norit, vt Erasmus refert in explicatione adagij; matris vt capra dicitur.* Imo & sapiens nonnunquam qui nouerit matrem, cum & inueniantur suppositi. Lex igitur præcipit, vt filius matris suæ maritum patrem appellet, cui scilicet à matre traditus: & hoc tam in patris quam in matris gratiam. Non enim pater habendus est facile impotens, aut vxoris adulterio consentiens; nec mater temere suspecta adulterij, aut suppositi partus. Pater etiam appellatur, qui filium alterius adoptauit, habetque pro suo & successore & hærede, &c. Sic Ioseph Domini nostri dictus est pater, ac B. Virgo confidenter eo nomine ipsum nominauit, *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.*

Pater etiam, qui etsi vitam non dederit, seruauit tamen vel consilio, vel armis, vel medicinis, vel lingua, vel calamo, vel morte sua. Sic Codrus Athenien*sium*, Camillus Romanorum, Christus Iesus Christianorum pater est. Pater etiam qui me paterne vt filium gubernat, æquum bonorum partem tribuit, tãquam hæreditatem filio. Sic olim Romulus patres appellauit Senatores, quibus nascentis Romæ curam mandauit, non tantum quia ætate prouecti, sed præcipue quia aduigilare & curare debebant Rempublicam, vt filios pater: vnde postea semper illis hoc nomen mansit, vt nimirùm officij & clementiæ reminiscerentur.

Seneca lib. 1. de Clementia.] *Videatur vbi latius expli*

*plicat, cur Principem patrem patriæ appellemus.*

Pater etiam est, qui nobis principia doctrinæ tradit, siue bonæ siue malæ. Sic S. Paulus auditores suos pedagogos multos habere posse dicit, *nõ multos patres; nam in Christo per Euangelium vos genui.* Secũdum hoc necnos, nec alij, iuste Patrũ nomen habere possumus: (dicõ in partibus vbi Christianam religionem multo antenos videmus receptam) optime tamen eo gaudemus nomine, si Euangelium, vbi Christus auditus non est, primi plantemus, aut vbi iam diu plane extinctum est, resuscitemus. Ecce varij generis patres. Hic tamen nostri Prodigi pater non singulis hisce nominibus pater appellatur, sed solum quod genuisset, ac bene instituisset filium, & quod eum paterne amaret, seruaretque vitam, recipiens in gratiam, cum moreretur fame. *Ego autem hic fame pereo.* Descendamus ad filios: Filios appellamus proprie, qui patrem aliquem agnoscunt, ac essendi principium; horum totidem genera inueniuntur, quot patrum. Nam, iuxta philosophos, *in modis dicitur vnum relatorum, quot modis & alterũ.*

Herus seu *Dominus* est, qui seruos habet, & res proprias, de quibus iuxta leges potest libere disponere. Quilibet Rex & Dominus est in ædibus suis, dicebat villicus Regem tractans ignotum. Antiquitus nomen hoc admodum fuit odiosum, quia summum significat, eumque qui absolutam in alium habet potestatem: vnde etiam quidam modestiores gentilium Imperatores nomine illo abstinuerunt.

*Seruus est*, qui vi subactus, Domino obedit. *Seruus est Domini seruus.*

Seruus mancipium est, captus seruatusque in bello. *Mancipium*, aut qui mancipio natus, aut ex seruo bello capto, aut qui nimia paupertate in seruitutem venditus, aut qui iuris via propter scelera triremibus mãcipatus, præfecto traditur pro tenui seruiturus victu, ac veste: quales sunt qui modo damnantur ad triremes, donec *manumittantur* ac restituantur libertati, vel benignitate dominorum, vel iuris moderatione, vel bello reasserti, ac à fortiore abducti, aut venditi,

& præ-

& præsenti pecunia recuperati, aut permutatione captiuorum dimissi, vel aliter, homines adeo miseri, vt non secus ac bestias laboribus & oneribus Domini eos grauarent, habentes in ipsos *ius vitæ & necis*: occidendi ad arbitrium, vendendi, donandi, elocandi, mutuandi, prout videbatur: numellis, stigmatibus vexandi, trahendi ad furcam, vnde & *furciferi*, imo & agendi in crucem, si essent commeriti. Miserrimi homines. Tales multi ex Christianis fratribus nostris hodie inter Turcas, ac (iuxta prognosticationem meã, quam feci, fundatam super influentias nostrarum discordiarum, & cruentissima Christianorum bella) ex posteris nostris etiam fient breui plures. Interim heu nos incurij, nec pedem pene mouemus, vt illuc transferamus bella, tam vt ipsi recuperẽtur, quam vt Christianissimi, quod supereſt modicum, secure ac in tuto agat. Ah nos crudeles, in fratres nostros! Ah, quod modo præsens non sum vbi omnium horum malorum authores agunt, vbi aliquando detonare spero, quæ multo tempore concepi! O quod animum meum nõ habeant, meosque hac de re conceptus, qui me alioquin prudentia & eruditione aliis in rebus superant, ac in locis tali orationi accommodis concionantur, vt libere debuccinẽt, quod rei necessitas exigit, si charitatem sanam saluamque velimus in Deum, in Ecclesiam, in fratres nostros Christianos, in nos ipsos, in Rempublicam, in vitam, in bona, & libertatem nostram. *Mementote, mementote vinctorum, tanquam simul vincti.* Sed transeamus: non enim hic proprius planctui meo est locus. Serui autem ac mancipia hęc; vt plurimum male audiebant, à fraudibus, à perfidia in heros, quod filios fere magis quam parentes amarent, duri ad imperia, seruientes ad oculum, & nihil prope agentes boni, nisi perpetuo incursarentur fustibus: non magis quam asini cessante flagro. Vnde & dicta *seruilia ingenia, timor seruilis.*

*Vide nostrũ Oratorem terræ sanctæ ad Paulum V. editum Coloniæ.*

*Hebr. 13.*

*Mercenarij*, operarij sunt qui non tam artes suas quam laborem locant, pretio ac mercede seruiunt, tantum obligati, quantum soluitur: ex diametro iis oppo-

oppositi, quos Latini *volones* aut *voluntarios appellant*. Qui quicquid agunt, gratis agunt, sine præmij spe. Sic & mercenarij dicuntur pastores, quorum oues non sunt propriæ, sed pretio eas pascunt, & custodiũt: sic etiam mercenarij sunt stipendiarij milites, qui non diutius arma gestant, quam stipendia soluuntur. Nihil æris, nihil seruitij, aiunt communiter: ac de talibus loquitur hic noster Prodigus, *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus*. Veniamus tandem ad extimam, & miserrimam omnium sub Sole conditionem; vtpote infamem, flagitiosam, idque voluntarie. Non enim ex communi seruorum genere sunt, inter quos nonnunquam bonos inuenias Reges, bonos Philosophos, vt Platonem, Diogenem, Epictetum: meretrices dico. Videamus aliquantisper quale hominum genus Prodigi frater designarit, dicens fratrem suum omnia decoxisse cum *meretricibus*. Dicere voluit puellas, aut prostituti pudoris fœminas, quæ Italico nomine Cortisanæ dicuntur, non honestiores istæ (si tamen vlla honestas in vllo scorto) quæ non nisi vni & alteri secreto sui copiam faciunt, non lucri spe, sed incontinentia (inter quas numerari potuit Magdalena) sed istæ quæ vt canes promiscue omnes admittunt, & corpore quæstum faciũt, non tam amatorum amore, quam auaritia & lucri cupiditate, quæ publice & sine verecundia adeo improbam sequi audent militiam. Nam *meretrix à merendo dicta, quod mercede suam exerceat militiam*. Quo respexit ille, qui meretricem parata pecunia ait ad omnia esse paratam:

*Stat meretrix certo cuiuis mercabilis ære,*
*Et miseras, iusso corpore, quærit opes.* *Plaut. prou. Græca fide.*

Quamprimum autem nummi, stipendia subtrahuntur; statim vt milites seditionem mouent, & recusant seruitium. *Grata mercantur fide si præsente pecunia*. Nonnullæ enim corpus exponunt compulsæ inuincibili pene paupertate, (*quas excuso de tanto non de toto*) nonnullæ paupertate voluntaria, ac facile superabili, nisi ipsæ vestium ac ciborum luxuria perderent

*Plaut. in Truc.*

omnia. *Meretricem ego item esse reor mare vt est, quod res deuorat; nec vnquam abundat.* Nonnullæ vt diuitias congerant sicut Flora illa, quæ Romanos instituit hæredes. Hæc scorta illa fuerunt meritoria, quæ Prodigum nostrum depauperarunt. Videte omnes hos diuersos status, quorum in contextu dixi fieri mentionem. Qui quamuis inter se, vt audistis, plurimum differant; sibi mutuo tamen correspondẽt. Sicut Herus ac Dominus, conuenit aliquo modo cum patre, nimirum in imperio. Pater filiis imperat, Dominus subditis & seruis: sed pater cum suauitate. Dominus cum rigore: ibi amor est, hic timor. Filij, serui, mercenarij, meretrices etiam aliquo modo conueniunt: nam omnes in obedientia viuunt, filij enim amore obediunt, serui terrore, ac metu pœnæ, mercenarij argento, meretrices voluptate, aut pretio. Et scorta mercenariorum nomen tam habere possunt quam meretricum: nam & illi, & hæ, nihil nisi mercede faciũt. Sic omnes hi status ad duos reduci possunt, Patris scilicet & Domini, ad imperantem; status filiorum, seruorum, mercenariorum, meretricum, ad famulantem. Primis duobus mandare competit, reliquis obsequi. Sed nihil iam vltra de imperantibus dicemus (heri enim satis copiose de istis locuti sumus, vt & alias, & forte postea habebimus occasionem loquendi de patre.) Quantum ad meretrices, quæ sunt in ordine seruientium, illas ad propriam ablegabimus regionem, ad finem nostri textus, tanquam ad angulum ciuitatis, ibi, *dissipauit substantiam suam cum meretricibus*, & hac hora nihil nisi de filiis, mercenariis, & seruis, quid significent explicabimus, ac speciatim ostendemus, quibus ille Prodigi planctus conueniat: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus*, si tamen tempus vel hoc permiserit.

II.

*Qui homines ibi moraliter significentur.*

CVm textus totus parabolicus & allegoricus sit, æquum est parabolæ inuolucra, cum rem foris satis

satis considerauerimus tandem detegere, idque accurate, vt qui sub tegumentis hisce latēt, appareant. Aduertite, incipio detrahere personas. Tres ita personati, tres status sunt, aut potius tria genera ac ordines sub quorum aliquo omnes constituti instigamur, deducimur, allicimur, ad seruitutem & obedientiam mandatorum Dei, inter quos assumpti non deflectimus, nisi forte de bono in melius, sunt enim quasi tres gradus domesticorum Dei, quorū alij boni sunt & tolerabiles, alij meliores, alij optimi. Incipientium, proficientium, perfectorum. Quorum singuli suo intendunt instituto, ob motiua diuersa, & alium atque alium instinctum, ob diuersas quasi considerationes. Incipientes, qui vt tales tolerabiles sunt, adiungunt se huc per timorem (dicemus postea de quo timorem habeant.) Proficientes, meliores primis, huc se conferunt desiderio & spe retributionis (dicemus postea cuius.) Perfecti & optimi, (quales scilicet hæc via admittit) huc se cōferunt puro Patris ac creatoris sui amore. Primi laruam gestāt seruorū, secundi mercenariorum, tertij filiorum, id est, alij per hos, alij per illos repræsentantur. Sicut in vna familia sub eodem patre, ac eisdem tectis filij inueniuntur, mercenarij, & serui: sic in Dei Ecclesia incipientes, per timorem, proficiētes per mercedis spem, perfecti, per sincerum Dei amorem.

Theophilact. hîc.] *Tres sunt ordines eorum qui saluantur.*

D. Gregor. Theolog. orat. in S. Bapt.] *Eorum qui salutem assequuntur, Tripartitus ordo est, seruorum videlicet, mercenariorum, & filiorum.*

Dio. Carthusianus.] *Hic in bonum accipiuntur mercenarij.*

Sed quæ horum ratio inquiet aliquis, quæ sympathia, quæ conuenientia horum inter se. Magna dilectissimi & multa. Primo. Quod sicut tam filij quam mercenarij ac serui, omnes in eodem versantur negotio, in opere scilicet patrisfamilias. Sic & perfecti, & proficientes, & incipientes, omnes contendunt ad bo-

nam vitam; quod opus maximum est omnium eorum
*Eccle.12.* quæ Deus à nobis exigit. *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo. Hebræa quia hoc (sub. spectat) ad omnem hominem, & in hoc consistit omnium hominum perfectio.* Vel iuxta versionem Castalionis, *hoc est omnium hominum.* Quid si reddas, *hic est omnis homo, nam factus est homo vt Deum cognosceret, cognoscẽdo amaret,* dicit S. Augustinus. Ad hoc tam filius tenetur, quam seruus, nihil differt filius à seruo. Secundo quia singuli suum habent particulare obiectum, & proprium finem, qui eos ad bene agendum trahat. Seruus timorem & verbera, mercenarius mercedem, filius patrem & amorem. Tertio quod in singulis hisce statibus boni inueniantur & mali, qui in fine à suis reprobantur Dominis, & à Deo damnantur. Filios bonos & malos, bonos Iacobos, malos Esau; Absolones promptos manu, Salomones pacificos: bonos Saules, bonos Iudas, bonos dico pro tempore secundum iustitiam præsentem; malos Saules, nequam Iudas, sceleratos ac reprobatos, secundum iniustitiam finalem. Bonos seruos, & malos; boni vt is qui talenta multiplicabat. *Serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam;* Mali, vt is qui talentum defodiebat, vt is qui obtenta à Rege decem millium talentorum cõdonatione propter vnum verbulum, *peccaui,* centum denarios remittere noluit conseruo: sed obtorto eum rapiens collo, coniecit in carcerem donec
*Matth.18.* nec solueret nouissimum quadrantem. *Serue nequam,* aiebat Rex, cum hominis didicisset insolentiam. Sic mali neophyti ac nouitij in Christianismo, & religione. Sic boni mercenarij, & mali: boni qui fideliter operantur, & mercede sua digni sunt, non *ad oculum seruientes,* seduli dum adest, pigri dum abest. Nihil heros suo suffurantur, sed mercede optime contenti viuunt; non sollicitant Herarum ac filiarum pudicitiã, qualis fuit Ioseph, Putipharo, vel Iacob auunculo suo
*Ioan.10.* Laban. Nequam *seruiunt tantum ad oculum,* deserunt oues lupo veniente; *Mercenarius, & qui non est pastor, videt lupum venientem & fugit, &c.* Qui Dominarum suarum

suarum castitati insidiantur, vt olim Gyges pastor Regis Lydię, qui incantatorio adiutus annulo, Reginam violauit, ac tandem ea indulgente Herum suum Regem occidit. Proficientium etiam in Ecclesia Dei, alij bonę, alij malæ notæ sunt. Malæ (*inquit S. Bonauentura*) qui Deo principaliter seruiunt, amore & spe temporalium. Prælati, & illi qui officia arripiunt, præcipue ad reditus, quæstumque intenti, vel ad honores & magnificentiam, vel ad commoda, non ad animæ suæ & ouium salutem; lanam non agnos amant, lac non vaccam, pullum propter oua, vineam propter vina, & musta; populum ob prædam. *Vbi populus ibi præda, prædam sequitur turba ista, non hominem*: Non sede pro Ecclesia & Dei timore surgerent, non manum ad benedictionem & signum crucis leuarent, nisi pro Domina de S. Cruce (vt vulgo nostro vitio dicunt) *manus, linguæ, cantus, aquæ, cruces, claues quorūdam, nimis (proh dolor) mercenariæ*. Malæ notæ etiam sunt, qui verbum Dei ad lucrum tractant, & *quæstum existimant pietatem*, vt inquit Apostolus: docētes quidem eadem quæ Apostolus, alia tamen plane intentione.

*Cic. lib. 3. Offic.* *D. Bonau. in 3. dist. 27. art. 2. quæst. 2.*

D. Augustin. lib. 2. Euang. quæst. ] *Sunt ij qui annuntiant Euangelium non caste, existimantes quæstum esse pietatem, vt dicitur Philip. 2. Idem quod Apostolus, sed alio animo annuntiantes.*

Contra quos dicit Dominus apud Malachiam: *Quis in vobis est, qui claudat ostia mea, & incendat altare meum gratuito? Et apud Micheam: Principes eius in muneribus iudicabant: & Sacerdotes eius in mercede docebant; & Prophetæ eius in pecunia diuinabant.*

*Malach. 1.* *Michææ 3.*

Item illi, qui seipsos prædicant, vt suspiciantur, monstrentur digitis, honorētur, vt vanus Demosthenes cui iucundissima erat mulierc ularum vox, quæ lotum & aquatum ibant, dicentes inter se: *hic est ille Demosthenes*. Sic & multi Philosophi, qui omnia agebant & dicebant ad gloriam, quos iure Diogenes *animalia gloriæ* appellabat. Viuentes ex gloria, sicut Chameleon ex aura.

*Cic. Tusc.*

*Id quoq; quod ventis animal nutritur & aura.* *Ouid. lib. 51.*

Nec cogitant illud Dauidis, *quoniam gloria virtutis eorum tu es Domine.*

Item illi qui ieiunant, orant, eleemosynas aliaque bona opera faciunt, vel solum aut præcipue vt laudentur ac videantur ab hominibus: quales olim Pharisæi adeo vt extra conspectum non cessarent tantum à bono, sed & contraria amplexarentur vitia.

Seneca Ep. 114.] *Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriæ*; ideo suis dicebat Christus:

Matth. 6.] *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: Cum ieiunatis nolite sicut hypocritæ, fieri tristes: exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.*

Matthæi 7.] *Cum facis eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua.*

Ibid.] *Cum oraris, non eritis sicut hypocritæ qui amãt in Synagogis, & in angulis platearum orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Sed cum orare volueris, intra in cubiculum, & claude ostium, & ora patrem in abscondito, & pater noster qui videt in abscondito exaudiet vos. Oratores igitur illi & precatores publicani, ad gloriam mundi, vere mercenarij sunt, quærentes pro mercede existimationem hominum.

Religiosus autem, qui non intrat religionem nisi propter monasterij commoda, Canonicus qui nunquam in choro est, nisi quando sunt distributiones, nonne etiam reuera mercenarij sunt, sed malæ notæ? Ac illi qui sua largiuntur pauperibus (vt faciebant olim Romani prensitationibus, & ambitu; suffragia ad consulatum aut magistratum mercantes à populo) vt ad pinguiorem & sublimiorem gradum ascendant, quæsita tali liberalitate falsa opinione, quod plura darent si facultates ferrent, facta iam spe fidelis dispensationis patrimonij crucifixi, ac erogationis sacræ pecuniæ, ouum pro boue. Bonine mercenarij sunt qui seruiunt, ac humiliant se, vt regnent? & incuruant se vt surgãt, nõ dediti virtutibus ex amore Dei, ex pulchritudine

tudine virtutis, non ob conſcientiæ quæ inde conſequetur munditiem & tranquillitatem.

*Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces.* *Sil. Ital. lib.* 13.

Sed ſolum, aut principaliter vt venentur honores, aucupentur officia, bellis iſtis retibus ac decipulis: captavero præda complicant & deponunt retia: quaſi dicentes, *Sic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem & gloriam tuam.* Ideo nimirum apparui ſanctulus. Nunquamne audiſtis exemplum cuiuſdam, qui antequam ad magnum, quem venabatur, promotus eſſet gradum, menſas ſuas retibus operiebat loco mapparum elaboratarum, conſecutus vero quod quærebat, menſas exinde tenuiſſimo ſternebat filo, & mappis exquiſitiſſimis Rogatus quid ita mutaret, fera, inquit, capta eſt, non habent vltra vſum prima retia. Ac alio (forte fuerit idem) qui cum ante promotionem pane victitaſſet & aqua, dicens *aqua panis, vita carnis*: promotus mutauit menſam, reſponditque facetè admiranti quod auſteritatem in delicias verteret, ſubtracta tantum de priori ſymbolo vna littera: *Aqua panis, vita canis.* Et alio, quam diu inter exules & numero quaſi erat, contra omnium ordinum vitia, voce tonabat Herculis; promotus autem ad dignitatem, intermiſit clamorem, & leniuit plurimum ſermonum acrimoniam: mirãte quodam quod ita mutus, aut ſaltem tepidus lentuſque iam eſſet, torpidus plane in declamationibus; prophanata ſcriptura, reſpondit: *cum eſſem paruulus loquebar vt paruulus, cum autem factus ſum vir euacuaui quæ erant paruuli.* O fraudes doloſq; malorum mercenariorum! *Guiliel. Pepinus.*

Boni contra mercenarij ſunt, qui virtutis pulchritudinem ſectantur, qui pauperibus propter Deum, aut naturę communionem ſubueniunt; qui in choros & monaſteriis ſalutem quærunt; qui orant, ieiunant, ac bonum faciunt vt ſoli Deo ſe commendent, & proximum ædificent; qui Dei myſteria prædicant, vt gregem domini paſcant; qui dicere poſſunt cum S. Paulo: *Non quæro veſtra ſed vos.* & alibi. *Argentum & aurum, aut veſtem nullius concupiui ſicut ipſi ſcitis.* Et cum Rege *Act.* 20. *Geneſ.* 4.

Sodomorum, ad Abraham: *Da mihi animas; cetera tulle tibi.* Vt ego animas recuperem, hoc mihi satis, reliquam prædam ferant qui volunt, qui possunt. Et cum Samuele abdicante potestatem iudiciariam. *Loquimini de me coram Domino & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi, & contemnam illud hodie restituamque vobis.*

1. *Reg.* 12.

Ecce optimæ notæ mercenarios, qui pascuntoues, & sobrie lacte & lana eorum vtuntur: seruiunt altari, & de altari viuunt, sancte, & temperanter. Bonæ denique notæ illi sunt, qui primario non propter salaria, sed propter ipsum Deum, Deo seruiunt, quia sc. summe bonus, & amabilis est; secundario autem propter mercedem æternam, inquit S. Bonauentura.

*D. Bonau. in 3. dist. 27. art. 2. q. 2.*

Sed quos intelligemus per seruos. Qui Deo non seruiunt, nec à malo abstinẽt, nisi terrore Diuini iudicij, pœnarum temporalium aut æternarum, damni temporalis, vt confiscationis aut priuationis bonorum, tormentorum, fustium, virgarum, crucium, mortis, flammæ, & inferni.

Theophilactus hîc.] *Serui faciunt bonum, timentes iudicium; quod & Dauid insinuat, dicens: confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.*

Et quid per mercenarios ita affatim copioseque pastos? eos intelligimus qui desiderio ac spe retributionis boni sunt, ac Deo seruiunt.

D. Ambros. hîc.] *Mercenarij qui sunt, nisi qui ad mercedem seruiunt?*

Theophil.] *Mercenarij esse videntur qui desiderio bonorum bene placere Deo cupiunt.*

D. Gregor. lib. 8. moral. c. 6. & 7. & 12. mora. c. 2.] *Mercenarius in alienis quidem laboribus exsudat, sed tamen sibi proprium præmium præparat.*

*R. P. F. Hẽr. Harphius lib. de Theolog. mystica cap. 17.*

Sed bene notandum ex Henrico Harphio, nostri ordinis Theologo cum primis magno & contemplatiuo; tria esse quæ hominem faciant mercenarium Deo contemptum. Primo se suumque commodum in omni

in omni re quærere, vt gratiam aliquam craſſam, pinguem, ſenſibilem, deuotionem, gloriam, vel effugere ac declinare proprium damnum, & intereſſe, vt detrimenta temporalia, confuſiones, pœnas, læſiones, purgatoria, & ſimilia: inueniuntur enim nonnulli, quibus nihil graue, nec religionem aut pœnitentiam ſuſcipere duram, non omnia ferre aduerſa, vt æternam vitam habeant, aut æternas flammas euadant; qui tamen nec in gratia ſunt, nec Deum amant. Tale quid enim Platonis quidam diſcipulus præſtitit, qui cum magiſtrum multa de futura fœlicitate poſt hanc vitam diſputantem audiſſet, cupiditate accenſus ſe de alto præcipitauit, fregitque ceruicem vt illuc pertingeret; damnatus tamen fuit tam ipſe quam Plato, quia caruerunt fide.

Tales Iudæi, & hæretici, qui mortem libentes obeunt pro ſua perſuaſione, & vita æterna. Secundo. cum quis opera & exercitia ſua magni facit, ac in iis ſibi magis quam in Deo complacet, & quando cum hac confidentia magis quis in operibus ſuis ac virtutibus acquieſcit, quam in filiorum Dei libertate, quos dulciſſimus noſter ſeruator benigniſſime pretioſo ſuo ſanguine redemit.

Tertio. Quando quis Deo fideliter non ſeruiret, niſi ſperaret bonam remunerationem, aut ſi ſciret, nec infernum, nec purgatorium, nec iudicium futurum: quia nimirum talis magis iſta metuere videtur quam offenſam Dei. *Non peccatum ille timet, ſed infernum, non culpas, ſed pœnas.* Tales homines vere mercenarij, indigni ſunt qui vitam æternam & partem habeant in gloria Dei: non enim innoxij ſunt ſed timidi.

Pub. Mim. apud Senecam.] *Plerique metu peccare ceſſant, non innocentia. Profecto tales timidi, non innocentes, dicendi ſunt.*

Sed per filios quos intelligemus? qui Deo ex amore & ſincero affectu obediunt.

Theophilactus hîc.] *Filij ſunt, qui propter amorem in Deum, mandata perficiunt.*

D. Ambros. hîc.] *At vero filius qui habet S. Spiritus pignus in corde, secularis mercedis lucella non quærit, qui ius seruat hæredis.*

D. Gregor. Theol. orat. in S. Baptisma.] *Enimuero cum eorum qui salutem assequuntur, tripartitus ordo seruorum videlicet, mercenariorum & filiorum: tu compara, vt si seruus sis plagas extimescas: si mercenarius id vnum spectes, vt mercedem accipias; sin autem iis sublimiorem locum teneas, atque in filiorum ordine censearis, Deum vt patrem verere, bonorum operum studio incumbe quia bonum est patri morem gerere, etiamsi ex ea re nihil quæstus ad te rediturum sit, hoc ipsum merces est patri placere atque inseruire: quæ tria vtinam non contemnamus.*

*D. Bern. lib. de diligendo Deum.*

S. Bernardus mellita vt semper oratione, pulcherrime tria hęc subditorum Dei genera depingit, vt sequitur. Sunt qui Deum laudant quia potens est, sunt qui laudant quia bonus ipsis est; sunt etiam qui laudant, quia simpliciter & in se bonus est. Primi serui sunt, & pelli metuunt; Secundi mercenarij, & sua quærunt; Tertij filij, & honorant patrem. Qui timent igitur & sua quærunt, laborant quidem, sed pro se, studentque sibi. Sola charitas, quæ in filiis inuenitur, suum non quærit. Ita dulcissime S. Bernardus. Alter Deum non amat, alter amat; sed aliud etiam plus quã Deum. Seruus legi subditus, seruili spiritu, in timore; filius promulgata lege, in spiritus libertate, ac suauitate. *Seruus peccare non timet, sed ardere* (inquit bonus quidam pater.) *Timor Domini expellit peccatum*; (*tam futurum quam præteritum*) *hoc pœnitendo scilicet, illud obsistendo.*

Filius ardere non timet, sed offendere quietem patris. Mercenarius timet nihil lucrari, filius displicere patri, terribilius ac execrabilius omni inferno existimans voluntarie Omnipotentem offendere; maxime propter nugas, propter mũdi quisquilias. Seruus quasi sponsa impudica & scelerata, corde mechatur, nec tamen alium admittit quam maritum ne male multetur, ne vapulet, ne repudietur. *Licet omnia claudas,*

*Omnibus exclusis intus adulter eris.*

*Vt*

*Vt iam seruaris bene corpus adultera mens est.*

Mercenarius Laidi aut concubinæ similis est: quæ si non amet, amorem tamen præfert; id est, stultis paret Aristippi desideriis, vt drachmas mille emungat. Filius castæ Susannæ similis, aut glorioſæ Lucretiæ, aliisque matronis honestis; quæ corde ac corpore castitatem seruãt, tam absentes quam præsentes, ne Tricipitinos, vel maritos suos, quos toto mundo & vita magis diligunt contristent. Et quilibet horum trium diuerso sermone vtitur. Seruus dicit: *Cõfige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui: feci iudicium & iustitiam.* *Psal.* 116.

*Domine à timore tuo concepimus & parturiuimus spiritum salutis.* *Isaiæ.*

*Serui subditi estote, in omni timore Dominis.* 1. *Pet.* 2.

Mercenarius dicit. *Inclinaui cor meum ad iustificationes tuas faciendas in æternum, propter retributionem.* *Psal.* 118.

*In sancto apparui tibi vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.*

Filius alia plane voce vtitur. *Quomodo dilexi legem tuam Domine tota die meditatio mea est.* *Psal.* 118.

*Leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi.*

*Nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Quid enim mihi est in cælo & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.*

*Dilectus meus mihi, & ego illi.* *Cant.*

*Tu scis Domine, quia amo te.*

*Nullam mercedem nisi te Domine:* (aiebat Angelicus Doctor D. Thomas.)

Seruus incipit & catechumeno similis est, vel scolari, vel nouitio Christi. Mercenarius proficit, quasi iã baptizatus, ac professus religionem Christianã. Filius magisterium attingit, & professionẽ instituit docendi ac perficiendi etiam alios. Seruus naturam sequitur, mercenarius rationẽ, filius gratiam & adoptionẽ. Et quamuis tria hæc nomina & discrimina tres diuersos constituũt status, ac tres personas, nihil tamẽ obstat, quominus omnes tres in vno simul inueniantur, vt idem

idem diuerso respectu filius sit, seruus & mercenarius: filius propter creationem, seruus voluntarius autin-
uoluntarius propter seruitutem, (*Quoniam omnia ser-*
Iob.7. *uiunt tibi, fata volentem ducunt, nolentem trahunt.*)
Mercenarius propter militiam & stipendia. *Militia est vita hominis super terram.* Quamuis enim pia anim
pro mercede ex sua parte nihil faciat; nihilominus t
men præmium ipsi à Deo promittitur, monstratur,
exhibetur, & tandem recipitur: sed non mercenari
*Erit merces operi tuo:* &, *ego ero merces tua magnanimi*
Tres hi gradus in quolibet perfecto homine inesse debent. Timor scilicet seruorum, cupiditas mercenariorum, charitas filiorum. Timor dico, sed iam distillatus ac sublimatus in filialem, plenus reuerentia & deuotione, qui pœnam non habet: cupiditas sed purgata, beneque ordinata; quæ meliora bonis præferat, nec bona appetit nisi vt meliora consequatur, siue ad vsum ea concessa sint, siue ad fruitionem & gaudium. Beati Christiani qui fide dotati, & gratia, filij Dei sunt & nominantur, qui bona faciunt opera ex charitate, quæ fidem animat; fideliter Deo seruientes, spem habentes firmam vitæ æternæ, atque ita iuxta S. Gregorij sententiam, boni fiunt mercenarij.

D. Gregor. lib. 8. moral. c. 6. 7. & 12. moral. c. 2. *Omnes qui spe cœlestium præditi, exercitio vitæ præsentis atterimur, in alieno laboramus: sed tamen præmia nostra percipimus, & per hoc peruenimus ad propria, quod pure ministramus aliena. Et vt mercenarius solicite curat, ne vnquam dies vacuus ab opere labatur: & expectatus finis temporis, ne inanis veniat ad remunerationem: ita electi quando fidentius spe tendunt ad præmium, tãto nunc robustius perdurant ad laboris incrementum & cum grauia esse, quibus exercentur, pensant ex comparatione præmij quam sit leue quod patiuntur inueniunt.*

Deus meus & pater æterne, hanc mihi facias gratiam obsecro te per passionem durissimam dilectissimi filij tui, vt tandem inter filios tuos & perfectos annumerer, atque vt eo perueniam, da vt te timere inci-
piam, sicut seruus Herum ac Dominum meum. Sic
adhu

adhuc debite vt filius bonum patrem non reuereor, & bonus magis proficiam mercenarius, da vt semper ante oculos meos gloriæ tuæ corona volitet, quam strenue laborantibus promisisti, vt sedulo ac fortiter quæ mihi mandata sunt exequar, & per gratiam tuam præmia æterna consequar Amen.

# CONCIO XIII.

*Græca.* 7. Εἶπε πόσοι μίσθιοι τοῦ πατρός μου περισσεύονται ἄρτων, ἐγὼ δὲ λιμῷ ἀπόλλυμαι.

*Vulgata.* 7. *Dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.*

*Syriaca.* 7. *Ait, quot sunt nunc mercenarij in domo Patris mei qui abundant pane, ego vero hic fame pereo.*

## ARGVMENTVM.

Dicemus hodie
1. *Hominem non duci nisi præmiis, ac pœnis; ideo hæc duo semper esse necessaria.*
2. *Deus nobis pœnas & præmia proposuit.*
3. *Virum sufficiat ad salutem æternam & præmium consequendum, bene viuere.*

AVE.

## I.

*Hominem non duci nisi præmiis, ac pœnis; ideo hæc duo semper esse necessaria.*

CERTVM est dilectissimi, hominiq; proprium, vt nūquam vel raro quicquam pulchrum, arduum, difficile aggrediatur (qualia sunt virtutum exercitia) nihil criminis, nihil sceleris oderit, (qualia sunt vitiorum opera) nisi præmiorum aut pœnarum metu: non facile homo frænari se finit, impelliq; ad cursum, nec facile clausam arenam circumque ingreditur, vt ibi sanguinem aquamque desudet, nisi præmia primum conspexerit, & brauium suspen-

ſuſpenſum victori. Magnus Abraham fidei noſtræ pater, talis omnino fuit: cum enim (poſt pugnã & victoriam quinque Regum, & aſſertum Loth cum bonis omnibus) metueret ſibi videns ſe extra ſuã terrã cõſtitutum, inter Reges rapaces, in viſione dixit ei Dominus, *Genes. 15.* *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Cumq; addidiſſet Abraham: Domine quid dabis mihi? morior ſine liberis, & vernaculus meus hæres meus erit. Reſpondit ei Dominus, neutiquam; nõ morieris ſine poſteris. Suſpice cælum, & numera ſi potes ſtellas, ſic multiplicabitur ſemen tuũ, & *Ibid.* inſuper terram hanc dabo tibi in hæreditatem, & poſ- *Ibid.* ſeſſionẽ. Ac bonus vir, vt de promiſſione eſſet ſecurus, ait, *Domine Deus, vnde ſcire poſſum quod poſſeſſurus ſim eam.* Imperauit ipſi Dominus offerre certum ſacrificium, quo completo lõgam illi fecit rerum futurarũ, quæ poſteris ipſius euentura erant, prognoſticam, fœduſque iniuerũt arctiſſimum Deus & Abraham. Quis dubitat quin ideo vt Abraham ſemper cõtineretur in officio, & animaretur ad perpetuum & voluntarium exilium, quod Dei conſilio ſuſceperat. Dauid etiam adoleſcẽtulus & paſtor, voluitne committere cum mole iſta carnea, (vt S. Chryſoſtomus & Petrus Rõſardus eam appellant) montem illum animatum & ſpirantẽ, ſublimem inquam Gigantem Goliath, qui 40. diebus adeo traſonice improperabat exercitui Saulis, vt deſcenderet aliquis ad ſingulare certamen? voluitne (inquam) ſuſcipere duellũ, niſi poſtquã intellexit magna præmia parata, qui monſtrũ hoc deiceret in terrã, ac caput auferret Giganti, homini ferreo, & à capite vſq; ad calcem armato. *Ait Dauid ad viros, qui ſtabant ſecũ, dicens: Quid dabitur viro qui percuſſerit Philiſtæũ, & tulerit opprobrium de Iſrael.* Tum demũ arma cepit cõtra Cerberum & canem infernalẽ, contra antropophagũ, cum intellexit ex rumore populi, currẽte fama, generum fore Regis, & domum eius eximendam à tributis, magniſq; augendum opibus qui portentũ iſtud abſtuliſſet. Idem Dauid factus poſtea Rex, libere fatetur ſe intuitu mercedis ad ſeruãda Dei mandata inductum.

*D. Chryſ. ho. 44. ad Antio. P. Ronſard. in paraphraſi poetica Cantici Te Deũ.*

*1. Reg. 17.*

Incli-

*clinauit cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum propter retributionem*: & alibi, *Sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.* *Psal.118.*

S.Petrus etiã eodem comitatus spiritu, dixit aliquãdo Domino, Per fidem tuam Domine, ecce pro te dimisimus omnia, vxores, liberos, facultates, artificia & *secuti sumus te, quid ergo erit nobis.* Respondit ei Dominus, Amen dico vobis quod *vos qui secuti estis me in regeneratione ista* (notate in transitu quod nascamur semel, & deinde renascamur, bis nascimur primo ex vtero matris.) Renascimur semel ex vtero quasi S. Spiritus, & Iesu Christo, in aqua Baptismi: (*qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum.* Deinde vero ex vtero matris magnæ, (terræ scilicet, in resurrectione extrema.) Amen dico vobis in ista regeneratione, in qua filius hominis sedebit in sede maiestatis suę, siue in priori regeneratione per baptismum, quo nobis Christus Iesus Rex constituitur, & nos ministri eius; siue in posteriori, in extrema resurrectione, in qua clare apparebit Christus Iesus in gloria filij Dei, caput omnium, & vos simul sedebitis, tãquã Sacerdotes, & Episcopi, iudicãtes 12. tribus Israel, Christianos omnes, in confessione auriculari, publica, solenni: aut tãquam perfecti, approbantes iudiciũ & sentẽtiam meam. Quod idem est ac si dicat, faciam vos Ecclesiæ militantis Iudices & assessores in Iudicio nouissimo. Quid dico, bene ageremus sine præmij spe, cum nec mala sæpe cogitare velimus nisi quæstus aliquis affulgeat. Millies audistis & vsque ad nauseam lapsum primorum nostrorum parentum. Nunquam ne in eo aduertistis, quod Eua fructum vetitum gustare noluerit, quisquis ille fuerit, vel ficus, vel pomum, vel vuæ, eodem redit; nisi fraudulẽtus & insidiosus serpẽs, propositis emolumẽtis, ad casum pertraxisset, *Aperiẽtur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum & malum.* Etsi iam infusa scientia sitis sapientissimi, sapientiores tamen eritis acquisita ex huius pomi gustu. *Matth.19.* *Ioan.1.* *Vide nostrũ orbis terrorem.* *Genes.3.*

ſtu. Nunquamne aduertiſtis, quomodo maliſuaſor ac tentator Chriſtum Ieſum ad idololatriam tentauerit, dicens: *Si cadens adoraueris me, hæc omnia dabo tibi*, quaſi in præmium, tot regna quorũ tibi ſpecie obiecit. Nunquam in grauiſſimum Iudas cecidiſſet peccatum, niſi Principes & Sacerdotes argentum promiſſent dare, ſi Dominum ſuum traderet. *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?*

*Matth.* 4.

Ita omnes retributionem quærimus, ita auaras habemus animas, & ita nos ipſos magis quam Deum aut virtutes diligimus.

* *Vnam legit Nauarrus commẽt. de fin. hom. actu. mim. 37. noue non male Claud. in con. Manliũ Th. Cicero lib. 3. Offic.*

*Quis enim virtutem complectitur* ipſam,*
*Præmia ſi tollas?*
Iuuenal. Sat. 10.
*Apud paucos fidem inuenit verſus ille.*
*Ipſa quidem virtus ſibi pulcherrima merces.*
*Ipſa quidem virtus precium ſibi ſolaq; beatæ*
*Fortunæ ſecura nitet.*
*Diuitiis animoſa ſuis.*

Pauciſſimis hoc dictum, eiſque optimis, & bonis ſupra modum:

*Oderunt peccare boni virtutis amore.*

De pleriſque autem veriſſimum eſt,

*Oderunt peccare mali formidine pœnæ.*

Ah ſi auro & argento redimi poſſent ab aurifabris annuli, qualem Gyges quidam paſtor Regis Lydiæ habuit, quo ad libitum fiebat inuiſibilis qui vtebatur, Deus bone quomodo ſurſum deorſum verſaretur mundus, quomodo magis quam vnquam *homicidia*, adulteria triumpharent; impunitatis & latendi ſpes omnes faceret audaces, omnes armaret ad omnia. Quia igitur iſtius ingenij ſumus, vt gratis pene nihil faciamus, & de nihilo non abſtineamus à malo, ſalutberrimum eſt in omni familia, & ſi trium tantum ſit hominum, virgidemia ornare caminum, id eſt, vxorem habere pro filiis male moratis, panem candidum in ſcriniis, id eſt, præmia modeſte ſe gerentibus: hoc certe bonum & in omni ciuitate neceſſarium, vt cruces, vt patibula figantur facinoroſis, æraria publi-

ca

ca, magistratus, honores, probis bonisque seruentur. Romani sane perspicacissimi & omnium fere nationum prudentissimi, omnis generis habuerunt taliones. Flagra mancipiis refractariis, fusces, & secures, ad supplicia incorrigibilium; proscriptiones ad pœnas aliorum. Sic & præmia præclarorum facinorum: si miles quis fortiter primus inuasisset aggerē, aut hostem depulisset decerptis ex cāpo herbis coronabatur, cum inscriptione *hoc valli insigne recepti.* Si quis commilitonem ac ciuem Romanum captum asseruisset, coronabatur *ciuica*, cum hoc epigrammate, *seruati gratia ciuis.* Si quis sine sanguine leue aliquod composuisset bellum, honorabatur *Ouatione.* Si magni strati essent exercitus, eorum qui nunquam sub Romanis fuerant, cum pleno introducebantur triumpho, Dictaturæ, Consulatus, Tribunitię aliæque dignitates, bene rem gerentibus nunquam defuerunt. Pecuniæ etiam submin istratæ sunt belli Ducibus, qui post negotia fideliter administrata, nihil præter sagum zonamque haberent: vt scilicet inde viuerent, honeste sepelirentur, dotarent filias; gregario etiam militi noualia assignabantur, & agri: vnde & prouerbium *donari rude.* Nouerant prudentissimi Romani socordiam nostram in bonum, & lucri cupiditatem amorem virtutis longe præcellere: nouerant quam pauci suis militent stipendiis, voluntarij seu *volones*, mercenarij omnes ac stipendiarij, merentes ære. Sic etiam pauci Heroicis virtutibus gratis operam dant; sed omnes pene salaria ac mercedes respectant.

## II.

### *Deus nobis præmia & pœnas proposuit.*

Sic etiam Deus noster optime cognoscens creaturarum suarum propensionem, *Ipse cognouit figmentum nostrum*, se nobis nimia benignitate accommodans, semper pacta nobiscum iniit: præmia remunerationesque pollicens amplissimas, si vitam ex virtute degeremus; supplicia etiam comminans, si detrectaremus obediētiam. *Dicite iusto quoniam bene*, dicit apud *Esaiam*: *Psal.* *Isaiæ 3.*

Esaiam: & notanter ipse duo hæc Caino proposuit, cum Abeli fratri suo machinaretur mortē. *Nōne si egeris bene, recipies si autē male, statim in foribus tuum aderit?* Vel iuxta versionem Chaldaicam, *Si non bene egeris, in diem iudicij peccatum tuum seruatum est, in qua futurum est, vt vlciscatur de te.*

*Genes. 4.*

Nec dictu nec creditu facile, quanta bona in Deuteronomio legem seruantibus promissa sint; & cōtra quāta mala refractariis. Percurrit ibi qui habet otium. In noua lege Christus Iesus nihil nisi de paradiso, de regno cęlesti, bonorum pręmiis, nihil nisi de inferno, & inextinguibili igni, malorum pœnis, inculcat: vt curramus ad bonum & declinemus à malo. Nec vana sunt terriculamenta, promissa ac minæ Dei; nequaquam: semper vel cito vel tarde implentur. Mercenarij ipsi abundant panibus & bonis, & prægustum quasi accipiunt retributionis venturæ; desertores, vt noster Prodigus, fame torquentur. *Ego autem hic fame pereo.* Si nonnunquam pane materiali ac visibili careant, & fame, inedia, omnium rerum inopia affliguntur; pascuntur tamen intus nescio qua suauitate, sensibiliter insensibili, aut insensibiliter sensibili. *Videmus eorum cruces, non videmus vnctiones*, inquit S. Bernardus. Epulantur intus in tranquillitate conscientiæ, quæ omnibus gratior est mundi epulis. *Secura mens quasi iuge conuiuium.* Dulcissima fouentur exultatione, quæ ex pace & reconciliatione, cum Deo proficiscitur, dum se in gratiæ statu sentiunt: Nemo hic mihi fabulosas solis mensas ingerat; quas in Æthiopia fabulantur. Non Regis Assueri conuiuia, non fictum nectar; non mentitam ambrosiam. Antiquæ falsorum Deorum idololatriæ; ne ipsum quidem cæli manna, quo quadraginta annis in deserto Israelitæ cibati sunt. Omnia enim hæc (& quicquid corporale comminisci possimus) non ita palatum desideriumque nostrum tranquillare potest quam sensus iste ac fiducia gratiæ. *Nonne si bene egeris, recipies? aut, vt alij vertunt: Nonne si bene egeris, attolles? subaudi vultum, id est, nonne incedes recto vultu, viuesq; in gaudio & lætitia?*

*Deut. 28.*

*Prou. 15.*

*Pomp. Mela lib. 3. de situ orbis cap. 10.*

*Apud Vatabl. annot. 8. in cap. 4. Genes.*

ait

sit Dominus Caino. Si enim contrariæ contrariorum sint causæ, si vita mala animam ineffabili torquet & melancolia, nonne contra & vita bona animam incredibili gaudio perfundet? Quis ignorat peccatricẽ animam quasi perpetuo pendere ex cruce, perpetua quasi rota volutari. *Tuta scelera esse ac secura non possunt, infixa nobis eius rei auersatio est quam natura damnauit*, inquit Seneca. Peccata pœna eximi possunt, secura esse non possunt. Displicentiam singularem in nobis excitant, quæ natura sua damnauit sententia. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum*, dicit Apostolus Paulus. Quid? peccatum conceptum solum, ac deliberatum, antequam mandetur executioni, torquet authorem, *Quisquis malus est male secum est*, inquit S. Augustinus. Cain nonne demisso tristique ambulauit vultu, ex quo fratri cœpit necem moliri. *Cur concidit facies tua*, dixit ei Dominus: quid deiecta rugataque incedis fronte? Pallent scelerati, & mortuus sedet in vultu color: mors ob oculos semper, nihil ex ipsis nisi suspiria audias, nihil ex vultu boni colligas. In bonorum autem facie omnis serenitas, in oculis omnis hilaritas, omnis castimonia, nihil ex sermonibus aduertes nisi bonam fiduciam. *Rectis corde lætitia*: & Sapiens, *Læti cordis os floresci*.

*Senec. Ep. 2. lib. 16.*

*Rom. 2.*

*Vide Chrys. epist. 7. ad Olympiadẽ.*

*D. August. in Psal. 36.*

Quidam olim interrogatus, quid tutam ac durabilem maxime præstaret lætitiam; sapienter vereque respondit, *Conscientia pura, & spes bona.*

*Anto. serm. de puro corde.*

*In homine bonæ conscientiæ lætitia paradisus est*, inquit S. Augustinus. Nescius Spiritũ sanctum, cui conscientiæ nostræ illustratio & purgatio tribuitur, ideo inter cætera sæpe in Euangelio vocatum paraclitum, id est, consolatorem, quia nos iustificans, huius tranquillitatis nostræ, de qua loquimur, author est. Veniamus ad experientiam. Inspicite pectora sinumque vestrum. Per fidem vestram, ante Natiuitatem vel Pascha, cum necdum sacramentali confessione reconciliati, redistis cum Deo in gratiam, nõne cordis sensistis molestiam, angustias, tristes abiectique quasi inter lapi-

*D. August. supra Genesim.*

des contusi molares. Cõtra vero lucente Paschate, aut Natiuitate, expletis boni Catholici officiis, nonne hilarescere & amænari sentitis corda, & (vt ita dicam) alata & expedita ad omne opus. Credo sic esse, & me coniecturam facio: homines enim omnes summi transactis vero diebus illis, de me hoc humiliter dico quãdo in peccato sum, nullũ mihi solidum gaudium, & sæpe quãdo me sentio afflictum, dispello tristitiam per confessionem, & purgationem conscientiæ. Et reuera quomodo potest gaudere anima, à qua Deus abest; aut tristari cui Deus præsens est. *Deus in medio eius non commouebitur.* Et sicut vbi erant filij Israel, densissimis & palpabilibus tenebris durantibus, quæ totam tegebant Ægyptum, lux erat: sic etiam in conscientia, quam Deus implet, solatium est & auxilium Dei. Quę Deo vacua est, sedet in tenebris desolata. Tenebræ priuatio luminis sunt, & absentia Solis: tristitia subtractio Diuinæ gratiæ. Redeunte Sole, & auratum spargente capillum, cum semicirculum apud Antipodas decurrit, dies reuertitur: sic etiam Deus, cum per gratiam suam nos reuisit, statim gaudium nostrum reuertitur, gaudium beatorum, lætitiæ proximum. De quo dictum opinor latroni in cruce pœnitenti, *hodie mecum eris in paradiso*, id est, in quiete conscientiæ, quæ lætitiam causat omni gaudio, omnibus deliciis, etiam inter media tormenta, superiorem; quasi præludium quoddam gaudij futuri.

*Psal.*

D. Augustinus de catechumenis.] *Tu qui venam requiem, quæ post hanc vitam Christianis promittitur, quæris, inter amarissimas huius vitæ molestias degustabis, iucundiusq; ex bona conscientia inter æruminas lataberis, quam ex mala, inter delicias.*

O magnum gaudium! ô præmium grande! quo inuitemur ad bonum. O grauem, ô horribilem crucem, qua torquentur peccatores, quorum inquietudo ac conscientiæ vermis * infernus est huius vitæ!

* *Vide Macrob. lib. 1. in somniũ Scipionis c. 10.*

D. Augustinus lib. confes.] *Iussisti, iussisti Domine, & ita est, vt omnis inordinatus animus sibimetipsi sit pœna.*

Iob 7.

Iob 7.] *Factus sum mihimetipsi grauis: cur non tollis peccatum meum.*

Dicat aliquis: magnæ virtutis præmium quies conscientiæ, & gaudium ex Diuina gratia & beneuolentia procedens, quo ad bonum alliciamur: sed quis me faciet de Dei gratia securum *Nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta.* Eccles 9.

Tum primum aperientur libri rationum, scientiæ Diuinæ & conscientiæ humanæ, illuc vsque signati ac legati. Et illa incertitudo partim ex nostris, partim ex alienis, quibus participamus, exoritur peccatis. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.* Psal. 118.

Partim etiam ex ignorantia iuris & legum, & casus conscientiæ. Tertio, quia bona nostra interspersis malis sæpe vitiata & adulterata sunt, vt malis intentionibus, aut duabus intentionibus bonis, sed male ordinatis, præcurrente illa quæ sequi debebat, sequente illa quæ debebat præcedere. *Vide orbis terrorem.*

Petr. Chrysol. serm.] *Multa sunt quæ de iudicio Dei, homines ignorant, quia fortasse quæ vos laudatis, ille reprehendit, & quæ vos reprehenditis ille laudabit* [Agathon Abbas, *Alia Dei, alia hominum iudicia, inquit.*

D. Gregor. lib. 24. moral. cap. 18. in 33. c. Iob.] *Nec hoc quidem sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter gessimus, si remota pietate iudicetur.*

Idem vlt. moral. in fine.] *Mala nostra sunt pure mala, sed bona nostra non sunt pure bona.*

Idem lib. 29. moral.] *Vnde ante oculos Iudicis quis placere suspicatur, inde sæpe obruitur.*

D. Bernard. serm. 55. in Cant.] *Verendum valde, cum ad hoc ventum fuerit, ne in tam subtili examine, multa nostræ iustitiæ (vt putantur) peccata adpareant.*

Boetius.] *Hoc quod tu iustissimum & aquissimum putas, omnia scienti prouidentiæ diuersum videtur.*

Anonymus.] *Displicet imprudens, vnde placere putat.*

Isaiæ 64.] *Vniuersæ iustitiæ nostræ, quasi pannus menstruatæ.*

Iob.9.] *Si lotus fuero quasi aquis niuium, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me.*

Prou.14.] *Est via quæ videtur homini iusta, & nouissima eius deducunt ad interitum.*

Partim etiam, quia accepto pœnitentię Sacramento, nos aliquando non iustificari accidit: nõ equidem Sacramenti infirmitate, aut absolutionis defectu; sed propter obicem quem posuimus, non habentes attritionem saltem, aut non præexaminata satis conscientia, nec recogitat satis peccatis, vt ea debite confiteamur: aut simili aliqua ex causa. *Agentia enim non operantur, nisi in patiente disposito* Caleat ignis, luceat Sol quantum potest, nihilominus nec ille te calefaciet, nec hic illuminabit, si in tuo assideas cubiculo, interiectis obstaculis, clausisque fenestris, ignem Solemque abarceas. Sic S Petri & Ecclesiæ claues, sint, vt reuera sunt, efficacissima; nihil tamẽ efficiet in anima, si ex tua parte hæc aut similia ponas obstacula, luto aut lapillis obturans feram, ne clauem admittat.

Quæ ratio, quod medium igitur vt ad hanc tranquillitatem conscientiæ & gratiæ fiduciam perueniatur? Respondeo. Verum esse manifestam certitudinem de gratia ordinarie in nobis non inueniri, sine Dei reuelatione. Cõiecturas tamen probabiles, & moralem certitudinem posse haberi, fundatam in eo quod quis fecerit quæ facere potuit, fundatam in communi Theologorum axiomate, *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*: fundatam in Sacramentorum supplemento, fundatam in interno conscientiæ nostræ dictamine. Quando enim de conscientiæ tranquillitate loquimur, non excludimus spem & formidinem: durante enim hac vita, *spemq; metumq; inter,* *Virg. Æn.* consistendum est. Sed vt spem præponderare faciamus timori; vnde tantum surgit gaudimonium, vt affirmare audeam, quasi initium quoddam & prægustum principalis præmij à Deo concedi, differentis solutionem reliquam, in magnum illum extremi iudicij diem. Siccine igitur est paruulus ad virtutem stimulus

lus, in mundo habere paradisum ? Vbi contra flagitiosi in terrestri inferno iacent demersi, vsque ad zouam.

## III.

*Vtrum sufficiat ad salutem æternam, propter præmium consequendum bene viuere.*

SVrgit hinc quæstio satis difficilis, vtilis tamen paucisque nota. Quomodo Deo propter Deum pure ac gratis seruiendū sit. Vel vtrum sufficiat seruire Deo propter spem aliquam retributionis. Præstabit vtramque prius audire partem, antequam resoluamus.

Videri itaque posset prima facie, licere aliquam retributionem intendere. Primo quia omnes Philosophi, imo & Prophetæ, volentes à malo retrahere homines & deducere ad virtutem, diuitias, prosperitatē, ac bonorum præmia proponunt. *Non priuabit Deus bonis eos qui ambulant in innocentia.* Semper gloria virtutem sequitur, sicut vmbra corpus in Sole ambulantis, & Echo vocem loquentis in conualle. *Ad gloriam virtutis via peruenitur*, dicit Plautus : *Gloria, recte factorum plerumq; comes est*, dicit Cicero. *Psal.* Cic. 3. Tus.

Semper voluptas interna & sincera, bonam recreat conscientiam agentis bene, sicut serenus dies, ac Sol festiuus, & æstiuus exhilarat corpus. Mala vero conscientia, quasi tempestas hiberna, grandine & turbine possessorem affligit. Toties autem æternam proponunt gloriam, mansionum diuersitatem, varietatem coronarum, & laureolarum, Virginum, Doctorum, Martyrum. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.*

1 Cor. 15.] *Stella à stella differt in claritate, i. Electus ab electo differt.*

Daniel 12.] *Qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Psal. 18.] *In custodiendis illis (iudiciis Domini) retributio multa.*

Mag. Sent. lib. 4. dist. 49 §. A.] *Ipsa contemplandi (Dei) differentia diuersitas mansionum vocatur.*

Quidni? nam in eadem aula non omnes in pari ho-

nore sunt. Aulici alij aurata gestant calcaria, alij purpuram, alij fibulam, alij vellus aureum, alij alia honoris insignia, quisque pro gradu suo.

Secundo. Quia ipse etiam Deus mercedem propo-
*Genes.* nit. Dicit Abrahamo, *Ego protector tuus sum, & merces*
*Cant.* *tua magna nimis.* Dicit sponsæ, *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Dicit Apostolis, *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo.*

Quid pater ille familiæ, qui Deum repræsentat, conuentionem fecit cum vinitoribus ex denario diurno, ac sero venientibus promittit *quod iustum fuerit dabo vobis.* Ergone illicitum illuc respicere, quod licite nobis proponitur? Imo quod ipse etiam Deus nobis proponit? Scandalum esset & tentatio, inuitare aliquem salario quod sperare non debet; quod licite promittitur, venditur, aut donatur; licite desideratur,
*D. Augustin.* emitur, accipitur. *Quæ honeste emuntur, nõ illicite ven-*
*10. tract. in* *duntur,* inquit S. Augustinus: *& contra.* Tertio, quia
*Ioan. post i-* hæc omnium etiam bonorum & perfectorum incli-
*nitium.* natio est.

D. August. lib. 13. de Trinit. cap. 4. ] *Capessenda retinendaq; beatitudinis voluntas, una est omnium.*

Cicero in Horten. *Beati certe omnes esse volumus.*

*Beate viuere omnes homines velle* in prouerbio est.

*Propter verba* (& promissa) *labiorum tuorum ego custodiui vias duras, vt non loquatur os meum opera hominum.*

Quod æqualiter in omnibus & à natura est non vitiata, bonum est: quia Deus naturæ author est. Ante Adami vero & Euæ peccatum, etiam amassemus recompensam; non igitur damnabile est propter eam recte viuere; maxime propter æternam. Ecce ibi potissima primæ opinionis argumenta.

Videamus iam quid pro negatiua adferri possit, quæ negat ad salutẽ pertingere eos, qui nihil boni nisi pro mercede faciunt. In primo agmine S. Paulum
1. Cor. 13. collocant, qui sic ad Corinthios scribit. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus*

*corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Non partem aliquam bonorum dicit, sed si omnia dedero pauperibus, corpus flammis, sicut tres pueri, aut S. Laurentius, aut Mutius Scævola, si tamen sine charitate sum, nec principaliter pro Dei amore facio, nihil actum ad salutem.

Secundo. Authoritate Domini nostri, qui loquens de hominibus qui laudari & videri volunt, inquit, *Amen dico vobis, acceperunt mercedem suam.* Quo monstrat, quod in futuro seculo nihil à Deo recipient, & quod mercedis studio mercedem perdiderint.

Tertio. Ratione. Operāti non plus debetur quam petit, & *volenti non fit iniuria*: qui bene facit propter gloriam, mundique bona, propter conscientiæ tranquillitatem, præsumendum est quod amplius nihil petat, quodque acquiescat tanquam sibi sit satisfactum, si vel omnia ista, vel aliqua istorum consequatur. Cælum igitur virtutibus ipsius nō debetur. Deinde salus & præmium non debentur peccatori; sed qui Deo principaliter propter prædicta seruit, nimirum pro cœlo, pro mansionibus & coronis, peccat; quia nimirum se magis quærit & amat, quā ipsum Deum, & bona ipsius, & creaturas magis, quam ipsum diligit, ergo.

Sicut stipendiarius miles dici nō potest amare magis Regem, quam bonum suum, etiamsi strenuissime pugnet: quia nisi speraret stipendium, nec nomen daret, nec asscriptus pugnaret; sed moueret sæpe seditionem, flagrans solutionem, & cessante pecunia negat seruitium. Atque ideo bello finito & soluto stipendio, Rex ad nihil aliud ipsi tenetur, nisi vt ipsum sacramento soluat ac domum remittat; cum contra *volones* præmiis digni sint: & sicut mechanicus, cui denarium diurnum, soluere pactus sum, non dicitur amare magis commodum meum, quam suum; & sicut meretrix non potest dici amare magis suum amasium, quam argentum; cum inanibus loculis excluſum nec suaui quidem dignetur colloquio nec aspectu. Sic quicun-

que Deo seruit, & legem seruat, pro lucro principaliter, nolens seruire, si illud absit, habendus est magis amator sui & rerum creatarum, quam ipsius Dei, qui amor inordinatus est, & in vitio. Si talis igitur non Deum quærat, sed seipsum; non Deum, sed Dei bona, quomodo obligatus est ei Deus, illo respectu dare vitam æternam? Quid debet homini, qui per philautiam & sui amorem, pro suis præcipue cõmodis agit quod agit? Sicut attritio, quæ absolutione sacramentali nõ suppletur, non sufficit, vt peccatorẽ ab inferno ad vitã æternam trãsferat, quamuis odium quoddam aut detestatio peccati sit, & bonum velit, sicut ipsa cõtritio, quæ sola sine sacramento saluare potest pœnitentem, quia nimirum attritio procedit ab amore sui, timore inferni, miseriis, remorsu, &c. Contririo contra, erodio sui, & puro amore Dei: sic idem virtutis actus, non seruabit alterum, quia conceptus & exercitus est principaliter ex appetitu & spe mercedis, seruabit vero alterum, quia principaliter ex amore procedit quo in Deum legislatorem suum afficitur. Quid dico! nihil prodest ad salutem virtutem propter seipsum diligere, nisi in quantum ad summum bonum refertur, quod Deus est, quem solum debemus intendere. Alioquin enim esset frui rebus quibus vtendum est.

*Vide Mag. lib. 1. sent. dist. 1. §. H.*

D. August. lib. 1. de doctr. Christ. c. 31.] *Dicimus nos ea re frui quam diligimus propter se, & ea re fruendum tantum, qua efficimur beati, cæteris vero vtendum.*

Quantum meretur timor, quo malum fugimus; tantã meretur spes quo bonũ sequimur: sed fugere malum ex seruili timore solũ, vel principaliter, non prodest ad salutem; *affectus non metus nos cõmendat*, ergo nec spes mercenarij quicquam proderit. Ecce hic rationes & fundamenta negatiuæ: quibus arctor satis vt soluam; Dabo tamẽ operam, vt ex hoc me labyrintho explicẽ; quod non incommode fiet, si filium sequamur Ariadnæum, id est, ductum alicuius distinctionis. Incipio egredi, sequimini pedetentim & attente.

Notandum itaq; primo duas esse futuri seculi mercedes: vnam creatam & præparatam ab initio mundi; alteram

lteram increatam sine initio. Merces creata locus est beatorum, cælum, empyreũ, aut flammans, sic dictũ a claritate, paradysus, cælorum regnum, lætitia præcedens de clara Dei visione, sine specie, sine ænigmate, possessio secura Dei, ac bonorũ ipsius. Quatuor dotes glorioſi corporis, laureolæ Virginum, Doctorũ, Martyrum, Angelorũ societas, tot heroũ tot sanctorũ, &c. omnia hæc creata. Vnde dicit Dominus: *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnũ à constitutione mundi.* Præmium increatũ ipse Deus est, propriũ beatitudinis obiectũ. Facere igitur bonum principaliter propter præmium creatum, vt introeatur in paradisum, vt ibi maneatur in quiete, vt iungamur, tam pulchræ tam bellę societati, &c. Saluare nõ potest hominẽ: quia hoc est creaturas magis amare quã Deum, sed bene agere principaliter propter mercedẽ increatam, certo saluat: quia illa Deus ipse est, & quod pro ea fit, pro Deo fit. Noster Franciscus Titelmannus sic illud Dauidis *propter retributionem* exposuit. *Subsequetur* (inquit) *me beata nimis retributio, quæ es ipse tu Domine Deus meus.* *Matth. 25.* *Fr. Franc. Titelm. in Psal. 118.*

Nauar. comment. de fin. hum. actuum.] *Ibi verbum*, propter, *significat causam impulsiuam, siue finem minus principalem, inquit.*

Et sic explicandæ sunt rationes, & loca quæ dicunt propter retributionẽ Deo posse seruiri, & inueniri salutem, quod scilicet loquãtur de præmio increato. Alia vero quæ negant, intelligi de præmio creato; & sic explicata vtraque opinio vera est. Sic nimirum saluari aliquis potest, bonum operans, & virtutes exercens, principaliter propter mercedem, si per mercedem Deum intelligamus, qui nostra merces est. *Ego merces tua magna nimis*, dicebat Abrahamo; & saluari non potest bene agens principaliter propter mercedem, si mercedem intendit creatam, cælum, gaudium, gloriã &c. S. Thomas Aquinas, Doctor inquã Angelicus, aut Angelus docens, ad pulchram hanc distributionẽ Parisiensem respexit, cũ Deo respõdit rogãti, cum ferui dissime Neapoli ante crucem oraret, *bene scripsisti de me* *Ioan. Garzo. in vita D. Thom. & Breuiar. Roma. 7. Martij.*

*me Thoma, quam ergo mercedem accipies? Nullam* re*liam*, ait, *nisi te Domine*: Notandum secundò non dici hic simpliciter, non licere homini propter mercedem creatam Deo seruire; sed quod si primario & principaliter merces creata intendatur, prospecta scilicet conscientię, quies, paradisus, &c. non proficiat salutem æternam. In qua propositione non improbamus factum, sed potius inordinationem ὑστέρου πρότερον, id est, reprehendimus præmitti quæ a longe sequi debent, & caput fieri caudam. Licet enim Deo seruire propter præmium creatum, & increatum; imo sane, dummodo primarie & principaliter pro increato, secundario vero & ex obliquo vel accessorie pro creato. Tum enim nihil præ Deo amatur, nihil æque, si reliqua quæ amas, in Deum refers. Ordinem hunc docuit nos ipse Christus. *Quærite primum regnum Dei, & cætera adijcientur vobis. Primum*, inquit notanter: tam vt ordinem monstraret, quàm vt insinuaret secundariam quandam intentionem & respectum haberi posse, ad præmia creata, tam huius quam alterius vitæ. Nostrum igitur erit, vel pure Deo seruire, gratis, pro Deo, quia nimirum ipse adeo bonus est, & infinitis de causis illud meretur: aut si quid aliud etiam quęrimus, ne illud præcurrat, ac caput fiat, sed cauda maneat, ac retro sequatur purum Dei amorem, purum desiderium, & sincerum complacendi ipsi. Alterum sequi poterit, vt fæces vinum, amurca oleum, arenæ fontem. *Omnis homo primo bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est.* Bonus orator in fronte, ac primo agmine, Achillem suum ac validissima argumenta disponit, quibus auditores maxime suadeat: bonus Dux fortiorem militem ponit in capite, & omnis homo primo monstrat vultum, speciosissimam humani corporis partem, & Medicus primum mel propinat, dein amarorem.

*Matth. 6.*

*Ioan. 2.*

CON-

# CONCIO XIV.

7. Εἶπε πόσοι μίσθιοι τοῦ πατρός μου περισσεύουσιν ἄρτων, ἐγὼ δὲ λιμῷ ὀπόλλυμαι. *Græca.*

7. *Dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* *Vulgata.*

7. *Ait, quot sunt nunc mercenarij in domo Patris mei qui abundant pane, ego vero hic fame pereo.* *Syriaca.*

## ARGVMENTVM.

Dicemus hodie
1. *Quod in omni actione plurimum valeat bona intentio.*
2. *De quibus mercenariis ibi locutus sit Dominus.*
3. *Qui mercenarij dici possint qui non; cõtra nonnullos calumniatores.*

AVE.

## I.

### *Quod in omni actione plurimum valeat bona intentio.*

ARBITRABAR dilectissimi, totũ me extricatum labyrintho in quem heri me conieceram; sed quantum video, varij sinus, flexus ac reflexus restãt antequã euadamus. *Grandis adhuc restat via:* cum enim de intẽtione egerim ac respectu præmij æterni, creati ac increati, in bonis operibus: modo, cum omnis homo propter finem aliquem operetur, iuxta S. Thomã (*Sic curro nõ quasi in incertum; sic pugno non quasi aerem verberans*, inquit S. Paulus.) Ipsa etiam bruta, & omnis & irrationabilis & insensibilis creatura, quæcunque tandem sit, quamuis diuersimode: homines enim ad actionem se libere applicant, ex arbitrij libertate: bestię & insensibilia naturaliter, impulsu quodam & instinctu naturæ, quo à Deo aguntur

3. *Reg.*

*D. Thom. in li. 2. sent. dist.* 38. *&* 1. 2. *quæst.* 1. *art.* 1. *&* 2. 1. *Cor.* 9.

tur (*nam nihil turpius Physico quã fieri sine causa quicquam dicere*, inquit Cicero) nec quisquam nostrum est, qui videns bruta turbari ac proruere, non intelligat quo motus ille vergat; *Id ne fera quidem faciunt, vt ita ruant atq; turbentur, vt eorum motus & impetus quo pertineant non intelligamus; tu tam egregios viros censes tantas res gessisse sine causa?* Necessario hic mihi dicendus est meo labyrintho, vt monstrem quanti momenti sit, à fine ac scopo actionũ aberrare, vel non aberrare, & quis primarius ac necessarius nostrarum actionum scopus esse debeat, quos etiam laudabiliter nobis proponamus, quos per indulgentiam. Incipiamus igitur cum Dei gratia.

*Cic. lib. 1. de finibus.*

*Idem ibid.*

Si cum hominib. nobis tantum res esset, & quæstio in curia aliqua humana & (vt loquuntur Theologi) in *foro fori* tractaretur, dicerem breuiter non tantopere esse opus intentionem bene dirigere, ac scopos proponere laudabiles in operibus. Nec mirum; sufficeret enim facere opera ex natura sua bona, & *ab omni specie mali abstinere*: quia homines opera tantum inspiciunt, non intentiones. Si enim apud homines mala intentione (secreta tamen) bonum agas, non ideo minus eris laudatus, non minus mereberis; quia actionem nõ cor & animam vident. Si mali quid feceris manifesti, (bona tamen intentione) non te turabitur vel multum vel parum bona intentio, *nec eximet à toto nec à tanto. Homo videt ea quæ parent.*

Publ. Mim.] *Nihil interest, quo animo facias quod fecisse vitiosum est. Nam facta cernuntur, animus non videtur.* Sic nimirũ & ego tum dicere possem. Sed quandoquidem cum Deo nobis res est, & in foro conscientiæ, cum Deo qui scrutatur corda & renes, qui nõ tantum opera ex natura sua bona esse facienda, sed hoc etiam curandum vt intentio in illis sit recta.

Heb. 4.] *Sermo Dei est discretor cogitationum, & intentionum cordis. Non est creatura inuisibilis in conspectu eius.*

Psal.] *Intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meam.*

*ueam & funiculum meum inuestigasti. Et omnes vias meas prævidisti.*

*Adtingit à fine vsq; ad finem fortiter, i. à primis intentionibus ad secundas.*

Deus acutius videt quam aquilæ prædam in fundo maris, acutius quã lynces per septem parietes, melius quam Lynceus iste argonauta, qui oculis muros penetrabat, & distincte ad centum & 30. passuum millia prospiciebat, melius Argo centoculari, melius Sole, qui omnia aspicit, qui mille ciuitates simul vno instãti illustrat. Deus, inquam nõ solum opera, sed & cordiũ secreta ac recessus perlustrat, oculo suo solida corpora penetrat, non minus quam transparẽtia, terrestria, non minus quam cælestia composita, non minus quã simplicia: omnia pellucida, omnia detecta, *omnia nuda & aperta sunt oculis eius* (quid faciemus igitur citati & constituti ante tribunal eius) examinat scrupulose nostras intentiones, quo scopo, quo fine bonum malumve egerimus, & qualem inuenit intentionem tale esse opus iudicat, nõ quale sæpe videtur ex natura sua. S. Augustinus in Iohannẽ dicit, attendite fratres mei salutis nostræ bonum non tam in operibus quæ facimus consistere, quam in eo pro quo facimus.

D. Gregor.] *Deus cor & non substantiam pensat, nec cogitat quantum sed ex quanto operatur.*

Seneca Ep. 96.] *Non in facto laus est, sed in eo quemadmodum fiat.*

Ibidem.] *Eadem aut turpia sunt, aut honesta. Refert quare & quemadmodum fiat.*

Sic plane radix fructum bonum facit aut inficit, fructum dans pro succo quem habet dulcem aut amarum. *Non potest arbor mala fructus bonos facere; si radix sancta & rami sancti.* Et sicut necessario eiusdem saporis sunt riuuli cuius fontes, sic & nostra opera talia sunt, quales nostræ intentiones. Et sicut Chamæleon, induit statim colores quibus adhæresceit.

*(Id quoq; quod ventis animal nutritur & aura,*
*Protinus assimilat: tetigit quoscunque colores.*
Ouid. lib. 15. Metam.)

*Matth. 7. Rom. 11.*

*Vide Plutarch. lib. de indust. animalium.*

Talem

Talem notam & tesseram statim nostra accipiunt opera, qualis fuerit intentio ex qua procedunt, si hæc bona, bona; si hæc mala, mala. Mercenarios & auaros appellamus quibus oculus semper & primo in lucri, ambitiosos quibus oculos ad honores & dignitates (Sunt enim qui prius seruiũt, vt postea imperent: nam S. Ambrosius ait. *Ambitio vt dominetur aliis, prius seruit, curuatur obsequio, vt honore donetur.*) In puellicos qui semper ad voluptatem & carnis desideria. Intentio est in nostris operibus, quod inscriptio in libris.

*Solinum c. 57. A. Gellium li. 10. noct. ca. 11. Arist. lib. 2. ca. 11. hist. anim. Senec. lib. 1. 44. nat. D. Ambros. lib. 4 in 4. Luca.*

* (in) *superfluere videtur.*

D. Gregor. lib. 12. moral.] *Quod radix est arbori, hoc vnicuiq; hominum sua est cogitatio: quia* in hoc quod exterius videtur, per illud tenetur quod interius non videtur.*

D. Ambros.] *Intentio tua operi tuo nomen imponit.*

D. Bernard. de præc. & dispens.] *Bonum prorsus damnat intentio praua.*

*Scholastici tenent, humanos actus à fine speciem suam accipere iuxta illud Augustini de Eccles. morib. secundum quod finis est laudabilis vel culpabilis, opera nostra sunt laudabilia vel culpabilia.*

*Sufficit mali finis circumstantia, quo actus sit malus.*

D. Chrysost. tract. de symbolo.] *Opus non ex se, sed ex causa sua fit crimen.*

D. Gregor. moral.] *Sicut fabrica columnis, columna autem basibus innituntur, ita nostra vita in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt.*

Seneca Ep. 96.] *Qualis persuasio fuerit, talia erunt quæ agentur, quæ cogitabuntur.*

Boet. Top.] *Cuius finis malus est, ipsum quoq; malum est.* Vniuersum verum.

Anonymus.] *Quicquid agant homines, intentio iudicat omnes.*

In ipsa etiam administratione Sacramẽtorum Iesu Christi necessaria est Ministri intentio, conferentis materiam ac formam Sacramenti; nam etiamsi hæc duo millies conferantur si absit intentio, nunquam erit Sacramentum: quia hæc ad multas indeterminata sunt res, quæ ministri intentio ad vnum restringit, sicut in-

tintentio, non sola verborum prolatio iuramẽtum icit validum, vt dicebat Cydippe puella nobilis, amaori suo Acontio, qui aureum malum in Dianæ templum ad pedes eius miserat, sic inscriptum: *Polliceor tibi meum matrimonium.*

*Iuro tibi sane per mystica sacra Dianæ*
*Me tibi venturam comitem, sponsamq; futuram.*

Sperans eam permouere isto stratagemate, quia lex ipsi erat vt quicquid coram Diis diceretur, quod locum etiam habebat in templo Dianæ, pro re habebatur iurata firmaque. Iuramentum autem ore proferre, sine iurandi animo, nec iuramentum est, nec obligat. Ouid. lib. Ep. Heroi. ex Cydippes Acontio.

*Quæ iurat mens est: nil coniurauimus: illa*
*Illa fidem dictis addere sola potest*
*Consilium, prudensq; animi sententia iurat,*
*Et nisi iudicij, vincula nulla valent.*
*Si tibi coniugium volui promittere nostrum,*
*Exige polliciti debita iura thori.*
*Sed si nil dedimus, præter sine pectore vocem,*
*Verba suis frustra viribus orba tenes.*

*Non ego iuraui lege iurantia verba.* & paulo post:

*Si valet hoc; magnas diuitis aufer opes.*
*Faciurent Reges, sua se tibi regna daturos,*
*Sitq; tuum toto quicquid in orbe placet.*

*Simile huic fuit, quod quidam se ab homine auaro inuitatum ad prandium dixit, & adijt; quod auarus in oblata sibi ab illo charta sic inscripta legisset; Frater Petre venã pransum.* Intẽtio est quæ actus nostros alios & alios facit; *actus enim distinguuntur secũdum obiecta & fines.* Vt quis *sartor* sit aut *sutor*, sarcire non sufficit (vtriq; enim hi opifices *sarciunt*) & in eadem materia; sed vt quis sartor dicatur aut sartoriam exerceat, oportet sarcientis esse finem, facere vestimentum; vt sutor sit, sarcientis finem aut terminum calceum, crepidam, vel soleam, aut ocream: quia hi horum artificiorum scopi sunt. Sic vt actio aliqua dicatur virtuosa, aut in tali aut tali virtutis genere, non sufficit ex natura sua esse bonam, aut esse in tali aut tali specie (vt si dicamus a-

ctum constantiæ, misericordiæ, ac aliarum virtutum) sed oportet scopum esse bonum, & actum agentis tendere ad talem finem. Exempli gratia qui vult bene facere, inquit Adrianus, Deo placere, iuste iudicare, liberalis, fortis, magnanimus, temperans esse, quæ omnia ex natura sua bona sunt, & singula ad virtutis aliquam classem & ordinē reducuntur; si omnia hæc ad gloriā ad sanitatem facias, siue consideres tanquam totalem aut partialem finē, actus nec iustitiæ est, nec liberalitatis, nec magnanimitatis, sed malus: & secundum receptum Aristotelis dictum, qui certaret quā fieri potest fortissime, si tamen id pro honore, aut gloria, aut infamia faceret, nō ideo fortis diceretur; sed solū probus, & secundū S. Augustini dictum ciratū à magistro sententiatum, & S. Thoma, aliisque, qui concionatur vt viuat ac se alat, non tantum non meretur, sed etiam peccat. Et iuxta Caietanum, qui dat eleemosynam vt laudetur, peccat saltem venialiter: & Gratianus ante hos omnes, quidam propter verecundiam & donum perdit & meritum. Nec facit bene, qui bene facit ex timore. Et ego dicerem cum Aristotele, qui eleemosynā dat, intendens alium corrumpere, & peruenire ad adulterium, non tantum bonum non facit, sed adulter potius dicendus quam beneficus.

*Adrian. quodlib. q. 1.*

*Arist. 3. Ethic.*

*Mag. 2. dist. 38. D. Thō. quodlib. 2. act. 2. Caiet. in Matth. c. 7. pag. 2.*

Hoc est quod dicere volūt nōnulli Theologi, Christianos non saluari per verba, sed per aduerbia, i. ieiunare solum, orare, eleemosynas facere, cōcionari, *hoc* aut illud bonū facere, salutē non adferri; sed *bene orare*, bene ieiunare, & sic de cæteris. Duplici *Heliæ spiritu* opus est; duabus vaccis ad portandā Arcam, duobus pullis ad sacrificiū, bono opere, bona intētione. Sicut enim mala quędam bono fine, & bona quędam malo fine dicuntur, vt inquit S. Gregorius, sic etiam sæpe mala bono fine, & bona malo fine fiunt, & bona generaliter omnia corrumpuntur, & censentur mala quando diriguntur ad malum. Absolon non rem de se bonam fecit, peregrinationem suscipiens in Hebron, quis dubitat? quia illuc se contulit, vt sub tali prętextu facilius patri eriperet coronā, non tam peregrinatio

*Greg. 23. mor. cap. 7.*

ginatio fuit, quam ambitus & affectatum imperium. Si Herodes Rex cum tribus ab Oriente Regibus iuisset in Bethleem adoratum nouiter natum Iudæorum Regem, vt dicebat (*vt & ego veniens adorem eum*) nonne opus feciſſet bonũ? Imo ſane. Sed ſi vt poſtea ipſum in loco obtruncaret (vt prætendebat) hoccine iter appellares ſanctum? hãc adorationem actum religionis, & non potius inſidias, proditionem, ac ſicariatum? *Cuius finis malus eſt, ipſum quoq; malum eſt.* Matth. 2.

Beata Virgo procul dubio noſtries deoſculata eſt filium ſuum paruulũ; *oſculatur me oſculo oris ſui.* Magdalena eius pedes, Iudas os, Simon leproſus reprehẽditur quod Dominum oſculatus non ſit. *Oſculũ mihi nõ deediſti.* Beata Virgo merebatur, Magdalena veniã obtinuit certã, ac internam gratiã, Iudas inde ſuam cœpit damnationem. Quare? quia beata Virgo oſculabatur filiũ amore caſto, Magdalena affectu religioſo, Iudas prodẽdi ſtudio, *cuius finis bonus eſt, ipſum quoq; bonum eſt; cuius finis malus eſt ipſum quoq; malum eſt.* Medicus ſecat, vrit, latro pungit, mutilat, argentum do medico pro mercede, argentum do carnifici vt laqueum emat latroni. Vnde hoc? quia rigor in me medici ab amore ſanitatis, rigor latronis ex cupiditate ſpoliandi proficiſcitur. *Cuius finis malus eſt, ipſum quoq; malũ eſt.* Pius lapidẽ à terra tollit, vt ad ædificium templi conferat; iratus idẽ facit, ſed vt proximũ feriat: pius meretur, alter demeretur, ſolum etiã leuans, vterq; propter intentionem. Abraham & Sara vterq; riſit, cum in ſenectute ab Angelo ſibi promitti audiuerũt filium. Sed riſus Abraham probatur à Deo, quia credebat promiſſo: riſus Saræ damnatur, quia erat irriſio. Gladium porto, portat & latro; peccat ipſe, nõ ego: habeo enim ad defenſionem meã, quam lex, natura, & Deus permittũt. Latro habet ad offenſam alienam, quam lex, natura, & Deus prohibent. Ouid. lib. 2. Triſt. Gen. 15. & 21.

*Et latro, & cautus præcingitur enſe viator:*
*Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem.*

Intẽtio ſicarij ferre gladium (rem ex ſe alias indifferentem) peccatum facit mortale. Intentio peregri-

nantis, & cura sui bene ordinata, *cũ moderamine inculpatæ tutelæ*, ipsum facit inculpabilem; imo vt mereatur. Exiguus scorpionis ictus, totum hominem inficit; exiguus aculeus crabronis vrit, modicum fermẽtum tam massam corrumpit, modicum aceti dolium integrum optimi vini. Mala intentio adeo maligna est & energetica, vt totum alteret ac inficiat bonum opus, & indifferentia faciat mala. Quid non facit igitur in operibus iam malis & vitiosis? Quanto illa faciet deteriora? quomodo ex muscis faciet Elephantes, quomodo montes ex parua gleba? *Si in viridi ligno, in arido quid fiet? si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt.*

*Matth. 6.*

Error, aut infirmitas, in simplici inobedientia, aut potius obediendi negligentia, si accedat intentio ac voluntas non obediendi, crimen fiet pertinaciæ, contumaciæ, & simile peccato ariolandi. Nonne hoc in facto Saulis patuit? qui contra Dei mandatum pepercerat Amalec, & bestias seruauerat in sacrificia.

D. Bernard. lib. de præcept. & dispens. ] *Elatio contemnentis, atq; impœnitentis obstinatio, in minimis quoq; mandatis culpam facit non minimam: & conuertit in crimen grauius rebellionis, nemini satis leuem simplicis transgressionis. Non est enim idipsum, nolle obedire. Hoc quippe interdum erroris est; nonnunquam & infirmitatis: Illud vero aut odiosæ pertinaciæ, aut cõtumaciæ nõ ferẽdæ.*

Ibid. ] *Non qualiscunq; mandati prætermissio, criminalem facit inobedientiam; sed repugnare, sed nolle obedire.*

O quantum refert, qua intentione quid fiat aut nõ fiat? Ipse etiam Diabolus parum curat quid boni vel mali faciamus, dummodo hoc habeat, vt bonum faciamus intentione mala, aut præpostera, aut parua cum magno feruore & intentione faciamus peccata.

Nam vt inquit Gregor. in moral. ] *Si semel cor intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas & terminus ab hoste callido secure possidetur, quoniam totam arborem sibi fructus ferre conspicit quam veneni dente in radice vitiauit.*

Diabolo enim in hac re sufficit, quod sibi seruiatur, etiamsi

etiamsi hoc directa seruiendi opinione non fiat.

Nõne hoc tam serio alias Dominus noster docuit: *lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit; totum corpus tuum tenebrosum erit.* Pharus, specula, clauus actionum vestrarum, oculus, cor, intentio sunt. Si oculus solum Deum intuetur, omnia sana, omnia salua. Si oculus, aut intentio declinat, vana perditaque omnia. Oculus in plerisque rebus satis garrulus est, & sæpe corporis & animi constitutionem, gaudia, amores, sanitatem, morbos enuntiat. Vnde & apud nos prouerbium, hominem benedispositum, bonum habere pedem, bonumque adspectum. Quo & hoc spectat, quod porcorum morbos ex oculis, ac lingua discamus: sic etiam sæpe sanitatem ac vitia operum nostrorum indicat oculus, intentio, siue respectus. Die quodam S. Bonauentura, aut alius aliquis sanctus, vt aiunt, assidens mensę, rigide obtuebatur, fixoque oculo Principem fœminam, præsente marito: oculus eius erat simplex, intentio bona; cum enim maritus nõ zelotypus, nec mali quicquam cogitans, sed admirans rogasset, *quid ita obstipus intenderet in vultum fœminæ?* respondit *se admirari creatorem*, atque ita secum argumentari: *si creaturæ tã rara, tam pulchræ, tam insigni sunt specie, Creatorem certe infinito oportet esse pulcriorem; & si in miserabili hac lachrymarum valle mortales tot dotibus ornentur, post resurrectionem in cælis quanto magis resplendescent?* S. Bonauentura, aut quicunque fuerit, *Expleri mentem nequit ardescitq; tuendo.* Bona tamen intentione, surgendo inde altius, in amorem Dei. Et opinor S. Patrem tantum ea re meritum, quantum alius quidam Abbas, nomine Prior, qui propter Deum plane faciebat oppositum: nec aspicere quidem voluit sororem propriam, viduam, & infirmam, sed clausis spectandum ei se exhibuit oculis. Paris Troianus nihil prope amplius fecit quam S. Bonauentura, in mensa Menelai, coram Helena. Vnde ipsa sic ei scribit.

*Virg. 1. Æn.*

*Pallad. hist. 87.*

Ouid. Ep. Helenæ ad Paridem.

*Illa quoq; apposita quæ nunc facis improbe mensa*
*(Quamuis experiar dissimulare) noto.*
*Tu modo me spectas oculis lasciue proteruis,*
*Quos vix instantes lumina nostra ferunt.*

Sed ipse perpetuã inde reportauit ignominiã, corpus simul & animã adulterans & totum iter infamãs. Quare hoc? nisi propter oculi & intentionis nequitiã. Raptum enim intẽdebat, & adulterium. Intẽtio enim totum facit. Vnde Dominus noster non appellat mœchos qui respiciũt in fœminã, sed qui *ad concupiscendum*; aut quãdo tales obtutus, quos honestos forte speraueras, in malum declinant. Nam *ad concupiscẽdum*, i. vt concupiscas, vel donec concupiscas. *Qui viderit mulierem, ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.* Nec omnem iubemur proijcere oculum, sed eum qui te scãdalizat: non omnis affectus prauus, sed qui malum intendit, aut ad malum tendit. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te.*

Omitto quod Lupus quidam Episcopus Zenonum, in publico sine scandalo, deosculatus sit filiam prædecessoris sui, quam nõ minus caste quam tenere amabat. Item quod S. Abraham Eremita, de solitudine exiuerit prope vt apostata, habitu amatorio; vt neptem sequeretur ac retraheret fugitiuam. Exempla tamen magis admiranda quam imitanda, quæ melius aureis istis quam ferreis nostris conuenirebant seculis.

Imo sane, dilectissimi, recta intentio apud Deum & homines tantum valet, vt si totum opus iustificare nõ possit, multum tamẽ excuset; *si non à toto, saltẽ à tanto; & multo minor culpa sit in eo qui bonũ diligit & malum nescius agit*, inquit S. Bernardus. Nonne verisimile aliquo modo excusabilẽ fuisse Loth quod filias suas Sodomitis furentibus prostituere voluerit, cum pia esset intentio, maius flagitium impedire volens, fornicatione liberare hospites Angelos in humana specie, tradens filiarum mortalia corpora. Et Iacob cubans cum Lia, intendens cum sponsa Rachel consummare matrimoniũ, bonum diligebat, malũ nescius agebat. Certe pro facto Loth, notãda est S. August. sententia

*S. Bern. de præcept. & d. Sp.*
*Genes. 19.*

D. Au-

D.Auguſt. in quodam ſerm. ] *Deſinunt eſſe peccata, quæ propter grauiora vitanda, ſuſcipimus.** *Sicut enim in rebus vtilibus, non vocatur damnum, quod propter maius lucrum admittitur, ne grauius admittatur.*

* *Mel. forte (Sic enim)*

Bene etiam notandum, vt efficacia intentionis tam in bonum quam in malum intelligatur, quod reſpiciamus ſæpe magis ad intentionem, quam ad euentum. Exemplum Ioſeph venditus a fratribus in Ægypto, vice rex factus eſt; non tamen ideo bene de illo merebantur fratres: quia non promouere, ſed opprimere ipſum intenderant. Chriſtus Ieſus per mortem in cruce nomen acquiſiuit quod eſt ſuper omne nomen, quod caput ſit totius Eccleſiæ, quod ſalutem per eum conſequamur, niſi defectus ſit in nobis: interim gratiam nec ipſe nec nos Iudæis debet, qui eum emerunt, nec Iudæ qui vendidit & tradidit, nec Pilato qui crucifixit, nec Diabolo qui hos omnes inſtigauit. Nihil enim minus quam exaltationem aut gloriam Chriſti, aut redemptionem noſtram intenderunt, ſed tantum ſanguinem perdere innocentem. *Filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo: væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur.* *Matth. 26.*

Tyranni & hæretici ſemper Eccleſiæ incrementũ cauſarunt, tam in numero, quam in pietate, & ſcientia, fecerunt vt refloreſceret (eius enim naturæ eſt) vt percuſſa fiat fœcundior, quod de nucibus aiunt, ac preſſa inſtar palmæ reſiſtat fortior. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Vireſcit vulnere virtus.* Hæretici noſtri temporis quomodo litteras ſuſcitarũt, quomodo promouerunt reformationem. Eccẽ us ille fuit opetis, non finis operantium: qui nihil niſi ruinam quæſiuerunt, ac ideo nullam ipſis debemus gratiam quod ea ſic euenerint; ſed ipſi debent nobis pœnam ſceleratæ ſuæ intentionis. *Ouid. Eleg. de Nuce. Pſal.*

*Non quid fecerint ſed quid voluerint, quo ſpectarint, Dominus videbit. Cor eorum non erat rectum cum eo.*

D.Auguſt. tractans illud Matthæi 6. ſi lumen quod in te eſt, &c. ] *Quod nõ bona intẽtione facis, nõ tibi proderit, quia, quomodo feceris, non quomodo illi euenerit, tibi imputabitur.*

D. Bernard. de præcept. & dispensat.] *Is oculus quam est, qui peruersus pariter & cæcus bonum agit, & malum credit.*

Pub. Mimus.] *Nihil interest, quo animo faciat quod fecisse vitiosum est. Nam facta cernuntur, animus non videtur.*

Idem est cum quis vacãs rei licitę, volens & cogitã prodesse, nocet atque officit. Nõ opinor enim Deum proboſque viros tam euenta pensare, quam consilia.

*Ouid. 2. Epist.*

*——careat successibus opto,*
*Quisquis ab euentu facta notanda putat.*

D. Chrysost. tract. de symbolo.] *Opus non excusat ex causa fit crimen.*

Quot Medicos videmus, dum iuuare volunt, necare? Quot Duces regnum perdere quod seruare studebant? Quot Nauarchos, quot Aurigas, nauimcurrumque & merces euertere, dum temoni & gubernaculis aduigilant. Sed quis vnquam ea de causa aut Medicos, aut Duces, aut Nauarchos vidit ad mortem peti. *Qui præter animi sui sententiam lædit reus non est patrati facinoris*, ait Philo. Multum saltem videntur excusabiles, ac maledici in nostra Hannonia: Nullum haberi infortunium, ac omnia infortunia æqualiter puniri tanquam voluntaria; contra legem Mosi quæ in tali casu dabat ciuitates refugij.

*Philo Iud. de migratione Abrahami in fine.*

D. Bernardus de præc. & dispensat.] *Non penitus excusat intentio recta.*

Quare, dilectissimi, ante omnia obsecro vt rectam & sanctam studeamus habere intẽtionem, ac præscindere quantum possibile, quicquid ad dextram vel sinistram abducit: semper intenti in Deum, in honorem ipsius. Ille vester scopus sit, aut solus aut principalis, vt monet in Canticis *Pone me vt signaculum super cor tuum*. In me tanquam in scopo omnia vestra opera collimate, ego vobis statera sim, qua omnia vestra trutinetis: me tãquam bilancis linguulam semper attendite. Ego vobis Pharus sim, ego cynosura nauigantium, ego Sol quo tanquam Heliotropij florem vestrum semper obuertatis: me respicite vt Argus

suam

suam Io. *Constiterat quocumq; loco, spectabat ad Io*
*Ante oculos Io, quamuis, aduersus, habebat.* *Ouid. lib. 1. Metam.*

D. Gregorius lib. moral.] *Summa cura vigilandum est, ne vel bonis operibus seruiens mens reproba intentione polluatur.*

Deus semper sit oculus tuus, principale intentum, vt dicere possis cum Dauid, *Oculi mei semper ad Dominum. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper sic vt oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri.* *Psal. 17.*

Semper respicias in manus eius, non solum vt pauper in diuitem, vt claudus ille in S. Petrum & Iohannem; sed vt fideles magistri, ad nutus, ad signa, ad indicia dominorum, vt statim præsto sint; non secus ac amator in amicæ suæ motum omnem accurrit, vt ei complaceat. *Cuiusmodi homines vere Placentinos, & Laudenses appellaris.*

Quicquid dicas, quicquid incipias, quicquid facias, omnia ad Dei honorem, *ad maiorem Dei gloriam*, sicut sæpe dicunt Patres Iesuitæ. *Dico ego opera mea Reg: Dico, pro dedico, Nauarri sensu.* *Psal. 44.*

*Omnia, quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite.* *Coloss. 3.*

*Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* *Psal.*

*Quoniam gloria virtutis eorum, tu es.*

Hæc illa intentio est quam in S. Petro petebat Dominus, committens illi curam gregis. *Petre amas me*, nec prius ipsum inuestiuit summum Pontificem, per ista verba *Pasce oues meas*, nisi primum protestatus esset Petrus amorem suum. Voluit bonus Dominus vt S. Petrus recta in Deum intenderet, nihil obliquum quasi luscus respectaret, qui alio vultum alio oculum deflectunt. Voluit vt gregem quæreret, non lanam, non quæstum, non honorem, non dignitatem; sed Deum solum: idque actu ab ipso requisiuit, tanquam in noui status susceptione; qui speculum & perfectionis exemplum fieri debebat aliis, noluit vt terrenarum rerum consideratione, cælum quæreret.

*Nauar. comment. de fin. hum. act. pag. 38. edit. Venet. in 8.*

Notãdum hic ad ſolatium puſillanimium, ac ſcrupuloſorum: quod quamuis actualis intẽtio in Deum vtiliſſima ſit, non tamen ita nos ad eam obligati vtoties peccemus, quoties omittimus: iniquũ enim eſt credere omnia noſtra opera eſſe peccata, quæ in Deũ tanquam vltimum ipſorum finem actu nõ referimus. Sciendum etiam quod multi opera ſua ignoranter in Deum referunt, quę referre ſe non putant: & multi referre ſe putant, qui reuera non faciunt. Quod vt intelligatur notandum: Quod relatio operum noſtrorum in Deum, & aliorum mediorum in finem, aliquando vno, aliquando pluribus fiat actibus. Vno actu quãdo vna volitione finem volumus, & media ad eum finem ordinata, iuxta S. Thomam. Et multum differt velle hoc aut iſto modo, vno aut pluribus actibus. Quãdo enim finis bonus eſt, media mala; aut contra finis malus, media bona; cum iſta vno ſolum actu volumus totus actus malus eſt. Simul enim bonus & malus eſſe nõ poteſt, ne quidẽ diuerſo reſpectu, iuxta cõmunem & S. Thomæ opinionem. Sed ſi quis ſeorſim orare velit, vel ieiunare, ac dein ſeparatim ſecunda voluntate vanam inde quærat gloriam; Primus actus poteſt eſſe bonus, etſi malus poſterior. Sciendum etiam relationem in finem duplicem eſſe: actualem, ſeu formalem, & expreſſam; vt cum vno aut pluribus actibus media actualiter referuntur in finem. Alteram virtualem (liceat huc mihi Scholarum terminos quaſi raptis torquere capillis) tacitam & æquipollentem, quæ non minus valeat quam expreſſa. Quam ſimpliciter definire poſſumus quod ſit relatio pullulans, ſurgenſque tacite, ex eo quod incluſa & compræhenſa ſit in aliqua generali, & actuali, quam quis præhabuerit: aut quę ſequitur ad aliam aliquam ſpecialem & actualem intentionem. Vel inde procedens quod talis actus dirigibilis ſit ad talem vel talem finem, cõcurrente cum eo gratia habituali, quæ ad talem finem inclinat. Exemplum prioris mẽbri. Appellare poſſumus, & reuera eſt relatio tacita & implicita, quæ naſcitur ex eo quod quis bona opera faciat, poſtquã aliquoties generatim dedi-

*D. Thom. 1.2.q.8. art. 3.*

*D. Thom. in 2 ſent. diſt. 40. q 1. art. 4. Et Maior diſt 17 q. 2. Caiet. ſup. Matth c 6. Ioc Almain Moral. c. 12.*

dedicauit & retulit omnia totius vitæ bona opera ad amorẽ & obsequiũ Dei; vt cum professionem fecit, vel Christianismi in baptismo, vel religionis, vel alterius status honesti & salutaris, quãdo illã postea cõtraria in tẽtione nõ violauit. Exẽplum posterioris. Talis est relatio milliariũ & passuum peregrinantis, (sine actuali vlla de Deo cogitatione) qui ad S. Iacobũ in Gallitiã proficiscitur, quæ surgit & sequitur ex eo quod semel vouerit visitare corpus istius Sancti. Exẽplum tertij est relatio bonorum operũ (sine actuali Dei recordatione) quæ facit qui est in statu gratiæ & charitatis; quæ inde oritur quod talia opera apta sint referri in finem vltimũ, qui Deus est, & quia à tali fiunt qui est in statu gratiæ, quæ ad talem relationẽ inclinat. Breuius (iuxta S. Bonauenturã, & post eum Gabrielẽ Biel) virtualem intentionẽ, quæ actuali æquiualeat, dicere possumus esse quando quis interrogatus vtrum rem istam tacite faciens sentiat istam intentionẽ, vere affirmare potest quod sentiat. Ex quib. omnib. apparet quem fructum habeat status gratię: fructum certe quẽ bene debemus inculcare, vos autem fidelissime retinere tanquã symbolum vestrum: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Sequitur etiam inde optime nos facturos si Deo dicamus ex toto corde, Domine, volo, nolo, dico, facio, multa quæ ex se & propter se amabilia non sunt; nec tamen ex se mala, nihil actu de maiestate tua cogitãs, nec de beatitudine, nec de aliqua virtute, quæ posset esse debitus eorũ scopus. Quare imitatus tuum Psalmistam, dedico ac cõsecro tibi & illas & omnes actiones meas, & meipsum quantus sum. Tibi Rex ac Domine Deus meus. *Dico ego me & opera mea Regi*, ac protestor de præsenti quod omnia ista velim vt tibi placeam (tibi inquam qui summum bonum, & super omnia amabilis es) Vt te venerer, qui præ omnibus es venerabilis: vt tandem perfecta tui visione exultem, qui dulcis es super omnia, vt omnes meæ cogitationes, voluntates, dicta, facta, restrictæ & relatæ saltem virtualiter, ad hunc scopum rectæ fiant, honestæ, ac ad tui cedant amorem. Quid, inquiet aliquis,

*Rom.* 8.

*Psal.* 44.

aliquis, ergone nullum alium dictorum factorumque licet habere scopum, quam Deum? In nullum alium, tanquam finem extremum. In ipsum enim iuxta Philosophos omnia referri debent, ipse in aliud nihil.

Cic. lib. 1. de finib. bon. & malorum.] *Extremum & vltimum bonorum, omnium Philoso. horum sententia tale esse debet, vt ad id omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam.*

Idem ibidem.] *Finis extremum, vltimum est quo sunt omnia bene viuendi, recteq; faciendi consilia referenda.*

Idem.] *Id est, vel summum bonorum, vel vltimum & quod Graci τέλος nominant, quod ipsum nullam ad aliam rem, ad id autem res referuntur omnes.* Nihilominus tamen secundarium aliquem finem constituere ac intendere licet; dummodo idem secundarius finis, in vniuersalem finem omnium dirigatur, qui Deus est.

*D. Amb. lib. 1. de Offic.* *D. Thom. p. 1. q. 5. art. 6.* *Arist. in Metap.* *D. Thom. 1. 2. q. 3. art. 6.* *Boet. lib. 2. prosa 2. de Consol.*

Constituere possumus virtutes morales omnes, & earum quamlibet, & quicquid honestum est, iuxta S. Ambrosium, & S. Thomam, pro nostro fine; & multa propter eum facere. Scientias etiam speculatiuas, secundum Aristotelem, & secundum S. Thomam: bona etiam quædam delectabilia, cuius classes sunt vita, sanitas, iuxta Boetium; quæ propter se bene appeti possunt, ac multo labore ac arte conseruari, restaurari debilitata. Vtilia autem bona vt pecuniæ, thesauri, hæreditates, triumphi, honores, fama, gloria, propter sea manda non sunt, sed propter alia sublimiora: & qui principaliter pro pecunia, aut pro honore, qui auro pretiosior est, actum faceret virtutis, malefaceret: si non actualiter, aut virtualiter in Deum referat, aut beatitudinem, aut virtutem aliquam conuenientem, generalem aut specialem, iuxta regulam exceptione carentem. *Cuius finis malus, ipsum quoque malum.* Quando enim finis medijs non est dignior, ineptitur dum dignius ordinatur ad indignius, & consequenter peccatur.

*Boet in Top. citatus à D. Thoma 1. 2. qu. 18. art. 4.*

Nemo ignorat virtutis & animæ bona, bonis vtilibus præstare, atque ideo delictum est hæc illorum constituere finem, & virtutes exercere principaliter pro bono

bono vtili, quod Philosophi Pagani appellare cõsueuerunt bonum fortunæ. *Summa summarum*, Plurimi interest ac studiosè curandum, vt bonum nobis præfigamus finem, in quem opera nostra tanquam sagittas collimemus; non multas habere secũdarias intentiones, non multum respectare retro missa ad aratrum manu, ne pœri appareamus ac lusci, qui respiciũt versus Picardiam quando Boulonia ardet; ne simus sicut lutræ, amphibij in terra viuentes & aqua, partim intuentes cœlum, partim terram. *Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt.* Persuadentes nobis quod in cœlum tantum figamus obtutum, negligentes terram; cum iuste de nobis dici possit *O curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes.* *Vide partẽ 1. harum Cõt.*

Ac reuera ideo inter omnia animantia solum hominem arbitror creatum rectum, vt semper in Deum ac cœlum tenderet: ideoque à Græcis hominem ἄνθρωπον dici, *id est, sursum tendentem*, & quis nouit an non inter alia idcirco etiam tot psalmi inscribantur *in finem*, vt initio orationum ac precum suggeratur nobis finis bonus, bonaque intentio. Quidni? Nam *melior est finis orationis quam principium*, & bona intentio in oratione optima est. *Finis legis Christus, finis præcepti est charitas.* Ergo proponamus oportet finem summum bonum ad quem nitamur, ad quem omne opus nostrum, dictumque respiciat, vt nauigantibus ad aliquod sydus dirigendus est cursus. *Vita sine proposito vaga est.* Seneca Ep. 96. *Eccles. 7. Rom. 10. 1. Timoth. 1.*

## II.

### *De quibus mercenariis ibi locutus sit Dominus.*

SEd philosophatum satis; forte etiam nimium de fine isto philosophico, & intentione nostrarum actionum: videamus de quibus Dominus loquatur sub mercenariorum nomine, vbi rursum non leuis surgit difficultas. Quia tam allegorice, ac moraliter, quam litteraliter, alij per mercenarios, alij per filios significantur. Dicere enim per mercenarios Scribas significari & Pharisæos, obtrectatores Christi Iesu, non videtur

detur æquum. Vbi enim inueniremus filium qui indignatus Prodigum à Patre tam benigne recipi, recusauit ingredi tectum. Dicendum foret etiam eundē hominem iam mercenariū iam filium esse, vt duas quasi in theatro sustineat personas, filij scilicet & mercenarij; idque sine necessitate, quod inconueniens. Etenim antea de eadē re plurali numero dictum sit. *quāti mercenarij*; postea in singulari dici, *erat autem filius eius senior in agro.* Et filius melior, minor diceretur abiectior, vilior, quam peior alter ac male institutus. Cum enim Prodigus dicit *quāti mercenarij abundāt panibus apud patrem meum, ego autem*, qui filius sum *fame morior*: intendit cōparare indigniores digniori. Angustię hic mihi vndiq;, vndique spinę; det mihi Dominus per gratiam suam vt illas illæsus & illaceratus transeam. Insuper si dicā Prodigum significare populum gentilem, mercenarios populum Iudæorum: quomodo id subsistet? nam gentilis videbitur se præferre Iudæo: se filium, Iudęum appellans mercenarium & digniorem ex natalibus qui abūdet panibus, quam reliqui mercenarij. Gentiles enim & Iudæi pariter Dei filij sunt, ratione creationis, hi non magis quam *illi*; neuter horū filius gratiæ, aut in statu perfecto, cum vtriq; pro fine suo habuerint creaturam; filius peccator seu populus gentilis, voluptates Epicureorum; mercenarij aut populus Iudæorum, mercedem ac bona temporalia. Et quomodo bono iure minor viliorque iudicabitur Iudæus, vtpote mercenarius, quā Prodigus siue *gentilis*? Cum Iudæus fuerit in Dei domo, *in domo patris mei*, in obediētia synagogæ, in qua tum habitabat Deus, sicut modo in Ecclesia, quam S. Paulus domum Dei appellat. *Scias quomodo te oporteat in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui.* Cum quantum ad substantiam & naturā Iudæorum opera bona fuerint, (ex genere suo inquiūt Theologi) quamuis peruersa intērio, & luscus oculus, magis mercedem quam Deum in actionibus quærens, ipsa corruperit ac peruerterit. Paganus autē foris est. Opera eius pleraque ex genere mala, in classe ac ordine damnatorum, malæ notæ & insuper cum intentio

*Cic. lib. 1. de finib.*

*1. Timoth. 3.*

intentio eius bona non fuerit, nec propter Deum, nec propter cælum, quem non cognouit operantis (quomodo enim quis aut amet aut oderit quod nescit: *ignoti nulla cupido*, & *voluntas*, vt vulgo dicitur, *non fertur in incognitum*) Ideo etsi communiter sic exponant, per mercenarios Iudæi iure nō videntur intelligi. Maxime cum quatuor ista hominū genera, filius probus, filius Prodigus, serui, mercenarij, quatuor videantur repræsentare qualitates conscientiæ, vel quatuor genera seruorum Dei: vt per mercenarios intelligēdi veniant nescio qui homines, qui quāuis Deo in Dei populo seruiant, ac in Dei domo, ac inde liberalē à Deo trahant sustētationem, vel animæ, vel corporis, vel vtriusq;: sint nihilominus viliores & contemptibiliores ipsis Paganis, ac peccatoribus quantumcunque à Deo alienatis. Sicut in diuite familia, mercenarius (propter seruitium quod præstat, etsi fidele) semper filio vilior est, quātumuis contumaci, & immorigero. Sed nescio vbi tales homines possimus imaginari: quia sub homine peccatore immediate bruta cōstituuntur, & bestiæ, quæ carēt ratione. Sum certe hic in arcto, nec video satis quos per mercenarios illos intelligam; nisi palpando quasi in tenebris, ac libere submittendo me perspicacioribus. Inuestigemus igitur quā possumus optime, & vt licet. Ac notemus primo, Nō esse sermonem de omnibus mercenariis, sed de magna parte: nā *quanti mercenarij*, dicit. Secūdo. Mercenariū & voluntarium siue gratuitum esse opposita *Quāti mercenarij*, non volones, inquit. Tertio. Totum mundū ac habitatores omnes in duos diuidi populos gentiles & Iudæos. Omnes vero Dei filios dici per creationem. Nōnulli autem horū, vitæ degeneratione primum filiorū nomen perdunt: sicut riuuli aliquādo aliquo accidēti, aut casu dilabentes in alueum maiorem, laxiorem, salsiorem, dulciorem, &c. cui se iungunt ac superātur, mutantque fluxum, colorem, saporem, ripasque suas, aut alio aliquo modo alterati.

Secundū hoc intelligimus meliores ex Iudaico populo, & sanctiores, vel, reuera vel opinione, vel professione

fessione; quales erant Scribæ, *magistri nostri* in synagoga Pharisęi, qui putabantur *vere religiosi*, filium probum excepto tamen quod felicitati fratris sui inuidens censuerit, & censuerit nimis libere actiones patris. Pro mercenarijs habere debebimus surculos quosdam eiusdem populi, imperfectiores, destitutos amore & filiali in Deum affectu, plenos mercenariorum & seruili spiritu; manentes tamen in maiorum fide ac synagoga, vera tum temporis Dei domo, sed in primario propter mercedem, nec hoc quidem propter illam summam alterius vitæ, sed propter infimam huius seculi, vt pro regno, sanitate, diuitiis, terraque promissa. Seruire enim Deo ex amore, quia optimus est, & maximus; quia dignus est cui obediatur & seruiatur etiamsi nulla etiam sequeretur vtilitas, ac ipsi placere copiosum arbitrari salariũ, hoc est quod filium facit, quod volonem, quod gratuitum. Contra vero ita lucroinhiare, vt illo negato negemus seruitium, & ideo agere bene, hoc demum constituit mercenarium ex filio. Per mercenarios igitur nostri textus Dominus nostter lucriones illos intelligit, ac illã Iudæorum fæcem, quæ bene non viuit nisi vt sibi bene sit, & propter mercedem terrenam. *O curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes.*

Tren.3.] *Perijt finis meus, & spes mea à Domino.*

Ac nihilominus merito Prodigus seu gentilis illos sibi prę fert; nam sunt moraliter meliores, & maiorem habent conscientiæ tranquillitatem. Sic opinor explicandos esse Doctores, qui per mercenarios Iudæos significant: id est, ex Iudæis nonnullos, illos nimirum qui recte non agerent, nisi inde quæstum facerent, ac lucrum terrenum.

D. Ambro. tom. 5. lib. 7. in Luc. c. 15.] *Intelligere videtur per mercenarios populum Israel. Mercenarij autem (inquit) qui sunt, nisi qui ad mercedem seruiunt? qui sunt ex Israel, non id quod bonum est, probitatis studio, persequentes, nec virtutis gratia, sed vtilitatis studio prouocati.*

Albert. mag.] *Quanti mercenarij ad domum patris mei*

*nei non pertinentes sed mercede temporali sibi constituta, seruientes, sicut Iudæi, qui semper spe mercedis temporalis seruierunt.*

*Beda & Puherbantius in hac mente. Maldonatus autem reijcit qui sic mercenarios istos interpretantur.*

Et hęc nostra distinctio aut eiusdem populi in duas partes diuisio, expressis verbis à S. Hieronymo tangitur,

D. Hieron. ad Damasum.] *Mercenarios secundum alium intellectum eos aduertimus ex Iudæis qui ob præsentia tantum legis præcepta custodiunt.*

Vel etiam recte mercenarios Scribas & Pharisæos appellat, omnia propter mercedem faciẽtes. Sed quomodo? eruntne iidem filij & mercenarij? Erunt: sed diuerso respectu. Prodigus enim noster, filius est sui patris, & mercenarius, aut potius seruus eius cuius pascebat porcos: Oportet distinguere personas & tempora. Pharisęi & Scribę filij Dei erant, quia Dei legem custodiebant; mercenarij vero, quia custodiebant eam tantum quatenus sibi vtilem. Aut appellat mercenarios qui Christum sequebantur, vt viderent miracula, & propter panes, vt tum temporis non pauci, cum transiret pascendo, sanando, &c. Aut etiam mercenarios proselytos appellat, id est, Paganos, qui amplexantes Iudaismum circumcidebantur; non tam forte ex religionis, aut Diuinæ legis amore, quam vt pacatius inter Iudæos viuerent, nec vexarentur ab ipsis, tam bello, quam pace; vt proh dolor Christiani quidã apostatæ inter Turcas faciunt, qui Mahometismum & circumcisionem suscipiunt, tantum vt seruitutem suam subleuent. aut apud ipsos fidem inueniant.

Aut etiam subiugatos aliquos bello à Iudæis, quales olim Gabaonitæ.

Est igitur ac si Gentiles dicant. Heu nos miseros! minimi Iudęi, qui Deo non seruiunt nisi propter temporalia bona, propter subsidia miraculosa, &c. multo nobis sunt fortunatiores. Instituuntur enim ad recte viuendum per legem, quæ legitur per omne sabbathum, melius etiam viua Apostolorum voce, optime

per Christum ipsum. Per ipsos stat si nõ singulis horis remissionem accipiant peccatorum, in ædibus, in synagoga, in templo Salomonis, in orationis domo, & nos hic in infidelitate ac sordibus nostris perimus, nemine animas nostras curante. Nonne sic res habent?

Vel si Prodigus iste repræsentet publicanos ac peccatores publicos, qui iam in ore omniũ erãt; cum quibus aliquando manducauit Christus; mercenarios qui abundabant panibus explicare possumus, operarios, pauperes, mechanicos, etiam ad litteram, omnes qui ex artibus suis viuebant, ipsos etiam Apostolos, & discipulos Christi, qui plerique manibus quærebant victum, & sudorem suum manducabant: ipsum etiam S. Petrum, de quo S. Hieronymus: *Diues non fuerat, sibũ manu & arte quærebat.* Item plebeculam ac mechanicos sollicitos de salute, quorum felicitatem & sermonum Dei abundantiã, qua gaudebant sequentes Christum, vel vt Apostoli, vel tanquam boni auditores, studia laboresq; suos propter Domini sermonẽ intermittentes, accendebant exẽplo suo ditiores, sancta quadã inuidia; qui, vt olim S. Augustinus dicebat surgũt simplices, & rapiunt regnum cœlorũ, & nos cum nostris scientiis pleno impetu ruimus ad inferos, etiam ipsi dicebant, nõne turpe est nos ditiores ac nobiliores hic hæsitare, cum popellus iste tam feruide sequatur? Aut etiam non male Sacerdotes repræsentantur Mosaici: quia tanquã mercenarij munera sua administrabant. Omnes Sacerdotes ministri sunt: tã Dei ad homines, quam hominum ad Deum. *Pontifex in his constituitur quæ sunt ad Deum.* Vnde & Deus futuros in Sacerdotio Euãgelico, maximos ministros appellat, *qui maior est vestrum, sit vester minister*: & S. Paulus, *ministri Christi sunt & ego.* Et hæc causa est cur postea per seruos significentur, qui à Patre iubentur Prodigum reuestire.

*D. Hieron. lib. 3. in Matth.*

Item quia, sicut mercenarij pro diurno laborabãt denario, sic & Mosaici sacerdotes dotabantur propter sacra ministeria decimis, sacrificiorum partibus, oblationibus, & conuiuiis populi (testimonio est quod primo

mo Regum de filiis Heli narratur) vt nimirum qui seruiebant altari de altari viuerent, nec seruirent gratis. *Quis in vobis est qui claudat ostia mea, & incēdat altare meum gratuito.* Et maxime tempore Christi, nec populo, nec Deo seruiebant primario, sed speciatim & vnice propter vtilitatem, quam inde trahebant; rapientes quicquid possent, tenuia etiam parentum alimenta, suadentes filiis ad templum transferre. Ac eo forte respexit Dominus, dicens apud S. Ioannem. *Mercenarius, & qui non est pastor, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit quia mercenarius est.* Ioan. 10.

Item quia sicut mercenarius non perpetuum vt serui, sed pro tempore tantum obsequium præstat: accipit enim aut petit recedendi veniam, vel quando vtrique parti videtur, vel quādo dictum tempus expleuerit: sic & Sacerdotes Mosaici, maxime summi Pontifices, non erant tum nisi annui, contra institutū Dei, & à sua Regumque dependebant libidine, ac auaritia.

Item quia mercenarij seruitia præstant, sed nec tam abiecta, nec tam obligata quam serui, & ancillæ sic & sacerdotes ministri sunt, non tamen omnium abiecta mancipia. Quia deniq; sicut mercenariorum gradus tertius est, medius inter filiū & seruum communicans cum filio aliqualem libertatem, communicans etiam seruo in hoc quod seruiat; differens ab vtroque, quod laboris sui accipiat pretiū, quod nec seruus nec filius; filius enim patri lucratur, seruus Domino. Sic & Sacerdotes tertij sunt, & constituti sunt inter homines (*omnis enim pontifex ex hominib. assumptus pro hominib. constituitur vt sit in his &c.*) Et quasi tertiū gradum cōstituūt, mediū inter peccatores & bonos, vtrimq; participantes: peccatores scilicet, quatenus homines, vt reliqui; quāuis nō tāti, vt reliqui; vnde & sacrificiū offerūt primo pro se, deinde pro populo: boni etiā sicut alij, & nonnunquā aliis meliores, quod ipsos dignos facit vt primum pro se, *deinde pro populo* omnibusque aliis offerant. Vnde & sacri vnctique sunt, quod alij nō sunt; ac aliud ministeriū habent quam peccatores & iusti; exercentes autem bene officium suum non

tantum ſicut alij bene merentur, ſed etiam hic interis iure Diuino ac humano alimenta præbendaſque ſuas recipiunt, quod aliis non ita contingit, (dico de præbendis) nec bonis qui ſil j Dei ſunt, nec peccatoribus qui Dei ſerui ſunt: quamcunque etiam virtutis actionem Deo ſeruientes exerceant. Vnde & iure mercenarij nominantur, in quantum præbendas & ſtipēdia accipiunt, etiamſi tali fine ad talia miniſteria conſecrati non ſint. Sed dices. Illi igitur ſecuti ſunt ac ſeruiunt Chriſto? & viuunt de panibus doctrinæ ipſius? Reſpondeo. Quidni ipſorum aliqui? de antiquis loquor, qui antiquitus ſacerdotalia munia obierunt. Sed ſatis eſt in præſenti publicanos credidiſſe, ſecutos, eſſe, & ſeruiiſſe. Nam veriſimile multum ipſos ea doctrina potuiſſe proficere, quia familiariter eum audierant, interrogauerant, nonnunquam etiam cum ipſo diſputauerant, atque manducauerant in eadem menſa.

Noſtri publicani non multum examināt ſe, vtrum in menſa comedant, necne; vtrum hypocriſin ac fraudem in opere ſuo admiſceant; ſed curant tantum vt ſępe ad menſam conueniant, id eſt, vt auditores ſint Chriſti, ſicut & reliqui: vt Chriſtus ipſos tractet liberaliter doctrinæ ſuæ panibus, ſicut & cæteros. *Quanti mercenarij abundant panibus*, inquit: *non manducant*, ſiue enim manducent, ſiue non, abundent ſaltem vt manducare poſſint. Frequentes habent ſermones, frequentes lectiones habent, vnde proficiant in diſciplina Chriſti, & proh dolor raro illa attingunt, quia nimium ſunt intricati negotiis, toto die deſidentes ad ſcrinia & loculos.

Vel etiam Publicani, intelliguntur periſtos mercenarios; gentiles ſcilicet, ſed ad Iudaiſmum conuerſi, inſiti quaſi trunco, in radicem, & corpus ſynagogæ, per circumciſionem: qui ſaturabantur aut paſcebantur quotidie audiendis Chriſti ſermonibus, ac redibāt quotidie ad ipſum meliores; cum interim natura Iudæi, naturales rami religione cum materno lacte imbuti, quod nimium immerſi eſſent reditibus, curis, recipien-

recipiendis Regum pecuniis, non adibant synagogas tanquam excommunicati, & proinde ieiuni, fame cōficiebantur negligēres verborum Christi panem, qui toties docuerat ipsos. *Quotidie apud vos sedebam docēs in templo. Ego semper docui in templo quo omnes Iudæi conueniunt.* Vel etiam intelligantur Pagani qui nec de synagoga, nec de Ecclesia Christi erant: sed seruiebant solum Deo, ipsi subditi per creationem, accipientes salaria prouidentiæ generalis, salaria æqualia & communia omnibus; atque aliquo modo mercenarij non manentes sub tecto Ecclesiæ, vel synagogæ, sed foris; ipsius tamen mercenarij, quod satis est iuxta Græcum textum, qui non habet, *in domo patris mei* sicut Latinus, sed solum *mercenarij patris* siue domi, siue foris fuerint. Illi igitur vel quidam ipsorum quales meliores aliqui ac seuerioris sectæ Philosophi, moraliter viuunt bene, naturæ & scholarum regulas secuti. Nos autem Publicani & Iudæi, super hoc instructi à Mose, à Rabinis, & à Iesu Christo, si velimus eum auscultare, taliter qualiter ac perdite viuimus. Ecce quam hæc belle procedant, Deo sit laus. *Matth. 26. Ioan. 18.*

Vel etiam Publicani translati ad Iudæos, vt tanto se magis humilient, dicunt minimos gentilium moraliter meliores esse, in sola lege naturæ, quam ipsi in lege Mosaica, explicata à Pharisæis: ac ideo velle mutare magistrum, & commentatorem, ac in posterum audire Christum, eiusq; fieri discipulos. Et hoc quam optime. Sed quomodo verba hæc ad peccatores in genere accommodabimus? Dicemus quod peccator appellet mercenarios illos, qui abstinent à peccatis, & seruiunt Deo, sed pro bonis tantum huius vitæ: æstimetque eos se meliores, quia non putat eos secum esse in seruitute Diaboli, cum tamen reuera sint, & peccēt abstinētes à peccato pro tali tantum respectu; melior tamen est, minusq; malus, qui tali etiam respectu humano à malo abstinet, quam qui sine vllo humano & diuino respectu, in omnia scelera se precipitat. Illi boni sunt quantum ad substantiam operis, imperfecti autem quantum ad circumstantias & intentionem:

hi nequā sunt ex omni parte. D. Bern. serm. de affect. animæ.] *Hi sunt quos in seculo videmus aut nullo, aut exiguo desiderio æternorum, velut sub mercede seruire Deo & ab eo terrena petere quæ desiderant. Isidorus Clarius Brixianus Fulginatensis scholiis in hunc locum, & Corn. Iansen. in concord. paribus verbis in hac mente.*

Et reuera minimus Dei seruus, omni parte feliciot est maximo ministro Diaboli. Vel intelliguntur qui materialiter boni sunt, pro mundi gloria, illuc aut solum aut præcipue coniicientes oculum, tanquam in totam mercedem; non tamen formaliter iusti sunt.

Vel intelliguntur qui iuxta præsentem iustitiam, ac statum in quo sunt, meliores sunt ipsis secundum malitiam præsentem; qui pro tempore illo feliciores melioresque sunt, quam illi qui pro tempore isto sunt in statu damnationis: respectu tamen futuri temporis deteriores conditionis sunt, quia ipsi apud Deum prædestinati sunt: Si autem secundū futuram iniustitiam præuisi & prænogniti sunt, de numero futuri reproborum: Et sic optime vocantur mercenarij, tam quia ob bona sua opera, ac iustitiam præsentem, recipient remunerationem aliquam hic, bona quædam temporalia, vt gloriam, diuitias, sanitatem, & postea supplicij æterni aliquam moderationē: quam propter ipsorum libertatē, similem libertati mercenariorū. Tales enim hodie Deo seruire possunt, cras cessant; sicut mercenarij cum ipsis placet, & ipsorum Domino.

*Caietanus hic.*

Vel iuxta Caietanum & Iansenium, filij sunt qui gratias & maiora Dei dona susceperunt; vt sacerdotes, Reges, diuites: ac nihilominus grauiter hallucinati sunt, crassque ceciderunt: mercenarij qui minores à Deo acceperunt gratias, vt laici, subditi, pauperes, idiotæ, mechanici, ac minus deliquerunt; viuētes iuxta mandata Euangelica, communia omnibus, *incipiētes, imperfecti*, inter viride & aridum, inter calidum & frigidum, non obligantes se ad consilia Euangelica. Et hoc recte. Filij enim sunt qui liberalius & indulgētius habētur, mercenarij qui tenuius & parcius. Accidit autē sæpe vt qui maiores acceperant gratias, quando pos-

do post grauem lapsum considerant cõmunem populum simpliciter viuentem, minusq; grauiter peccantẽ, & rarius; minores illos existimãt esse se feliciores, qui contenti suaui decursu, tandem post longum tempus parua solum lucrantur, cum minori periculo: cum ipsi per alta nauigantes maria, & sublimius vt aquilæ volantes, plus quidem reportent lucri, si portum teneãt: sed cum multo maiori periculo, extremi infortunij & ruinæ irreparabilis. *Medio tutissimus ibis.*

Frater Ioãnes Granatẽsis & Maldonatus hîc.] *Illi in domo Dei significantur, qui in infimo sunt gradu sicut in domo mercenarij sunt.*

Vel magis in particulari. Querelæ sunt quorũdam diuitum peccatorum, qui mundi facultates in oculis, in manibus habentes, totis occupatis diebus sibi ipsis succẽsent quod inter tãtas diuitias adeo pauperes sint, vt nullam quietem, nullam tranquillitatem inuenire possint, morientes fame inter medios cibos, ardentes siti inter vina, sicut Tantalus in medio fontium; incedẽtes nudi, aut semitecti cẽtonibus, instar Iri alicuius, aut Iridis diuersicoloribus pannis obsiti, non audẽtes vti facultatibus magis quã *pupilli minorẽnes: videntes interim tot mercenarios, tot manuarios, artifices, mendicos, tot operarios, viuere liberaliter; contentos suo modico, eoq; honeste vtentes. *In quãtum sitis atq; fames & frigora poscunt.* Dominantes diuitiis suis, cum cõtra diuites illi & auari semper pauperes, opibus suis seruiant. *Quãti mercenarij, opifices, mechanici abundãt: abundant. Sed quis diues qui nil cupiat: Ego autem (diues, Quæstor, Publicanus, Gryphus hyperboreus, auri custos atq; incubator, &c.) fame pereo, fame pereo. Sed quis pauper? auarus eget semper, auarus eget.*

*Pytag. in Prouerb. Philos. Iuuen. Sat. 14.*

D. Ambro. de Naboth Israelita.] *Pauperiorẽ se iudicat omnis abundans, quia sibi deesse arbitratur, quicquid ab aliis possidetur: toto mundo eget: cuius non capit mundus cupiditatem.*

*Vide D. Ambros. tom. 3. lib. 3. Ep. 1. Quis pauper quis diues.*

Horat. 3. carm. 16.] *Crescentem sequitur cura pecuniam, maiorum q; fames.*

Idem 1. serm. 1.] *Nil satis est inquit.*

Publ. Mimus.] *Tam deest auaro quod habet, quam quod non habet.*

Iuuenal. Sat. 12.

*Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,*
*Sed vitio cæci propter patrimonia viuunt.*

Vel querelæ sunt cuiusuis alterius diuitis, & prodigi; qui post rem decoctam redactum se videt ad paleas (quales modo plures, quos intolerabiles vestiũ luxus, conuiuia, sumptus, heu nimis commune hodie vitiũ, ad rem arctam contraxere.) Videns autem ex altera parte homines modicos, terræ filios, ad copiosas promouisse diuitias, magnos ex pedite factos equites, ex parui-lucriis & sordidis mercibus, iam potissimos factos esse mercatores, quique vnum pro dote attulerãt obolũ, iam modios implere argenti & auri, exaltare ceruos *cumulo Hesiodio*, saccos thesaurorum; hos inquam videns, suum inuadit miser capillum, clamans, *quanti mercenarij abundant.* Quam multi è tenuitate inceperunt, & ex illo nihilo quasi mundum cum Deo fabricarunt, incomparabili corrasa opulentia. *Ego autem hic fame pereo.* Et ego filius tanti mercatoris, *alba gallina filius, filius Deorum*, qui negotia mea tantis opibus incepi, tantis mercibus, hic fame pereo.

Aut querelæ sunt peccatoris vel peccatricis, maxime carnalis, quæ se aliis comparat in alio genere peccãtibus; quæ se filiam nominat propter præteriti temporis gratiam, & inter mercenarios se computat, sed mercenarios Diaboli; propter peccata præsentia: quæ alios peccatores abundare dicit panibus, quia illos in suis peccatis minus videt inquietos; se autem contra mori fame, quia toties iam experta est cupiditates carnis quotidie repullulascere, hodie forte fessas ac lassas, cras iterum auidas & famelicas. *Cras quoq; fiet idẽ,* malum illud ex suo vt Phœnix cinere nascitur. *Ouid.*

D. Hieron. Epist. *Libido enim transacta, semper sui relinquit putredinem & nunquam satiatur, & extincta reaccenditur, vsu crescit & deficit.*

Cicero lib. 2. de finibus.] *Vnum nescio quomodo possit (quis) si luxuriosus sit, finitas cupiditates habere.*

Public.

Public. Mim.] *Luxuriæ desunt multa, auaritiæ omnia.*

Ac reuera omnes amantes sunt mercenarij. Non enim diutius seruiunt quam volunt, aut hic, aut illa: ac tantum præstant, quantum soluitur.

O bellas, ni fallor, expositiones, gratia tibi sit Domine, qui has mihi suggessisti, etiam præter spem. *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum. Magnificate Dominum mecum. Non nobis Domine, non nobis, sednomini tuo da gloriam.* Psal.

## III.

### *Qui mercenarij dici possint, qui non, contra nonnullos calumniatores.*

VEniamus modo ad alias mercenariorum species, operas & actiones virtuosas locantium: bonas alioquin, nisi fierent propter interēam mercedem. Quis non dicet Patronos & Aduocatos mercenarios, qui in speciem misericordiæ opera præstant, subueniūt pauperum & oppressorum caussis; sed reuera mille etudelitates exercent, nec verbum dicunt, aut scribunt, nisi magno pretio, ac sæpe non illuc conferunt industriā vbi iustitia, sed vbi aurum est? *Ibi fas, vbi plurima merces.* Lingua, calamus, conscientia, cor, anima, omnia ipsis venalia. Nunquamne legistis Ciceroni olim à Sallustio obiectum, *Leuissimus Senator mercenarius Patronus.* Lucanus.

Salustius Orat. in Ciceron.] *Minime mirandum, si eloquentiam flagitiose venditas, quam turpissime parasti.* Cicer. resp. in Salust.

Et Cicero vt retaliaret, ipsi obiecit: *Senatus honorē ita gessit Sallustius, vt nihil in eo non venale habuerit, cuius aliquis emtor fuerit.*

Et nescio quis apud Plautum iactare audet, se nihil æque ac linguam habere venalem.

Plautus in Sticho Act. 4.] *Neq; aliud quicquam, nisi quod hoc habeo pallium, præter vnam linguam quoque etiam venditariam.*

Ac Domini isti sæpe admodum diuites sunt, sæpeq; *abundāt panibus, carnibus, canibus, auibus, &c.* Et quomodo non? Exorbitantia accipiunt salaria, & insuper

munera ipsis salariis maiora, non raro vtraque manu, ab hac & ab illa parte: quod vitium Quintilianus à perfecto Oratore omnino vult abesse, vt melius iustitiam contra iniuriam tueatur.

Quintil. l. 12. instit. ] *Submouendum vero est vtrum ambitus genus, vel potentibus contra humiles vendítanda operam suam; vel illud etiam iactantius, minores vique contra dignitatem attollendi.*

Ouid. 1. Amor.

*Turpe reos euita miseros defendere lingua*
*Quod faciat magnas, turpe tribunal opes.*

Reuera pessimum hoc in ipsis est, quod clanculum duabus manibus dona capiant, facientes se pensionarios & mercenarios partis aduersæ, prodentes causam quam publice tuentur. Cauete ne & hic tales inueniantur, inter istos formularios. *Quanti* dicit Prodigus, quam sunt hic multi, etsi antiquum habeat prouerbium, vnus in vrbe Aduocatus, vna nux in vinea, vnus porcus in segete, vnus seditiosus in exercitu satis est ad perdendum & destruendum totum. Inuenimus profecto Athenien sem quendam Oratorem, nomine Demadem, decem accepisse talenta, solum vt taceret nec officeret causę interloquendo. Et certissimum est, quod refert Plutarchus & Aulus Agellius, Demosthenem cum vno die fortissime restitisset in pleno legatorum Milesiensium conse ssu, qui Athenas auxilia petitum venerant; reductis iam quasi ad desperationem rebus, cum sententia dilata esset in crastinum, legati quantū in vtramq; partem Demosthenis lingua posset experti, domi multo argēto linguam eius redemerūt: postridie reuersus Orator in Curiam, obuoluto lanis collo, simulauit morbū & Anginā, qua prohiberetur loqui vt pridie: non latuit peritiores ac naturiores in isto cœtu, vnde quidam sentiens fraudem, exclamauit. *Non Anginam sed Argēt anginam patitur Demosthenes*, i. Argento obmutuit, cuius grandi bolo, os heri ita patulum, ita hiulcū, legati obturauerunt ne vltra latiret. Occurrit mihi ad hanc rem, quod aliquando à Nicolao Stegero, præceptore meo, quē honoris causa nomino,

*Vide Gell.*

*Plutarch. in vita Demosth.*

*A. Gellius noct. Attic.*

nino, in scholis memini audiuisse. Aduocatus cũ vaccã icliente suo accepisset, vt tãto melius inuigilaret causæ; bouem vero clanculum à parte opposita, aut vt cõniueret (si addixisset alteri operã) aut vt reiiceret si necdum; postmodum in litis processu, videns dator vaccę patronum suum admodum remissum, & frigidũ, duo hæc verba Latine forte insusurrauit in aurem: *loquere vacca.* Aduocatus lepide ipsi reposuit, *bos nõ fimit*: quasi dixisset illud antiquum, *bos in lingua*; vel taceo cętera, linguam occupauit bos quidam ingens. Nõne hoc est agere mercenarium, vt abũdes panibus, vt diues fias; & tandem miser canat cliẽtulus, *ego autem hic fame pereo*: tum quod vtraq; manu accipias, tum quod linguam bis vendas, semel ad patrocinium, semel ad silentium. Non erraturus multũ mihi videtur, qui istos homines de ridiculo compararet Batto. Qui (vt mysticæ habẽt Ouidij fabulæ) custos pascentis gregis, inductus fuit à Mercurio, oblata vacca, tacere ac celare furtum: acceptata conditione, & promisso silentio, Mercurius alia iam specie ad ipsum redit ignotus, mutata veste ac lingua, rogans nũ vsquã vidisset pascere armẽta, promittens si indicaret vaccam & bouẽ: bellus homo oblitus prius acceptæ vaccæ, illectus duplicato prẽmio, duplicatis etiam verbis vbi esset edocuit. *Senior postquam est merces geminata, sub illis montibus (inquit) erant & erãt sub montibus illis.* Confessionem, vt aiunt, Diabolo faciens, & furem furi accusans auaritiam, & fidem ipsius inuestiganti. Sic & patroni isti mercenarij & munerarij, si vaccã non dederis, frigent pro causa: si dederis, & alter pretium geminauerit, fallunt ac destituunt tutelam: etiam saccum & fundamenta causæ clanculum aperiũt contralitiganti. Professi publice defensionem tui, clanculum vero capitales inimici. *Munera excæcãt oculos sapientum & mutant verba iustorum.* Nihil mirũ si diuites sint, si abũdet panibus, si fumet culina, si serico bissoq; splendeãt, si palatia vt Reges habitẽt, popellus autẽ gemat *ego hic fame pereo.* Domini isti sanguisugæ & molitores sunt Reipublicę, qui ex eodẽ sacco, vt aiũt, pro molitura duplicẽ mercedẽ accipiũt, norũ tq; alere

*Vide Chiliades Eras. bos in lingua.*

*Ouid. lib. 2. Metam.*

alere processus, ac seminare discordias, vnde ipsi metant sępius quam bis in anno.

*Horat. in arte.* *Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.*

Peiores etiam sunt belli isti homines, quam mercenarij de quibus iste Prodigus. Nam etsi illi abundarent, non depilabunt saltem: Prodigus enim iam nudus erat, & quod clamabat, *ego autem hic fame pereo*, non procedebat ex cautionibus & processibus mercenariorum patris sui: sed quod Aduocati, & Patroni, ac rabulæ forenses abundent, hoc de plumis est pauperum, & de bonis clamãtium, *ego autem hic fame pereo*, & filij mei mecum. Domini enim isti per cautelas, per stratagemata, & iuris vias, omnes eorum facultates exsuxerunt, aut multis dilationibus ac causarum remissionibus, inducti ab aduersa parte negligentes agunt, vt nec impensas, nec damna accepta recuperent, quæ per diligentiam ipsorum consequi potuissent. Quid? nonne inuenimus Aduocatum promisisse cuidam, tota vita ipsum non compellendum ad solutionem argẽti, pro quo ab altero citabatur. Acalius quidam Mediolani, adeo erat tritus in hac palęstra, vt lites quo vellet pertraheret. Quod cum Galeatius Mediolanensis Dux intellexisset, consuluit ipsum, dicens se mille scuta debere pistori ex pacto, & libẽter, si modus inueniri posset, soluturum minus. Aduocatus promisit solutionem differre ad decem annos, ad quos litem protraheret: quo audito Dux ipsum multauit suspendio. Peiores inquam, sunt prædictis mercenariis:

*Iob 7.* vt enim dicit Iob, *Mercenarius præstolatur finem operis sui*, illi autem Domini nihil nisi moras nectunt, & vt Penelope, quantum interdiu texunt, tantum noctu detexunt. *Vnus* (dies) *ædificans alius destruens.* Mercenarius etiam, inquit S. Gregorius, curat ne dies vlla sine fructu abeat, ne vacuis abeat manibus quando solutio rependitur. Appelli nulla dies abibat sine linea: *Nulla dies abeat quin linea ducta supersit.* Sed boni isti Domini relinquunt saccum clausum, chartas signatas, nec inspiciunt, Deus nouit, quanto tempore. Accipiunt interim manu altera lepores, altera arietes.

D. Gre-

D.Gregor.lib.8.moral.c.7.& lib.12.c.2.] *Mercenarius solicite curat ne vnquam dies vacuus ab opere labatur, & expectatus finis temporis ne inanis veniat ad remunerationem.*

Item.] *Mercenarius quanto longius est à fine operis, tanto & à retributione mercedis.*

Alij mercenarij non solent accipere, nisi die ac labore expleto, solutionem. *Cum sero autem factum esset, dixit paterfamilias procuratori suo, voca operarios, & redde illis mercedem suam.* Ad vesperam soluit vinitoribus paterfamilias, Rex ducibus ac militibus ad mensem, ad sex septimanas, nonnunquam finito bello, discipulus magistro cum edoctus est, Dominus seruo cum annus euolutus. Nostri autem Aduocati & mercenarij nihil faciunt, nihil dicunt, ne quidem *orsus* vel *orsa* ad inchoandum opus, nisi videant aurum ac sentiant; & munera accipiunt, non quia bene egerunt, sed vt bene agant.

Alij mercenarij fures se putant, nisi fideliter seruiẽtes mercedem suam iuste lucrentur: his vero hoc religioni non est, sed totus fere mundus dicit & clamat: Aduocatus fur, fur molitor. Ac interim abundant panibus, *Abundant tabernacula prædonum.*

In eadem classe pono testes falsos; qui linguam etiã ita habent venditariam, vt vno ducato Æthiopem niue faciant candidiorem, ac album quolibet Æthiope æthiopiorem.

In eodem ordine colloco, qui pretio linguas & calamos vendunt, iustificantes impium, commendantes summopere qui merentur minus, vt eos ad dignitates promoueant, ad magistratus, vt dorsum purpura, caput diademate aut mitra, manibus sceptro aut cruce vestiant. Ah Deus bone, quot non videmus *Mitridates* ac *Mitridatores*, qui sollicitant, ac impetrant, donantque mitras, non dignioribus sed liberalioribus.

In eundẽ red go ordinem qui suffragia vendunt, qui corrũpi se sinũt auro promissis, dignitatibus, & honoribus: qui in aula, in consistorio & à maioribus corrũpise sinunt, vt cõtra minores loquantur, sub specie fidelitatis

delitatis, obedientiæ, & respectu superiorum; aureũ vt taceant pro minoribus, vbi expediret totum dicere, & aperire semel cloacam, ad Regni, Reipublicæ diuinciæ, & totius populi emolumentum: vbi sc. os aperiendum est pro muta Republica, maxime iis, qui stipendia, & salaria publica accipiũt, vt absentis causam agant; nisi boues & vaccę maiorũ, buculas minorũ tacere facerẽt. Tales aliquoties videtur habuisse Roma, ac à talibus (vt inquit Salluſt.) esse perdita, sicut & nos perimus per consiliarios, suffragatores, definitores, mercenarios, &c.

Salluſt. orat. in Cicer.] *Populus Rom. in largitionibus corruptus est, vt sese ac fortunas suas venales habeat.*

Idem alibi.] *O vrbem venalem & cito perituram! Spartam auaritia perituram olim, prædictum non est Cic. lib. Officiorum.*

*Notum C. Pontij Samnitis votum tunc nascendi, cum Roma aurum amaret, extorturum enim se illi imperium Cic. Off.*

Mercenariis etiam concionatores quosdam accenseo, quorum emptum videtur silẽtium, ne publica arguant vitia, quæ totus videt mundus in pernitiem versare, perdunt Ecclesias, perdunt corpora, perdunt animas, & seipsos. Sed quid? boni isti homines, vt fides ipsis habeatur, vt aliquid possint aut prodesse aut obesse, vt aliquid obtineant, dissimulant & tacent vitia, ac totum sinunt misceri mundum, nec os diducunt, nec digito rem istam tangunt. Leones vbi nihil opus, cerui & agni (non quidem innocẽtia sed silentio) vbi leonẽ præstari oporteret. Stentoras putares Homericos, ita laudes eorũ declamant quorum cõmoda sperãt. Tantum excitant strepitũ, quãtum quingẽti alij: vt Stẽtor olim in exercitu Grẽcorum, sed in plebeculæ vitia. Lupum vero viderũt, aut lupus prior ipsos, ita humiliter loquuntur quando vitia tangenda sunt eorum, quorũ gratiam ambiunt. Tangere non audent pellem obesi tauri, *Audite verbũ hoc vaccæ pingues*, dicit Dominus, aut si eos tangãt, id duob⁹ tantũ faciunt digitulis, idque bene vnctis, cauẽtes ne recalcitrent, ac fœnum in cornu

*Homer. 5. Iliad.*

portent, ne spe sua excidant. Viuæ ipsorum voces, proœmia, discursus, epilogi, omnia mercenaria: *Venales q3 manus calamiq3, bos in lingua, bos in manu, in calamo.*

Nonne illi ex eorũ genere sunt, quos Christus dicit videre lupum ac fugere, deserentes gregem quia mercenarij sunt, nec pertinet ad ipsos de ouibus. Qui sunt lupini si qui assiliunt, ac inuadunt oues, vt rapiant, vt deglubant, vt strangulent, vt deuorent. Nõ multis hic opus verbis: nam hic, Deo laus, nullus adeo bos, adeo crassus Arcadiæ asinus, qui parabolas & metaphoras illas non intelligat. Et quid est gregem deserere ac fugere, quam (nisi multum fallor) non curare quod grex patiatur, quid ipsi graue obueniat, dummodo mercenarius nullam habeat noxam. Fugere non semper est corpore abesse: minime, sed deesse officio: non defendere, non patrocinari, nõ curare serio causam paruulorum, quæ nobis deberet esse cõmendatissima. Quẽ Latine non eleganter dicimus *desertorem Asiæ, patriæ, causæ.* Nõ eum qui corpore inde abscesserit, sed qui operam subtraxerit; non præstans in necessitate auxilium. Ad hunc modũ de amica sua adolescens cõqueritur, non tam corpore quam affectu esse alienatam. *Vbinam est fides? Dum ego propter te errans, patria careo demens, tu interea loci, collocuplet asti te Antiphila & me in his deseruisti malis.* Et cum Dominus noster vnicuiq; promittit, *non te deseram neq3 te derelinquam,* aut cum dicimus *Deus non vos deserat in tempore malo;* non optamus Deum secundum essentiam a nobis nunquam recedere: ita enim tam bonis quam malis necessario semper præsens est. Sed ne gratia ac beneuolentia eius in necessitate destituamur. Et optime quilibet dicitur solus etiã in medio exercitu, & tam numeroso quam vel Mosis, vel Xerxis, vel magni Tamerlanis, cum nemo suum præstat officium, & verba ista solitudo & solitas, sæpe significant desertum esse ab amicis.

*Ioan.10.*

*Virgil.*

*Terent. in Heaut. Act. 2. Scen. 3.*

*Hebr.13.*

*2.Malach.1.*

Terent. in Adelph Act. 3 Scen. 2.

*Tot res repente circumuallant,*
*Vnde emergi non potest,*
*Vis, egestas, iniustitia, solitudo, infamia.*

Bene

Bene igitur dico, deserere gregē, esse fugere sine fuga, præsentem esse corpore, absentem corde, & opere est: accendere currum & accingere se quasi ad eorum tutelam, cum autem ad res & ad arma venitur, ibi cum alacriter magnorum vitia tangenda sunt, imbecillorumque percutere manu, nihil dicere, aut ita dicere vt præstaret tacere. Audite hac de re, si placet, S. Gregorium.

S. Gregor. homil. 14. in Euang.] *Vtrum pastor sit an mercenarius, veraciter cognosci non potest, si occasio necessitatis deest. Tranquillitatis enim tempore plerumque ad gregis custodiam, sicut verus pastor, sic & mercenarius stat. Sed lupus veniens indicat, quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Lupus enim & super oues venit cum quilibet iniustus & raptor fideles quosque atque humiles premit, sed is qui pastor esse videbatur, non erat: nam lupum oues & fugit: quia dum sibi ab eo periculum metuit, resistere eius iniustitiæ non præsumit. Fugit autem* (aduertite verba ad nostrum propositum) *non mutando locum sed subtrahendo solatium.* Fugit notate mercenarij, notate *quia iniustitiam vidit & tacuit. fugit.* Notate adhuc semel, nihil necesse vt vobis exponam: nam Latine intelligitis, non necesse vt Gallice interpretemur magistris, non magis quam Latina Cordigeris, vt dicere prouerbio consueuit Philippus de Comines, quod nullum facit ad ordinis nostri honorem. *Fugit, quia se sub silentio abscondit.* Quibus bene per Prophetā dicitur: *Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis murum pro domo Dei Israel, vt staretis in prælio in die Domini. Ex aduerso quippe ascendere, est quibuslibet potestatibus praue agentibus libera voce cōtraire. Et in die Domini pro domo Israel in prælio stamus ac murum opponimus, si fideles innocentes, contra peruersorum iniustitiam, ex iustitiæ authoritate vindicamus. Quod quia mercenarius non facit, cum venientem lupum viderit fugit.*

*Ezech.13.*

O dura verba mercenariis ac dominis tam taciturnis, mihi dulcia plenaque solatij, & omnibus qui vere cum Dauide dicunt, *& loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.* Vel cum Cicero-

ne.

*Cicer. orat. resp. ad Sallust.*

re. *Nullius amicitia vsus sum qui non perpetuo Reip. Ecclesiæ, veritati, iustitiæ amicus fuit.* Etiamsi complures meæ libertati succenseant. Vtinam sim (bone Iesu) semper sim in classe potius loquentium, quam mercenariorum tacentium, qui non concionantur sed cauponantur verbum Dei, vt dicebat Pyrrhus Rex de bello.

*Cic. lib. Offic.*

*Non cauponantes bellum sed belligerantes.*

*Psal.*

*Ne auferas Deus. Ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaq; (etsi ea vtriq; amarissima, auditori atque authori; Authori certe, miseras inimicat vrbes: paucos amicat.*

*Horat. Senec epist. 114.*

Quidlibet accidat, faciat mundus quodcunq; potest, dummodo mihi Deus sit à dextris, *Me iustum esse gratis oportet*, cum Deus & officium nos illuc inuitet, ac natura impellat.

*Ennius.*

*Eo ego ingenio natus sum, amicitiam (virtutibus) atq; inimicitiam (vitiis) in frontem promtam gero.* Sed transeamus ad alia, hæc Deus emendet.

Colloco etiam inter mercenarios qui non curant amicos nisi potentes, à quibus auxilia sperant, & promotiones, aut sibi aut suis: vel diuites, à quibus commoda sperant ac conuiuia, & reinuitari, aut viduas & orphanos quorum captant testamenta & hæreditates exasse vel ex parte. Omnes denique qui neminem iuuant, nisi in quantũ sibi conducit, qui *amicitias vtilitate probant*: quales multi sunt, vtinam pauciores. *Quanti, quanti* qui ita nundinant amicitias, sciunt ancillari & incuruari ad offam. *Quanti mercenarij, quot, quanti, quam magni, & illustres qui sic mercenarij?*

D. Hieron. l. 2. Ep. 14. ad Nepotianum edit. Canisianæ.] *Audio in senes & anus absq; liberis, quorundam turpe seruitium: ipsi apponunt matulam, obsident lectum & purulentiam stomachi & phlegmata pulmonis manu propria suscipiunt.*

Ac vtinam non *in domo patris mei*, quos ŏculis videmus, ac manibus tenemus.

Nemo tam obesæ naris, tam hebes, qui non sentiat quomodo retia tendant, ac insidientur iam bonis huius,

ius, iam illius, ac vt venatores siluas cingunt, vt lepores feraſque capiant. *Teſtamenta & orbos velut eorum indagine capi, i captatores eſſe orborum, ita vt pauciptiones suadant.*

*Tacit. li. 13.* De quo Seneca etiam (mirum in homine tam lite-
*D. Hieron. Epiſt. ad Rusticum.* rato & Stoico) notatus non tacite per Tacitum. Vah vah! *contra pecunias diſputantes auro ſinum expandimus* dicit S. Hieronymus. O quantũ malum eſt in diuitias grandi tonare voce, & ſemper oculum ac cor in aurũ reflectere. *Cor exercitatum auaritia habentes* dicit S.
*2 Petr. 2.* Petrus: id reuera eſt Scribas imitari & Phariſæos, qui-
*Matth. 23.* bus tanta mala minatur Dominus. *Væ vobis Scribæ &*
*Luc. 20.* *Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum orationes longas orantes, vel ſecundum Lucam ſimulatis longam orationem* Quaſi Deo familiares, cauſas agunt miſerorum, quorum conſcientias peccata affligunt & turbant, & interim in mercedem reſpicitis, ac prædas mulierculorum quæ facile credunt. S. Hieronymus diuerſis locis taxat eos qui ſuo tempore mulcebant viduas & diuites, vt inde caperent fructum. Seneca optime illos comparat vulturibus qui ſemper ad cadauera paſtum euolant.

Seneca. Ep. 96.] *Amico ægro aliquis aſſidet, probamus: at hoc ſi hæreditatis cauſa facit, vultur eſt, cadauer expectat.*

Idem alibi.] *Prædam ſequitur turba iſta, non hominem.*

Tales inquit Cicero ex amicis ſuis beſtias faciũt enim Flandricas vaccas amamus magis, quia maius mulctra implẽt; oues magis lanigeras; gallinas quæ maiora & plura creant oua; ac denique iumenta omnia quæ plus adferunt emolumenti: ſic illi aut magis amant, aut plus amare ſimulant eos à quibus commoda maiora expectant.

Cic. lib. de Amicitia.] *Pleriq; neq; in rebus humanitatis quidquam boni norunt, niſi quod fructuoſum ſit: & amicos & tanquam pecudes eos diligunt potiſſimum, ex quibus ſperant ſe maximum fructum capturos.*

Amicitia debet eſſe liberalis, ſincera, ſine ſpe mercedis

tedis vtrimque: sic Deus suo docuit exemplo, sic manauit. Docuit nos, hominibus bene faciens, solũ ideo quia delectatur bonis operib. nihil à nobis expectans, nihil enim nostri indiget. Sol nobis quotidie lucet, terra fructus germinat, dat ventos, dat pluuias in tempore suo. Quid quæso inde capit emoluměti? Si ergo Deus nobis tam gratuitus est amicus, cur homines inter se amicitias habebunt mercenarias? *Sequere Deum.* Æquum enim est, vt imago sequatur prototypon.

Senec. lib. 4. de benef. cap. 25.] *Propositum est nobis secundum rerum naturam viuere, & Deorum exemplum sequi. Dij autem quodcunq; faciũt in eo nihil præter ipsam faciendi rationem sequuntur, nisi forte existimas fructum operum suorum ex fumo extorũ & thuris odore percipere. Vide quanta quotidie moliantur, quãta distribuant, quãtis terras fructibus impleãt, quam oportunis, & in omnes * horas ferentibus ventis mare permoueant, quantis imbribus repente deiectis solum molliant, venasq; fontium arentes redintegrent, & infuso per occulta nutrimento, renouent. Omnia ista sine mercede, sine vllo ad ipsos perueniente commodo faciunt. Hæc quoq; nostra ratio, si ab exemplari suo non aberret, seruet. Non ad res honestas conducta veniat. Pudeat vllum venale beneficium. Gratuitos habemus Deos. si Deos quidem imitaris da & ingratis beneficia. Nam & sceleratis Sol oritur & piratis patent maria.* * al. horas.

*Orit facit Solem super bonos & malos, &c.*

Deinde præcepit vt proximum diligamus sicut nos ipsos: te amas, non vtilitatis causa: ergo nec sic noli amare proximum. Quid? illud etiam Ethnicos natura docuit.

Cicero lib. de amicitia.] *Ita pulcherrima & maxime * naturabili carent amica, per se & propter se expetita (mercenarij scilicet isti amici:) nec ipsi sibi exemplo sunt, hæc vis amicitiæ qualis & quanta sit: ipse enim se quisq; diligit, non vt aliquam à se ipso mercedem exigat charitatis suæ, sed quod per se sibi quisq; carus est: quod nisi idem in amicitiam transferatur: verus amicus nunquam reperietur: est enim is, * qui est tanquam alter idem.* * In vulg. libr. naturali. * In Vulg. lib. amicus quidem qui.

Senec. lib.4. de benef. c.17.] *Nemo in amorem suum cohortandus est, quem cum nascitur, trahit. A natura bona integraq; ortum habet Philautia, vt amorem sui sui simplicem dicit, vt vero excessum ad excessus multos trahentem, à corrupto sensu meo.*

Distinguendum est inter honestam illam matronam, & meretricem; inter amorem amicitiæ, & amorem concupiscentiæ. Amor enim cõcupiscentiæ munusculis & donis fouetur; expirat vbi illa cessauerint (*meretrix tantisper*) inquit Plautus, *blanditur dum illud quod rapiat videt.* *Plaut. in Menech.*

Amor amicitiæ gratis incipit, gratis fouetur: nihil nisi virtutem respiciens: alioquin prostituitur. Honestæ matronę vestiuntur aliter quam scortæ; adeoque inde sine aliis indiciis facile dignoscantur. Habetigitur venerabilis amicitia speciem aliam, quod scilicet nec inchoata sit, nec nutrita sicut impudicus amor, qualis inter amatores ac meretrices. Et si alius est cõiugatorum amor, alius scortantium; cur non amabũt aliter Philosophi, & homines alicuius notæ, quam vulgus? Plebecula lucrum captat, sapiens ac Christianus virtutem & meritum.

Ouid. lib. 2. de Ponto Eleg.

*Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur,*
*Vulgus amicitias vtilitate probat.*
*Illud amicitiæ quondam venerabile nomen*
*Prostat & in quæstu, pro meretrice iacet.*

Idem alibi.

*Turpiter ingenium munera corpus emunt, aut pectus.*

Interim amici isti mercenarij, vt nostra sunt secula, abundant panibus, diuites, opulenti, bonzque fidei: *ego autem hic fame pereo.* Illi scilicet qui vt Philosophi & Christiani amant, pure amant, fame moriuntur, neque vsque adeo commode sedẽt, quamuis Deo iuuante olim abundabunt & ipsi, ieiunabunt alij, sicut famelicus noster Prodigus, tandem à patre receptus conuiuio.

Sed diuinamini, an non mercenarij sint, imo & vsurarij

rarij, qui mutuant pauperi, quasi magnum præstantes amicitiæ officium, cum intentione recipiendi plus, quamuis illud non sint pacti. Dicunt enim celebriores quidam Theologi, quod primaria intentio fuerit recipere aliquid vltra sortem, aut aliquod donum ita vt mutuo daturus non esset sine ea spe, quamuis pactū non interueniat, etsi apud homines non censeatur vsura, vsuram tamen esse in foro conscientiæ, ac inducendum, qui sic mutuo dederit, ad restitutionem. *Extra de Vsur. c. in Ciuitate.*

*Da mutuum*, inquit Dominus, *nihil inde sperantes.* *Luca 6.*

*O quanta apud Deum merces* (inquit Hieronymus) *si vnusquisq; in præsenti pretium non speraret.* Sed de his alias. Videte quanti mercenarij. Nonne mirum ex tanto agmine, optimum non esse admodum bonum. *D. Hieron. lib. 2 Ep. 14. ad Nepot. edit. Canisiane.*

Venio nunc ad eos, qui mercenarij putātur & non sunt, illi videlicet de Clero, qui Deo seruiunt in Ecclesijs, sperantes ad earum dignitates promoueri. Quod autem illi mercenarij non sint, duo olim determinarunt Pontifices Gelasius, & Cælestinus.

Gelasius in c. consuluit 74. dist. ] *Commoda presbyteri propensius quam Diaconi consequantur, vt hac saltem ratione constricti, & honorem quem fugerant appetentes nitantur & quæstum.* *Vrbanus P. P. in c. Si officia 59. dist. Et Cælestinus in c. Quid proderit. dist. 61.*

Imo vero, dummodo hæc intentio principalis non sit, sed secundaria impellens, vt aiunt, ad charitatem, ac motiuum eius.

Mira iactantur de Canonicis & Canonistis, quod adeo sint celeres ad distributiones, & accidētaria quæ super ipsum præbendæ corpus lucrantur, præsentes solum in tali aut tali officio, vel tali & non alia hora.

Dicunt eos similes porcis, qui quoties campanā ad sacrum aut vesperas audiunt, statim ad arborem currunt, ex qua illa pendet; non dubitantes quin motu & sonitu decussura sit aliqua poma: collectis pomis, non subsistunt diutius quam vsquedum campana & pomorum lapsus cesset, quando enim accepturi sunt promptum aliquem, sic panem locis quibusdam appellant, accurrunt ilico isti Domini ad signum primū: rari tardique veniunt, quando tantum cantandum, nihil *Glossa c. 1. de Cler. non residentib. lib. 6.*

nihil autem accipiendū est. Dico ex conscientia accū celebri glossa peccat qui ad matutinas primario propter præsentias venit, non autem qui principaliter Deo seruiat, secundario vt præsentias accipiat. Notate hæc quæso (venerabiles Domini) ad conscientiæ vestræ tranquillitatem, vt bene vestras intentiones ante omnia dirigatis: maxime in recipiendis præbendis vestris Canonicalibus. Et vos Auditores dilectissimi, vt non temere seruos ac ancillas Dei iudicetis, nec eos vertatis in vestram fabulam, vt proh dolor crebro fit: & tandem, pro corollario, curemus rem maximi momenti vt finis noster bonus, sanctus, rectus sit, in omni opere. Ille enim, quicquid agimus, Diuino placito facit gratum. Malus autem nauseam excitat, ac pulcherrimas etiam virtutes corrumpit: & oremus unanimiter cum S. Ecclesia, *vt mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, te rogamus audi nos.*

Amen.

CON-

# CONCIO XV.

7. Εἶπε πόσοι μίσθιοι τοῦ πατρός μου περισσεύουσιν ἄρτων, ἐγὼ δὲ λιμῷ ἀπόλλυμαι. *Graca.*

7. *Dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* *Vulgata.*

7. *Ait, quot sunt nunc mercenarij in domo Patris mei qui abundant pane, ego vero hic fame pereo.* *Syriaca.*

## ARGVMENTVM.

*Dicemus hodie*

1. *Panem nobilissimum esse hominis alimentum.*
2. *Quod ob pulcherrimas rationes de panibus ibi agatur in plurali numero.*

AVE.

## I.

*Panem esse nobilissimum hominis alimentum.*

NOLITE cogitare, dilectissimi, parvum quid esse dictum a Prodigo, *mercenarij patris mei abundant panibus.* Nolite fastidiose & dedignanter dicere *panes, panes* sunt. *Nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi man.* Parum est ad humanam vitam, non in solo pane viuit homo: panis & vinum, & carnis modicum, ac obsonij, melius iungerentur; si non tantùm carnis, quantum panis. *Quis dabit nobis carnes ad vescendum? quis det de carnibus eius vt saturemur?* Caro carnem fouet, & vt habet axioma *omnis repletio mala, panis autem pessima.* Et hi abundant, superfluunt panibus, iis tantum opplentur. Sic loqui possunt *Cerberi carniuori, quorum Deus venter est*, homines Epicurei, carnales; non Pythagorei osores carnis, & omnium eorum quæ vitam acceperunt. Philosophus tamen nimium superstitiosus, quã vt Christianus sit,

*Num.* 11. *Ibid. Iob.*

qui manducant quicquid apponitur; aut vt Carthusianus fiat, nam pisces etiam gustare noluit, quia viterant. Quam superstitionem ex errore traxerat, nescio quam fingens transanimationem, ac renascentiam Franciscus Rabelais lib. 5. cap. 29. & Erasmus in colloquio de Ichthiophagia, monstrant sibi non futurum satis, si abundarent panibus: tantopere declamãt contra pisces, & cibos quadragesimales. Nostri Hugenotæ tãquam manifesti carnis amici, & voluptatum, inimici crucis Christi, minus etiam tali contenti essent obsonio. Abundant *panibus, panibus*: cur nõ carnibus? Faxit Deus ne nos hic tales habeamus. Dico nihilominus helluonibus istis ac fastidiosis, non esse parum puris ita liberaliter tractari panibus. Primo enim mercenarij solum fuerunt, lucrantes pecunias, quibus vina & obsonia possent redimere. Verisimile enim est Prodigi patrem, operariis suis victualia tantum dedisse, nõ vt quidam, qui pro pecunia aut tota aut ex parte, frumenta, carnem, boues, porcos, pannum dant; ac insuper etiam fraudant, quia corrupta sunt, aut accipientibus non necessaria, saltem in tanta copia. Secũdo magna tum erat fames, saltem in regione Prodigi; forte & in ipsius patria. Ac quæ tempore fertili nauseamus, ingrauescente annona, cum terra pene in cibum vertitur, deliciæ putantur. *Quæ prius tangere noluit anima mea, nũc præ angustia cibi mei sunt*, dicit Propheta Iob. *Sordide vitam oblectabas pane, in panis inopia*, dicit Plautus.

*Erasm. in colloq. de Ichthiophagia.*

*Plaut. in Asin. act. 4.*

Quid in ista Parisiensi fame non est manducatum? Iob recenset tanquam mirabile quod *egestate & fame steriles mandebant herbas & arborum cortices, & radix iuniperorum erat cibus eorum, qui de conuallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant.*

*Iob 30.*

Sed Parisiis commederunt ardosias commolitas, panum loco. Parumne igitur erat mercenariis panem accipere ad saturitatem, cum alibi mercenariis *nec sat glandis, nec sat siliquarum. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant.* Mercenarij igitur

gitur isti, si temporis habeamus rationem, admodum præ aliis fuere felices; etiamsi solo abundarent pane. Panis esurienti præ omnibus sapit.

*Iudicis officium est vt res ita tempora rerum*
*Quærere.*

*Ouid. lib. 1. Trist.*

Tertio quis scit num forte tota hæc parabola iuxta litteram non acciderit, cum frumenta, molę, pistrina, pistoria, vix dum essent in vsu; aut cũ soli fere Principes ac potentes panem mãducarunt, reliqui fructus arborũ, glandes, pisa, fabas, legumina & nescio quid. Si panem manducare tanta primitus res visa sit, cum longo tempore victitassent glande, & rebus sponte natis, vt primi agriculturæ inuentores, molitoriæ, pistoriæ, messium segetum, pro diis habiti sint; vt Osyris in Ægypto, Triptolemus in Græcia & Asia, secundum Iustinum; Ceres aut Isis in Attica, Italia, Sicilia, secundum Plinium & Diodorum Syculum; Saturnus in Latio secundum Macrobium; & quidam Pilumnus, honoratus à pistoribus quod primitus artem pingendi inuenisset; Noe magni æstimatus, quod excogitasset aratra: cur non magni faceret Prodigus constitutus in regione vbi glandes, poma, olera pransitabant, imo & siliquarum esset inopia, patris sui mercenarios, in regione, & domo, & tecto esse, vbi ad saturitatem omni panum genere infarcirentur. Credat qui volet, aut aliquis, tempore Domini nostri, aut istius Prodigi panem apud omnes nationes non fuisse in vsu. Pro tempore saltem Seruatoris nostri, hoc est quam certissimum. Testatur enim Plinius suo tẽpore multos glandibus tolerasse vitam; ac etiamnum in Hispania glandes in deliciis habent, easque confecturis inserunt. Sed quis ignorat Plinium, tãtum naturæ secretarium, vixisse sub Imperatore Vespasiano, cuius & negotia curauit, 40. circiter annis, post Ascensionem Domini? Et certissimum est pistoriam artem sero allatam Romam; illuc vsque Romanis cocto victitantibus frumento, & Galli faciebant, & Germani; quod lixantes donec finderentur folliculi, pro pane habebant vsque ad bellum Persicum anno 580 ab vrbe condita: quo

*Iust. lib. 2.*
*Ouid. 4. Fast.*
*Plin. lib. 7. c. 56.*
*Diod. lib. 6. c. 15.*
*Macrob. lib. 1. Saturn. c. 7.*
*Vide & Polyd. Virg. lib. 3. de rerum Inuen. c. 2.*
*Plin. lib. 16.*

tempore pistores Asiani Romanos docuerunt frumenta molere, pinsere, fermentare, & coquere.

*Plinius lib. 8. cap. 11.*

Prædictus Plinius testatur l. 8. cap. 8. *Pulte non nisi longo tempore vixêre Romani, quoniam inde pulmentum hodieq; dicitur.*

Terræ nouiter detectæ panem non habent, & magni faciunt si a Christianis ille apponatur, quamuis etiam biscoctus sit, adeo putant esse sapidum.

Quarto. *Panibus*, inquit, vt monstret omnis generis fuisse. Ergo & delicatior, & melior, & candidus, qualem etiam iam extrà famem, sine obsonio facile comedimus.

Lucianus. *Locis aliquot, nominatim libello de mercede seruientibus, testatur album panem Græcis in deliciis fuisse.*

Quinto. Panis inter optimos cibos est præstitus homini à Deo: sed copia eum fecit contemptum. Nam *omne rarum carum.* Patet hoc tempore famis. Omni cibo succulentior est, & salubrior. Comede carnes, bubulas, ouinas, vitulinas, porcinas, leporinas, ceruinas, aues, pisces; comede & fructus, facile omnia hæc corrumpunt stomachum, difficulter digerũ ur: vt & oua, & omnia lacticinia, imo caseus pene putatur indigestibilis. Qui cibos hos sine pane comedunt, decolores sunt, putente anhelitu, qui non multum olet pastillos aut odoramenta Arabica: & raro carniuori istiadeo robusti, torosi, ac neruosi sunt, quam paniuori.

*Senec. varia & diuersa inquinant non alunt.*

Alij cibi vt placeant diuersimode ac multa arte condiuntur, & nihilominus nauseantur sæpe: solus panis nunquã displicet, nec bona nec mala valetudine eius appetitus vltimo perit, reditque primo. Primus & postremus sanorum cibus, gratus in omni obsonio, & solus manducatur, & cum aliis: alia non sine ipso. Aliqui natura caseum horrent, alij oua, alij alia; nonnulli superstitione, vt Pythagoras omnia quæ vitam acceperant; alij obligatione, vt Iudæi carnes porcinas; Adam arborẽ scientiæ boni & mali, & nos Catholici in quadrageſima, ex instituto Ecclesiæ carnes, oua, lacticinia, alij sua deuotione, ac religione libera, vt olim plurimi

plurimi qui pane tantum viuebant, sale, & aqua, aut herbis obuiis *Contentiq; cibis nullo cogente, creatis*
*Arbuteos fœtus, montanaq; fraga legebant,*
*Cornaq; & in duris hærentia mora rubetis:*
*Et quæ deſiderant patula Iouis arbore glandes.* *Ouid. Metam.*

Sed nemo vnquam inuentus est qui natura panem horreret, paucaque animalia, quę illum non manducent, (videte etiam quare Christus Iesus in pane sacramentum altaris constituerit,) nunquam eum lex vlla quod sciam prohibuit, paucę gentes adeo religiosæ, aut superstitioſę, quę panem non adhiberent in cibū. Imo & S. Hieronymus in pane & aqua rigidissimum constituit ieiunium, *Fortissimum ieiunium est aqua & panis. Sed quia gloriam non habet, & omnes pane & aqua viuimus, quasi publicum & commune ieiunium non putatur.* *D. Hieron. li. 2. Ep. 14. ad Nepot. edit. Canisiana.*

Sic panis mirabili beneficio omnem in se continet saporem, qui hominem inuitare possit. Alij dulcia, alij amara, alij amarodulcia amant; alij salsa, vt Burgundiones quos ideo Galli salsos appellant, alij acria, alij odorata: panis autem quicquid in aliis gratum est, cōtinet. Et quis nouit, vtrum panis à Græco πᾶν, i. omne non descēdat: quia scilicet habēs panē, habet omnia; habens obsonia sine pane habet nihil, quia sine pane nec sapida sunt, nec salubria. Panis omnium ciborum epitome est, sicut homo totius mundi. Panis etiam aliorum ciborum vitia corrigit, auget gratiam; vnde & prouerbiū, bonus cibus omnis comitatus pane. Athletæ, vt author est Galenus, homines qui ædificando robori vacabant, pane tantum & porcinæ carnis modico pascebantur. Idem & scriptura indicat, toties dicens *robur panis, firmamētum panis.* Qui plenius videre volet quid panis valeat, legat historias Scotorū. Dicūtur Scoti proficiscētes ad bellum extra limites suos, si per desertas regiones putent sibi futurū iter, armēta ac pecudes secū abigere, vt ex iis in via viuant: & quia stomachus, propter carnis sine pane manducationē, ipsis lęditur; vt & ei remediū adhibeāt, sumūt farinę modicū ex saccello in quo libra farinę aut sesquilibra in eū vsum

vsum contulerunt, cum tenui ferri lamina: miscent dein cum modica aqua, in scutella lignea, ac passim illam in candentem laminam fundunt, & continuo panem conficiunt, ad eum fere modum quo in Hungonia nostra crustula parant, vnde refecti Scoticum stomachum suum belle inueniunt curatum, ac reparatas vires, atque ita iterum redeunt ad carnes ciboscque ordinarios.

Si tãtum potest panis talis qualis, nec paratus debite, nec fermẽtatus; si ita Scotos nostros restaurat, quid faciet bene pistus, bene coctus, & ita paratus vt aquil-

*Plin. lib. 22. cap. 25.* est? *Panis hic ipse quo viuitur innumeras pene continet medicinas.* Ita conueniens nutriendo corpori, vt ipsecndo dictus sit, *quasi pastor* & nutritius iuxta No-

*Nonnius.* nium. Panum nauigantibus prima cura, primaria coctorum prouisio; panem ante omnia in mantica, quam non male panarium dixeris. Quod nomen etiã horreis & granariis publicis conuenit: quia potissimũ ipsorum firmamentum est panis. Primum ad panem raptores aduolant, primum panem famelici clamant.

Villamontanus de se refert, quod egressus de naui cum omnibus suis sociis, in portu Iapha, terra Hierosolymam versus instituerit iter. Mauri & Arabes aduolarunt in nauim quæ stabat ad anchoras, nihil petentes nisi panem, alij eiusdem sortis latrunculi inciderunt in eandem societatem, & nihil nisi panes abstulerunt. Primum hoc est quod esuriens quærit. De quo historiam ex Herodoto adferam, non impoñam. Dicuntur Ægyptij gloriati antiquitus populum suum totius mundi esse antiquissimum. Quidam igitur ipsorum Rex, nomine Psammetichus, indagare volens veritatem, existimauit sibi inquirendum quæ lingua hominibus esset naturalis, ac primo omnium; inde ratus commodissime fieri posse coniecturam. Duos igitur recens natos sumpsit puerulos, deditque pastori secreto nutriendos in stabulo, prohibens ne quis verbum vllum illis loqueretur: sed tacite educarẽtur ad certum tempus, cum vero attigissent ætatem, relinquerentur soli, sine cibo. Ipsis duobus annis,

curator

curator ipsorum impleto Regis præcepto aperuit stabulum, ac statim pueruli clamare cœperunt, Bec, Bec. Pastor nihil respondet: illi eadem verba repetunt; ipse hæc renuntiauit domino suo; qui eosdem iussit secreto adduci, ac eadem ex pueris audiuit. Inquisita est horum verborum significatio & inuentum lingua Phrygia ita appellari panem. (Io. Goropius lib. 5. & 9. orig. dicit Bec etiam in inferiori Germania significare panem) Ita Ægyptij Phrygas didicerunt antiquiores esse. Herodotus hæc se Memphis ex Sacerdotibus Vulcani ait accepisse. Alij opinantur puerulos istos nutritos fuisse à duabus nutricibus mutis. Eodem redit, mihi hoc solum intentum est, monstrare panem nutriẽdo homini adeo esse naturalem, vt homo famelicus nihil nisi panem clamet. Opinor vt vir omnis concupisceret fœminam quamprimum videret, etiamsi ante nulla ei esset conspecta, naturæ instinctu, qui semper ad conseruationem speciei impellit; sic etiam hominẽ qui panem nunquam ante viderit, videntem eum inter cibos reliquos, reliquis etiam prælaturum, tanquã conseruationi indiuidui magis accommodum.

Credat qui volet; Spagirici & quintæ essentiæ extractores affirmarunt Ludouico Guyon, ex quo quędam ad hanc rem mutuaui, quod cum in vitrea sua vasa panẽ misissent, vt inde quintam extraherent essentiam, aliquoties se eum inuenisse mutatum in carnem. Si hoc verum est, non video quid mirentur hæretici, in venerabili sacramento, panem in carnem transsubstantiari. Sed mendaces an veraces sint Alchimistæ, magna panis gloria est, assumptum est prę omni alia materia, vt transmutetur in Iesu Christi corpus, accantæ necessitatis fiat Sacramentum, vt qui panem istum non manducant, non viuant in æternum. Magna panis gloria est, quod Christus se panem vitæ appellat. Magna panis gloria est, quod in lege Mosaica Deus tabernaculum suum propositionum panibus nunquam voluerit destitui.

*Guyon 2. li. diuersarum lectionum cap. 12.*

Magna panis gloria est, quod eum Deus cælitus amicis suis miserit, vt Eliæ, S. Paulo eremitæ: nunquam

aut

aut raro carnes, aut cibos alios; ac patriæ prouerbio neceſſitatem eius explicamus, ac reliquis deliis præferendum dicimus, *miſera conuiuia vbi panis fuit*, nunquam autem vbi caro, vel vinum deſideratur. Panis igitur inter cibos primus eſt, potiſſimus humani generis nutrimentum, ac ideo nihil parum dicit Prodigus, cum mercenarios patris ſui panibus dicit abundare. Præſtat audire *vinum non habet, quàm panem non habent.*

Miror quis primus quaſi blaſphemans dicere auſus ſit, *peſſimam eſſe repletionem panis*: nam id & contra rationem, & contra Doctorum ſententiam eſt. Nam nec corrumpit, nec corrumpitur tam cito, quam carnes aut piſces, nec tam duræ concoctionis eſt quam caſeus. Melius colorem pingit, melius ambitum, melius ſanitatem & vires iuuat, quam carnium aut piſcium copia.

Quod ſi dixerit aliquis intelligendum hoc eſſe de pane male cocto, nec fermentato, qui & ideo digeritur difficilius. Reſpondeo. Quando de panibus loquimur, loquimur de bonis, ex frumento bono, mundo, bene piſto, bene cocto. Quando enim de re loquimur cuius plures ſunt ſpecies, accipimus eam ſemper pro famoſiori & formoſiori ſignificato.

Sexto. Panis nomine in ſcriptura omnia ad vitam neceſſaria, ad cuiuſque ſtatum, quaſi in vno capite intelligi (quid enim petimus cum panē quotidianū rogamus, nihilne aliud à Deo expectamus, quam panē? Reges eadem nobiſcum poſtulant, iiſdem verbis nihil igitur plus illi petunt, quam pauperrimus quiſque. Nonne petūt quicquid Regio ſtatui neceſſarium eſt? Et Diuina ſententia, dicta in Adamum & poſteros, *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, nūquid panem permittit nudum. Minime. Non enim vt opinor manducabant panē ante diluuiū; ſed herbas, & fructus. Quid igitur? Dicere voluit veſties te, & comedes ex labore tuo, herbas, fructus, legumina. Vnde Vatablus optime, annotatione 35. huius capitis. Hebraiſmus *pro victum parabis tibi cum ſudore.* Et ſi bene notemus expoſitionem,

Geneſ. 3.

nem; panis, per anticipationem ibi dictus est, quasi comedes herbas terræ, & tamen pro illis sudandum erit. Sic igitur dicere possumus, Prodigum intelligere suum abundāt panibus, vt significet mercenarios patris sui, victum & necessaria habere copiose, iuxta qualitatem suam; & sic nihil paruum dicit de felicitate ipsorum, respectu suæ infelicitatis.

## II.

### *Quod ob pulcherrimas rationes de panibus ibi agatur in plurali numero.*

SEd cum per panes intelligamus, quicquid humanę vitæ necessarium est: non sufficeret dicere abundāt *pane*, sed abundant *panibus*. Græcus habet περισσεύονται ἄρτων, *panibus circumfluunt* vertit Castaleon: scilicet vt reuendere possint. Sed cur tam specietim dicit, *abundant panibus*. Credo plurali isto numero aliquid amplius, tam secundum litteram & historiam, quam secundum mysterium significari. Iuxta litteram indicare voluit, non tantum simpliciter necessaria, sed etiam quædam superflua, ad voluptatem fuisse ministrata: Quamuis enim vulgo vereq; dicatur, quod copia ingrata sit, id tamen intelligendum magis quoad excessum in vsu, quam in vtendi potestate. Edere, aut bibere nimium largiter, insuaue est; *copiaq; ipsa nocet*: iucundum tamen habere copiam; ac si velis ea vti, posse: si nolis, desinere. Atque ideo Dominus noster, cum miraculose panes suos ad pascēda tot millia multiplicaret, quamuis eos non intenderet nimium opplere, multiplicauit tamen ita vt 12. cophini fragmētorum, & micarum supereſſent. Et hoc vnum. *Ouid. lib. 5. Fast.*

Secundo. Forte dicit panibus, vt subindicet diuersos à patre datos fuisse panes; secundum diuersos mercenariorum ordines, vnicuique secundum suum gradum; omnibus tamen & singulis abundantem. Aliis panem *atrum*, aliis *primarium*, aliis *secundarium*, aliis *bis coctum*, aliis *frumentarium*, aliis *hordeaceum*, aliis *siligineum*, &c. Aliis recentem, aliis

alius hesternum, &c. Nostis enim plures esse inter se diuersas panum species, ac differre materia: qualis *triticeus, similagineus, hordeaceus, astriarius, fermentaceus* &c. Aut præparationem ex eadem materia: alius sine polline, alius admisto furfure, alius cribratus, alius mixtus. Aut temperamento vt fermentatus, azymus. Aut coquendi modo. Hinc *furnaceus, atropticeus*, vt vt Heliæ, *subcinericeus*. Alius in ferrea coctus lamina, quem Scotos ad bellum euntes parare paulo ante dixi, alius aliter, vt crustula, libaque Hannonica. Aut fine: hic enim præsenti conficitur necessitati, vt panis ordinarius; ille futuræ vt *biscoctus*, ille voluptati vt *artolagani*. Vel duratione. Hic enim recens, ille hesternus, alius septimanarius &c. Tot panum species, in domo patris nostri Prodigi, pro mercenariis, vt nihil vita possit desiderari: tanta copia, tanta varietas, vt quasi optione sua torquerentur: cum contra Prodigus nec secundarium haberet, nec hordeaceum, nec fermentatum, nec azymum, nec mucidum: sed cantaret *ego autem hic fame pereo*. O quanta diuersitas sustentationis, hominum non eiusdem gradus!

*Alia panis genera vide apud Plinium lib. 8. cap. 11.*

Quantum vero ad sensum mysticum, opinor dictũ *panibus*, non tantum *pane:* vel propter duas quibus homo constat partes, corpus scilicet & animam.

Vel propter duos eiusdem hominis status, viatoris scilicet in hac vita, & comprehensoris in æterna.

Vel propter duo quibus viatores in hoc mundo substant tempora: serenum scilicet & pluuium, id est prospera & aduersa.

Vel propter conscientiam hominis iam sanctam, iam pœnitentem.

Vel propter ordinem, quem homo in vita seruat, iam discipulus, iam proficiens, iam magister.

Vel propter mercenariorum diuersitatem, bene vel male Deo seruientium.

Vel propter leges ac status diuersos in quibus vixerunt homines: vt legem naturæ, legem Mosis, legem Iesu Christi & gratiæ; ac propter alias infinitas rationes, quas acutior post me aliquis adferet (vt intelligo nuper

nuper à quodam meum Prodigum Parisiis pro concione recitatum, compilatum, mutatum, accisum, adauctum, perfectũ, vt omnes aliena mutuamus, & quia bene placuit, magnus Henricus Rex, aliquoties eodem libens concessit, ac noui ipsius labores, in antiquis meis ædificantur fundamentis: fœliciter illi, cedatque prospere: mihi pars cedet fructus.

Certissimum est iuxta diuersos hos respectus, diuersoopus esse pane, aliisque rebus homini necessariis.

Ac primo quidem. Quis dubitat alio animam, alio corpus pane pasci? non meministis quid respondent Christus Satanæ. *Non in solo pane viuit homo: sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Vbi duas hasce partes designans, panem communem dispensat corpori, animę verbum Dei. *Scientia & veritatis & maxime Euangelicæ lectio, auditio, cognitio, suauissimus pastus animorum.* Essetne possibile duas naturas adeo diuersas, corpoream vnam, spiritualem alteram, eodem pastu viuere? Fingite si placet domi vobis esse belluam multorũ capitum, aut stabulum diuersis plenum animalibus, (quale in diluuio Arca Noe fuit) equis, leonibus, canibus, ouibus, struthionibus, salamãdris, &c. Omnibusne his eundem appones cibũ, vel fœnũ, vel panẽ, vel carnẽ, vel ferrũ, omnibus? Hęc comedent, illa morientur: quia non idem omnium est cibus. Da fœnum equo & oui, manducabunt etiam nimium: interim Leo, Canis, Struthio, salamandra, moriẽtur fame, nec gustabunt. Proiice carnem Leoni, & Cani, prandebũt liberaliter; nec vllum qui adiuuet inuitabunt conuiuam; interim equus & ouis, eam non tangent, nec carnem in carnem ingerẽt. Da ferrum Struthioni, comedet; sed solus masticabit, digeret, viuet; morientur fame reliqua. Appone ignem Salamandræ, insiliet & habet sorbebitque viuas flammas, & viuet. *Nutrisco & extinguo.* Fugient reliqua.

*Genes.*

*Videsymbola heroica Claudij Paradini fol. 9. & 10.*

Sic, dilectissimi, cum corpore & animo agitur. Lege, attende, intellige verba Dei, viuet anima, non corpus. Comede bene panem, viuet corpus non anima. *Vnus esurit & alter.*

Prodigus itaque noſter, per ſuum *abundant pa-bus*, dicere voluit, ſeruos Dei, tam corpore quam animo ad ſaturitatem paſci. Secundum corpus nihil eis deeſt.

Pſal.] *Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.*

Pſal.] *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.*

Pſal.] *Eſcam dedit timentibus ſe* (*Iſraelitis in deſerto.*)

Pſal.] *Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.*

Iſai. 65.] *Ecce ſerui mei comedent, & vos eſuriet, &c.*

Matth. 6.] *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Nonne populus Iſrael 40. annis in deſerto panem de cœlo præſtito, ex piſtrino & penuario Dei abundantiæ pane inquam Angelorum, qui fabuloſo nectare Deorum erat ſuauior.

Elias in deſerto, nonne à coruis paſtus eſt, & panem ſubcineritiũ, deſperans ab Angeli manu accepit.

Daniel nonne in Leonum lacu quod prandêret accepit, rapiente Angelo neſcio vnde, & transferente Babylonem Prophetam Abacuc?

Chriſtus Ieſus, nonne poſt ſuam quadragenariam ab Angelis refectus? *Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Chriſtus nonne ſæpe auditores ſuos eſurientes miraculoſe pauit, iam quinque, iam ſeptem millia hominum tam copioſe vt omnibus ſaturatis 12. ſupereſſent fragmentorum cophini? *abundant, abundant panibus.*

*Matth. 4.*

*D. Hieron. in vita S. Pauli.*

S. Paulus Eremita, nonne dimidiatũ quotidie panem accepit? & cum eum viſitaſſet S. Antonius, nonne *militibus ſuis Deus duplicauit annonam?* vtique ait S. Hieronymus.

*In vitis P. P.*

Alius Eremita, nonne quotidie panem accipiebat candidiſſimum, quam diu puritatem mentis ſeruabat & conſcientiæ?

*Ibid.*

Quatuor Eremitæ quos Paphnutius in Ægypto in-

uenit, qui Dominicis tantum manducabãt, nõne pro numero ſuo ab Angelis accipiebant panes, & cum ſuperueniſſet Paphnutius additus eſt quintus?

Et Romæ in *Ara* cæli, in conuentu noſtro fratrum minorum; nonne durante fame publica, cum S. Didacus frater Laicus viueret, omnium rerum ibi erat copia? De quo in matutinis noſtris canimus, *in publica inopia apud pauperes omnia abundabant*.

Quid? Romani, tanti mercenarij, *animalia gloriæ*, propter morales ſolum aliquas virtutes, quas non adepti ſunt diuitias, proſperitatem, rerum omnium abundantiam? *Receperunt mercedem ſuam* optime de illis dici poſſet. *Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione.*

Quantum ad animam: quis non videt conuenientem paſtum omnibus à Deo copioſe ſubminiſtrari? Verbum vitæ, ſcriptum, inſpiratum, & omnis generis inſtructiones? *Abundant panibus.* Primi homines alebantur & inſtituebantur lege naturæ, optime tali pane, etſi imperfecto, nutriti; pane ſubcinericeo ſcilicet, qui ſpiritualium rerum tectam continebat intelligentiam, ſed pane ipſis conuenienti: *ſimiles habent labra lactucas.* Succeſſores ipſorum pane legis Moſaicę tanquam hordeaceo, aſpero, duro, graui, male cocto, parum ſano: *panem ex hordeo*, inquit Plinius, *vſitatum vita dãnauit, quadrupedumq; tradidit refectibus. Nihil ad perfectum adduxit lex*, inquit S. Paulus. Accommodus tamen illorũ ſtomacho. Nos alio pane Euangelij Chriſti, tanquam triticeo, tanquam ſimilagineo, bene piſto, bene cocto, ſano, ſucculẽto: *Cibauit eũ pane vitæ & intellectus*, pane cœleſti, pane Angelorum, expoſitione clara ac manifeſta ſcripturarũ, Prophetarum, & figurarum veteris legis; pane azymo, puradoctrina, propoſita ab ipſo ſaluatore, & Apoſtolis. Pane infuſę ſapientię, per aduentum Spiritus S. pane non fermentato, doctrina noua, & inaudita; aut etiam fermentato, id eſt, Euangelio veteris teſtamenti teſtimoniis interſperſis; pane * fidei pro intellectu; pane charitatis pro voluntate; pane ſpei pro

*Plin. lib. 18. cap. 7.*

*Eccleſ. 15.*

*Leuit. 7.*

* *Bern. Buſt. p. 2. Roſarij ſer. 7. initio.*

memoria; pane illustrationis, & puræ veritatis, pro parte rationali, ac concupiscibili nostræ animæ. Pane amoris sancti, affectus casti, deuotionis & reuerentiæ in Deum, pro voluntate. Pane propositionis manducatorum, & iudiciorum Dei, ac inferni, pro memoria. Ecce quare dixerit *Panibus*.

Pro duobus statibus, viatoris scilicet & comprehensoris, quibus non *abundant panibus* fideles mercenarij Dei? Vt viatores nonne omnes prædictos habemus panes pro viatico? Primo verbum Dei, panē quotidianum, qui quotidie offertur. *Nam quotidie apud vos eram docens in templo. Habent Mosen & Prophetas. Habentes solatio sanctos libros. In omnem terram exiit sonus eorum.* Christi scilicet, Apostolorum, & luculentorum. Biblia sancta, Moses, Prophetæ, copiose panem suppeditant: & nostris seculis magis quam vnquam verum est, mercenarij; *abundant panibus*, Christum scilicet. Non enim iam vltra dicere possumus, *messis quidem multa, operarij* (id est Doctores) *autem pauci*. Sed prope verum est contrarium: Doctores, messores multi, seges rara, auditores pauci. Nouæ fere struendæ sunt Ecclesiæ, noua extendenda noualia, noui creandi populi, vt locum inueniant omnes concionatores, qui tam feliciter ex omnibus ordinibus, aut nouis, aut renascentibus, & reflorentibus quotidie pullulant. *Roma domus fiet.* Omnia vertuntur in Ecclesias, & Monasteria. Omnes fere concionantur, & iam difficiliter vacās inuenitur cathedra. *In omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia, &c. ita vt nihil vobis desit in vlla gratia.* 1. *Cor.* 1.

Quid dicā de panibus doctrinæ, quos insuper Deus tot libris nobis suppeditat, omni lingua conscriptis?

*Scribendi libros non est finis.*
*Tenet insanabile cunctos*
*Scribendi cacoethes.*
*Scribimus indocti doctiq; poemata passim.*

Præla eructant libellos nouos, Doctorum eruditæ suspirant vacuæ, tot nouis emendis; iam bibliothecarum asseres vix sustinēt copiam. Catalogi Francofur-

cosurtenses vix recensent numerum, & putant non indocti præstare pauciores esse libros propter vitæ brevitatem. Nescimus enim vnde legere incipiamus & dum omnes volumus nihil facimus. Seneca l b. 1. Ep. 2. *Illud vide ne ista lectio multorum authorum & omnis generis voluminum habeat aliquid vagum & instabile.*

Nihilominus mercenarij *abundant panibus*, viatores homines hac doctrina abundant: sed reuera *abundant panibus*, & cum proh dolor melius pascamur & doceamur quam vnquã, incrassamur, & minus quam nquam proficimus: viuentes in quibusdam peius quam prius, & minus soliciti, & impediriores ad bona opera, quam antea; (si inspiciamus sinum nostrum & iudicemus nos ipsos.) *Quid debui facere vineæ meæ & non feci*, inquit Dominus. Et cum Deus nunquam cesset subministrare panes gratiæ suæ, vt viuamus bene: panes azymos, conuersationis putæ, ac honestæ, sanctorum hominum exempla, quæ humiles manducãt, & non inflati, qui nunquam se reputant iustos, *quotidianis supernæ gratiæ reficiuntur alimoniis*. Dicit Haymo, & post illum Albertus de Padua de Marone; *virtutibus & gratiæ donis*. *Climac. gradu 15. scalæ.* *Haymo sententialiter, Patauinus vero iisdem verbis.*

Albertus magnus hic: *veritate verbi, gratia virtutis.*

Panis quo roboramur in via, & ambulamus ad montem Dei Oreb, vt confortati non cespitemus, offendamus, aut cadamus in peccata. Panis est præseruationis à peccato, tam vt præcidantur occasiones, quæ sæpe faciũt furẽ (*ipsaq; furem præda vocat*, optime dicebat non nemo) quam vt roboremur gratia aliqua particulari, ad resistendum: qui *gloria virtutis eorum tuis: multiplicabis in anima mea virtutem: tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me Dominus supponet manum meam: Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* *Ouid.* *Psal. 90.*

*Dominus Deus auxiliator meus: ideo non sum confusus.* *Isaiæ 50.*

Quia dat nobis cogitationes sanas, vt peccata nobis displiceant, & peste ac morte magis horreamus. Panis quo roboramur ad bona & meritoria opera,

animamur ad peccatorum odium, plus quam capitale, & ad temporalium rerum contemptum. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* & toti rapimur desiderio æternæ fœlicitatis. *Desiderio collium æternorum. Quãdo veniam & apparebo ante faciem Dei.*

*Genes. 49.*

O qui & quam boni panes, viatoribus in sterili huius mundi deserto, 40. annis quibus in cælum & terram promissam tendimus? Quid faceremus miseri peregrini, nisi Deus impleret sitarcia nostra isto bis cocto? Habemus etiam panes subcineritios, sacramenta Ecclesiæ, quorũ signa visibilia sunt, inuisibilis gratia, & velata: maxime in sacrosancta Eucharistia, quę reliqua excellit Sacramenta. Vbi nobis datur panis carneus, supersubstantialis, panis vsu, nõ vilitate quotidianus. Pretiosum dico Domini corpus, panis viuus & talis. Panis sic dictus propter speciem externam, & apparentiam, panis propter cõtentum qui Christus est, de se dicẽs, *ego sum panis vitæ.* Panis dictus quia materia ipsius panis est, panis propositionis, qui à solis mãducatur Sacerdotib. & mũdis, vt Sacerdotes; maxime à mulieribus. *Si mũdi sunt pueri, maxime à mulieribus.* Panis qui nunquam deficit, *nec sumptus consumitur:* atque ita semper mercenarij *abundant panibus.* Ad Sacramentum semper accedere possumus, *pauperes eius saturabo panibus.*

*D. Thom. Ioan. 6.*

*1. Reg.*

*Psal. 131.*

O panis viuus, quis vnquam verbis tuam exæquet suauitatem, quis explicabit quot morbos cures animæ, cum panis corporis ita medeatur corpori! vt author est Plinius. Quis dicat quomodo huius mundi peregrinos in suo exilio confirmes, *& panis cor hominis confirmet.* Hic panis est, quo Angeli in paradiso viuunt. *Panem de cœlo præstitisti eis: panem Angelorum manducauit homo.*

Ea tantum differentia est, quod nos illum manducemus velatum, illi reuelatum, *Videmus per speculum in ænigmate.* Vere *panis filiorum non mittendus canibus.* Imo panis est quo ipse Deus, tanquam ambrosia reficitur. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Vere ambrosia, quæ comedentem melius facit im-

*Sap. 16.*

*Matth. 17.*

mor-

mortalem, quam fabulosa falsorum Deorum ambrosia, quæ ab immortalitate nomen putatur accepisse, ab ἀ priuatiuo, & βροτὸς mortalis, i. immortalis. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Panis, qui vt manna super terram, sic in ventrem descendit Virginis. *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet (ipse Dominus Iesus erat granum mortificandum, & multiplicandum*, dicit S. Augustinus) In vtero Virginali dico, vbi tanquam in pistrino fuit, mistus ac pistus nostræ humanitatis aqua, & redactus ad pastam mollem, cooperante Spiritu Sancto. *Virtus altissimi obumbrabit tibi, Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Coctus in arbore crucis, tanquam in furno, tribulationum ignibus. *Excoxi te in camino paupertatis.* Extractus inde in resurrectionis die, remissus in Panarium Paradisi, in propria specie, die Ascensionis ad refectionem Beatorum: relictus tamen etiam in penuatio Ecclesiæ, in substantia, sed non in specie propria, vnde Catholici semper viuimus. Cum interim Prodigus * hæreticus moriatur fame, quia cum nobiscum noluit manducare. O panis, quantum ortu aliis præstas: illi enim de terra, tu de cælis es.

*Ioan.* 12.

*D. August. tract.* 51. *in Ioan. sub med.*

*Isaiæ* 48.

* *Hæreticus prodigus. Vide tomũ primum Academiæ.*

*A summo cœlo egressio eius.*

Paratum panem *de cœlo præstitisti eis sine labore.*

Psal. 77.] *Pane cœli saturauit eos:*

*Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi:*

*Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.*

Quę nobiliora sunt, cœlestia an terrestria? quę meliora supera an infera? Si res omnes patriam suam ac natiuum suum locum redolent, certe quæ ibi nascuntur nobiliora sunt, quam quæ alibi. Sic herbę montanæ paluſtribus salubriora sunt, etsi eiusdem speciei. Animalia quæ in montibus pascuntur, iis fere præstant quæ in vallibus. O quam excellentẽ, quam bonũ, quã salutarẽ & credere & dicere debemus panẽ nostrũ Sacramẽtalem, ex altissimo Olympi monte, cœlo inquã allatũ, ex sinu, ex intellectu fœcũdissimo ęterni patris.

Ioannis 3. *Qui de cœlo venit super omnes est.* O pa-

nem origine nobiliſſimum! O panem perfectione & energia multo præſtantiſſimum! quis vnquam panem audiuit viuum, qui non ſolum conſeruet vitam; ille qui vitam habet omnis vitæ principium, naturæ, gratiæ, & gloriæ. Hic ille eſt, dilectiſſimi, hic ille eſt: ego *ſum panis viuus.* Quomodo enim non ſit panis viuus, qui per ſacramentalia verba corpus eſt Chriſti, & anima per concomitantiam indiuiſam poſt reſurrectionem, qui Dei filius eſt & homo per vnionem inſeparabilem, quam ſemel fecit humanæ naturæ, quam nunquam dimiſit nec dimittet. Damaſcenus *quaſi-mel aſſumpſit, nunquam dimiſit.* Panis qui Pater eſt, & Filius, & S. Sanctus, propter vnitatem ſubſtantiæ in tribus perſonis, quia nuſquam perſona vna eſt ſine-

*Eccleſ. Rom. in hymno.* lia. *In Patre totus Filius, & totus in verbo pater. Panis viuus, panis viuus*; qui vitam in ſe habet, & gratiæ vitam aliis communicat, ſicut panis corporeus vitam

*Ioan. 6.* corpori. *Panis verus qui deſcendit de cœlo, & dat vitam mundo*: panis, qui vitam gloriæ dat & conſeruat. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Panis viuus & vitalis.*

Cogitate quid in paradiſo potuiſſet guſtatus arboris vitæ fructus, ſi eum manducaſſet Adam: & facile intelligetis efficaciorem eſſe ad immortalitatem creatorem eius. *Ne forte mittat manum & ſumat etiam de ligno vitæ & comedat, & viuat in æternum: & emiſit eū Dominus de paradiſo voluptatis.* Veriſimile eſt glorioſius reſurrecturos in corpore, qui hic aliquando iſti pani communicarunt, quam illi qui nunquam. Panis adeo viuus vt fractus non minuatur, nec maculetur, nec dedecoretur indignitate communicantium, & adminiſtrantium; non magis quam ſolaris radius in fœtidam ſplendens cloacam.

Panis viuus, qui non tacta ſuſtentat accidentia, vt terræ globus in medio ſuſpenditur aere, ac monumē-tum ferreum inter magnetes, aut vt nubes in medio cœlo penſiles. Panis viuus & vitalis, quem ſumat vnus

*Iſaiæ 51.* ſumāt mille, *ſumptus non conſumitur. Non deficiet panis eius.* Panis adeo viuus, vt includi vno loco ita non ſi-

nat, vt non sit alibi; nec ita ciboriis & sacris pixidibus circumscribitur, vt in aliorum panariis & mensis non inueniatur, in omni vbique fidelium societate. Panis qui non inflat, qui non germinet nisi virgines, & castitatem. Videte panem admirabilem in effectibus suis, dilectissimi. Sed quid dicemus de duratione eius. Alij panes facile mucescunt, atque ideo frequens bis coctorum vsus, & ex manna scaturiebant vermes, si illud secundũ inueniret mane: sed hic incorruptibilis est, & incorruptione præseruat. Quamuis enim accidentia & species corrumpantur, natura tamẽ & essentia corporis Christi nunquam alteratur. *Exod.16.*

Quid? mortuus, sepultus, custoditus, corrumpi nõ potuit in monumento: etiam resuscitatus, & gloriosus corrumpetur in sacramento? Nimis hoc absurdũ. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Viatores ergo in hoc mundo *abundant panibus*, viuitur in Dei domo abunde, feliciter, suauiter.

Sed comprehensores quid? Et illi abundant panibus gloriæ & gratiæ consummatæ; eodem pane, non alio, sed alterato; aut potius non alterato sed detecto in propria figura, quo sc. viuebãt antea, cum adhuc essent sicut nos Viatores: pane, non fidei, sed clarę visionis: pane, non spei, sed securæ ac lætæ possessionis: pane amoris, pane quotidiano & supersubstantiali, cuius bonitas omnem superat substantiam, & quicquid nutriendi vim accepit. Panis qui indesinenter manducatur, qui largiter sumitur, & satiat, ac saturat sine fastidio: panis filiorum, panis Angelorum. (*Panem Angelorum manducauit homo*) imo & ipsius SS. Trinitatis: *cibus regius.* Idem enim Diuinitatis obiectum, Deum, homines, & Angelos beat. *Comedet semper panem super mensam meam.* *2.Reg.9.*

Lucæ 14.] *Beatus qui manducauit panem in regno Dei.*

Hic ille panis est, de quo moriens prophetabat Iacob. *Asar pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.* Asar Hebraice beatitudinem significat, & quæ beatitudo nostra nisi Christus? *Genes.*

Vel quis ille panis, quem dabit Christus in paradiso regibus (i. beatis: omnes enim ibi Reges erimus, & coronabimur) nisi beatifica visio, quæ tota ipsius fectio est & beatitudo.

Et notate: optime dictum *abundant panibus*: Deus enim ipsis erit omnia, sicut olim manna. *Panem tragi-tisti eis omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Erit Deus omnia in omnibus*; Pan, Pan: abundant: sed vere, ac simpliciter. In cœlo magna sunt conuiuia, magni conuiuatores: hic pitissamus tantum, & gustamus: in cœlo omnia liberaliter apponuntur; hic minutim fragmenta quædam, & micæ: illic nulla fames, sed copia. Vnde Propheta: *Gustate & videte, quoniã suauis est Dominus: satiabor cum apparuerit gloria tua*, i. quando ad satietatem tua maiestate implebor. Ibi cornu copiæ erit.

Psal.] *Replebimur in bonis domus tuæ.*

Psal.] *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.*

Psal.] *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Isai. 66.] *Gaudete gaudio vniuersi qui lugetis per Ierusalem, vt sugatis, & repleamini ab vbere consolationis eius: vt mulgeatis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius.*

Auditis abundantiam. Omnes abundabunt, etiamsi non omnes beabuntur æqualiter; sed quilibet secũdum merita. Sicut in instructissima mensa, qualis est aut *Solis* apud Æthiopas, aut Assueri Regis, omnes saturantur, omnes abundant, quamuis non omnes æqualiter comedant, sed alius plus, alius minus, pro ætate, pro fame, pro capacitate stomachi. Fœminæ enim & pueri non comedunt quantum viri, nec senes quantum iuuenes, & inter iuuenes alius pernam vorat integram, alius bouem vno fere prandio, quos homines recte *baratra macelli* dixeris. Alij contra vno saturantur ouo, vno pullo, vna buccella, & tamẽ omnes à mensa bene pasti surgunt. Aut cum mulierculæ simul ad fontem vadunt aquatum; huius vnam, alterius amphora duas, alterius tres vel quatuor capit mensuras, & singulæ suas implent, quamuis non æque multum

rum capiant. Sic in Dei gloria omnes tractabuntur pro meritis, alius plus, alius minus, & interim minimus etiam abundabit; contentus optime, quia stomachus ac vasculum ipsius nō plus capiet, i. meritis ipsius non plus debebitur, & desideria bene regulata, nihil vltra appetent. Sic de cœlesti manna. *Nec qui plus collegit, habuit amplius: nec qui minus parauerat, reperit minus: sed singuli iuxta id quod edere poterant cōgregauerunt, dicit Exodus. Qui multum non abundauit: & qui modicum, non minorauit,* inquit S. Paulus de eadem re. Hic inter mortales, *omnis copia quæ non est Deus meus, mihi est egestas,* inquit S. Augustinus in soliloquiis. Sic tanquam parui catuli viuimus de micis quæ cadunt ex cælesti mensa: hic tantum *panē* habemus *arctum, & aquam breuem,* vt captiui, respectu mēsæ istius. Hic semper cum Prodigo vere dicere possumus: *Ego autem hic fame pereo.*

*Exod.16.*

2. *Cor.8.*

*D. August. soliloq. cap.13.*

*Isaia 30.*

At de his nimium protraho sermonem: relinquam hic opus imperfectum, nondum enim proposui omnia quæ supra promiseram, & ne prolixitas onerosa sit & patientiam vestram grauet, ac nimium iis subtrahat temporis qui viuunt in diem, & lucrantur panem, cras Deo volente reliquias apponemus. *Quod differtur non aufertur.* Ite in pace.

Amen.

CON-

# CONCIO XVI.

*Græca.* 7. Εἶπε πόσοι μίσθιοι τοῦ πατρός μου περισσεύονται ἄρτων, ἐγὼ δὲ λιμῷ ἀπόλλυμαι.

*Vulgata.* 7. *Dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.*

*Syriaca.* 7. *Ait, quot sunt nunc mercenarij in domo Patris mei qui abundant pane, ego vero hic fame pereo.*

## ARGVMENTVM.

*Dicemus hodie*

1. *Iterum cur dixerit panibus in plurali numero, & non solum pane.*
2. *Cur potius abundare pane, quam in cibo.*
3. *Verbulum vnum de quibusdam mercenariis.*

## AVE.

### I.

### *Iterum cur dixerit panibus in plurali numero, & non solum pane.*

IMEO fere, dilectissimi, vt nonnulli vestrum audientes semper sibi occini panes, idem de me sentiant quod de Augusto Virgilius. Dicitur enim lepidus ille homo, videns ab Imperatore omnium salaria panibus persolui, adacto eorum numero pro cuiusque merito, familiaritet ipsi dixisse, de pistoria natum videri familia. Forte & vestrum aliqui dicent, semper audientes panem. Ille Pater, concionator noster pistorisne alicuius est filius? nam *tractant fabrilia fabri,*

*Nauita de ventis, de tauris narrat arator,*
*Enumerat miles vulnera, pastor oues.*

Cui tempestates semper in ore, æquora, fluctus, Nauarchus videtur aut gubernator: cui taurus, agricola: cui cædes, fulmina, sanguis, miles: cui agni & capræ,

ræ, pastor, aut de pastore natus. Cur non igitur dicet quis pistoris putabimus filium, qui semper de pane loquitur? Sed parum laboro quid de me cogitetur, num filius habear pistoris, an villici, an nobilis, an diuitis, an pauperis: dummodo bonus habear, vt habeor per gratiam Dei, ac reuera sim non infectus nostri seculi vitiis. Et modo panes non conficiam nimis paruos, quod de pistoribus iactant, id est, sim iustus, bene crisians, bene purgans, meam farinam, meam conscientiam, ante omnia: deinde & aliorum. Dummodo aliis frangens verbi Dei panem, ipse mei non obliuiscar, & conquerar cum Dauide, quia *oblitus sum comedere panem meum*. Et cur huius opificij nomen recusem, cum idem Deus exercuerit quadraginta annis in deserto, populum cœlesti pane & manna pascens. Artificium quod sanctus tractauit Spiritus, quando confecit vitæ panem, in vteri virginalis pistrino. Si enim Christus panis vitæ fuit, *conceptus de Spiritu Sancto*, sine viri opera, cur Spiritum sanctum non appellem pistorem, opificem incarnati Dei; qui tam sæpe pistoriam exercuit, reficiens tot hominum millia, multiplicatis panibus, quos quasi in manibus pinsuit, ac parauit? cur erubescceret homo opificium inter omnia maxime necessarium, quod ipsis etiam tractandum est regibus; quo & concionatorum officia naturalissime repræsentantur. Si enim Dei sermo animarum nostrarum panis est, collectus & compactus tot diuersis ex omni parte sententiis, tanquam grauis; deinde commolitus, cribratus, bene examinatus, pistus bene cum modica secularis doctrinæ aqua, coctus magno iudicio discretionis, ac deniq; vobis distributus; quid reuera aliud sumus quam Dei pistores, ad animarum nostrarum sustẽtationem? Etiamsi igitur filium pistoris aliquis me putaret (qui tamen non sum) nullam mihi faceret contumeliam. At cuius auribus toties repetita panum declamatio ingrata potest esse, cuius palato quotidie panis sapit: qui panem quotidianum quotidie petit: nec timet singulis momentis Dei pulsare ac obtundere aures, *panem panem* flagitans. Cum nemo

nemo ipſis de pane locutus, cũ nemo panẽ ipſis poſtularit, cum nemo panẽ dederit. Nobileſne hæ Virgines, Chriſtianæ Veſtales, Canonicæ tam honorati Collegij? Timerem certe ſi quæ iam ſatura Dei panes faſtidiret, (quod tamen non opinor, nec ſpero futurum) tandem ſentiret panis inediam, & huius & illius quo quotidie paſcimur. *Emittam famem in terram: non famem panis, neq; ſitim aquæ; ſed audiendi verbum Domini, & commouebuntur à mari vſq; ad mare, & ab Aquilone vſq; ad Orientem circuibunt, quærentes verbum Domini, & non inuenient.*

Amos. 2.

Sed auertet hoc Deus. Non enim vobis opinor tædioſum audire toties panes. Age igitur, incipiamus apponere panes, qui heri ob breuitatem temporis fuerunt dilati.

Dico igitur introduci Prodigum noſtrum in plurali numero de panibus loquentem, vt indicetur Deus aliter in proſperis, aliter in aduerſis nutrire hominem. Vt enim corpus vegetum, & validum æſtate aliis viuit cibis, vt lactucis, oluſculis, aliis bruma, in ægritudine & hyeme: ſic & anima. Quibuſnam igitur alimentis fouet Deus iſtos fortunæ pullos, ac filios, qui nutu orbem mouent, & omnia habent pro voto. Nihil manducant dices, quam panem triticeum, & ſimilagineũ; nihil niſi manna, & ambroſiam cœli. Panes ſunt quibus ſaturãtur, quos ſoli comedere non deberent, ſine conuiua paupere, vt faciebat Iob. *Si comedi buccellam meam ſolus: mittite partes eis, qui non habent.* Sed Deus paſcit eos etiam pane fermentato, ne nimium craſſeſcant, aut inflẽtur, i. nimium ſuperbiant: timore videlicet lapſus, malique exitus. *Qui ſtat, videat ne cadat.* *Panem tuum in conturbatione comede. Antequam comedam ſuſpiro.*

Ezech. 12.

Permittit Deus vt agitẽtur, vexentur litibus, detractionibus, & inquietudinibus, quæ poſſeſſiones conſequuntur. Permittit vt vxor moleſta ſit coniugi, aut maritus. Mandendæ ſæpe ſunt anguſtiarum cruſtæ, & acerbitates: nunc hoc obiicit, nunc illud, inuida, garrula, nunc alia ratione intolerabilis eſt: vt vxor Iob,

Xan-

Xantippe Socrati, Iuno Ioui. Iam sterilia sunt matrimonia non nascẽtibus filiis, iã supra modũ fœcunda, & rursum onerosa. Semper aliquid immittitur aduersi. *Cinerem tãquam panem manducabã.* Tantali in medio bonorum suorum vt vellent gaudere, nõ possunt, afflicti morbis, iam ægritudinibus, dura mortis ingeritur memoria, quam nequeunt euadere. *O mors quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substãtijs suis, viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum; Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Eccle. 41.

Ita hos panes miscet, vt huius acrimonia alterius suauitatẽ tẽperet, vt homo in humilitate cõtineatur.

In aduersitate autẽ qualẽ Deus ministrat hominibus panem? Manducant abunde panem Heliæ subcinericeum, panem hordeaceum, panem parum sapidum, panem lapidosum, quasi recens ex acutis molanibus; panem mordacem, qui strangulat fere, raditque gulam. Hunc Deus dat, sed non solum: addit & alium. *Abundant* etiam *panibus* consolationis internæ, dum sentiunt se reuera esse filios Dei; quia tribulationibus, filiorum Dei pane, sustentãtur. Ostendit ipsis sentẽtiæ suæ antiquæ veritatẽ *in sudore vultus tui vescẽris pane.* Genes. 3.

Item tribulationes regiam esse viam, qua recta & secure ad cœlum perueniatur. Item materiam esse coronę maioris, aut benignioris purgatorij. Item breues illas esse, & miserias æternæ gloriæ pondus operari. Item facit vt mors illis minus appareat terribilis. Mille deniq; tales panes largitur, quorum nomina ignoramus. *Videmus bonorum truces, sed non videmus vnctiones. Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra quam potestis.*

Psal.] *Secundum multitudinẽ dolorum meorũ in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

Tantum huius, quantum alterius: si vncia aduersitatis est, est & vncia solatij: tantum mellis, quantum fellis, tantum sacchari, quantum aloes; imo sæpe amplius saccarati panis, aut Martij consolationum diuinarum, quam hordeacei afflictionum.

Si *abun-*

Si *abundant panibus*, respectu eiusdem conscientiæ dictum sit, quæ diuerso statu ac tempore iam sedem gratia, iam in peccato: Ah quam hoc bene, quã vere! Reuera enim, dilectissimi anima ex apothecis Dei mirabilem accipit saccarati ac Martij panis abundantiã *Mel & lac sub lingua eius.* Nihil nisi plane roseum, ac suaue, de cerebro in memoriam & cordis affectum distillat. Ex memoria inquam bonorũ sensuum, ex memoria mutui amoris inter se & Deum (sicut amores seculi de amicæ gratia securi) dicens *Dilectus meus mihi, & ego illi. & ad me conuersio eius:* quod vult Deus, volo, quod ego volo, vult Deus. *Voluntatem timentium se faciet:* & alibi in Iosue. *Obedienti Deo voci hominis.* Ex suaui memoria quod dives, quod potens, quod domina totius mundi facta sit anima, per mutuum Dei amorem, qui ita corda iungit, vt plane vnum sit, &, vt est in prouerbio, *omnia habeant communia.* Sic inter ipsum Deum & iustos agitur, inquit Clemens Alexandrinus, & ante ipsum Diogenes Philosophus.

Clemens Alexandrinus Orat. exhortatoria ad gentes in fine.] *Si sunt communia ea quæ sunt amicorum: est autem homo religiosus, & Dei amicus, verbo intercedente fiunt omnia ita hominis, quia Dei sunt omnia, & sunt omnia amborum amicorum communia Dei & hominis. Nobis ergo hoc nunc restat, vt dicamus eum solum qui est pius, ac religiosus, esse Christianum & diuitem.*

Diog. Laert. lib. de vit. Philos.] *Ratiocinabatur Diogenes in hunc modum. Omnia Deorum sunt. Dijs autem amici Sapientes sunt. Sunt autem amicorum cuncta communia, omnia igitur sapientum sunt.*

1. Cor. 3.] *Omnia nostra sunt*

*Nihil habentes & omnia possidentes.*
*Credenti totus mundus, diuitiarum est.*
*Omnia possum in eo qui me confortat: ego dixi Dij estis.*

Omnia iustorum sunt, aut re aut spe, inquit doctus & deuotus noster Doctor S. Bernardinus. Si enim omnia in tres classes diuisa sunt, in superiora homine, paria, & inferiora: vere omnia hominum sunt. Fruitur enim

& gaudet

gaudet summis, i. Deo. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum:* pares ipsi in auxilium dati sunt, videlicet Angeli. *Omnes sunt administratorij Spiritus* in salutem. Inferiora ipsi tanquam Hero & Domino seruiunt. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Hebr. 11.

Magister sent. lib. 2. dist. 1. §. H.] *Totum bonum hominis erat, & quod factum est propter ipsum, & propter quod ipse factus est.* O quam suauis animę panis, omnia posse apud Deum amicum. Quam suaue est intelligere, omnes Angelos & cœlestes Choros, & omnem creaturam tibi esse amicam, inimicam sceleratis, ac insensatis: contra quos omnis mundus armatur. *Quæ conueniunt in aliquo tertio ea quoq; inter se conueniunt.* Rex Iosaphat dicebat Ioram, *qui meus est tuus est.* Et Prodigi pater postea dicet seniori filio, *omnia mea tua.* Sic inter Deum & animas pias. Si stabilis amicitia vnius atque alterius tantopere nos recreat, quam iucunda erit animæ tanta amicorum societas, Dei, curiæ triũphantis, Ecclesiæ militantis, ac tanti exercitus? Quantum confortabit ille panis quod certo sciat se ac vita sua bona Angelis adferre lætitiam, quodque, vt ita dicam, talis hic sanctus sit, de quo sancti in cœlo exultant. *Gaudium est Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente.* Nonne hic reuera panis Martius? Quid obsecro dicam de panibus deuotæ contemplationis, & orationis: Quomodo pij non minus saginentur bene viuendo, quam alij bene edendo. *Meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei:* aiebat Dominus noster. Et quantus panis est conscientiæ tranquillitas? Hic panis, dilectissimi, adeo pinguis, adeo considerabilis, adeo sapidus, ac tam bene nutriens, vt vti intelligentes existiment Epicurum, constituentem summum bonum in voluptatibus, de cõscientiæ tranquillitate hoc fuisse locutum, quia nimirum nulla voluptas possit ei comparari.

Cicero lib. de finib.] *Clamat Epicurus is, quem vos nimis voluptatibus esse deditum dicitis, non posse iucunde viui, nisi honeste, sapienter, iusteq; viuatur: nec sapienter, honeste, iuste, nisi iucunde.*

Ibidem.] *Sapientes bona præterita, grata renouata recordatione delectant.*

*Secura mens quasi iuge conuiuium.*

Videte, videte panes filiorum Dei. Omnes recensere mihi foret impossibile. *Abundant panibus*, nimi copia est. Quid (nonnunquam ita abundant vt 12. superfint cophini, ac cogantur eos remittere; vt quibusdam in vrbibus confratres nostri Cappuccini faciunt. Nunquamne habuistis, dilectissimi, inter pias imagines, in libellis vestris, illam magni Indię Apostoli Francisci Xauerij societatis Iesu, sculptam ab Hieronymo Wierx raræ artis magistro, vbi Sanctus ille decussis ante pectus in crucem manibus, oculis in cœlum suspiciens, irradiatus splendore quodam cœlesti, dicit: *Satis est Domine, satis est.* Quid voluit dicere bonus ille pater? nisi Domine consolationum tuarum panes, infirmitati meæ nimium fortes sunt, nimium dispensas liberaliter, stomachus animæ meæ tantam copiam non capit, cor mortale tanta dulcedine defecit. *Mel si nimium etiam amarum. Mel inuenisti, comede quod sufficit. In quibusdam regionibus ita fortis est panis & durus, quod non est sumendus ad satietatem: & si sumitur, sumens inflatur, & torquetur,* ait Philipp. Cancell. Paris. in Ps. 79.

Equidem sic ego interpretor, secutus Horatiũ Tursellinum, ex eadem societate, qui scribit in vita ipsius, quod similibus verbis non raro solus vtebatur. Ipsa si placet historici verba audiamus, in testimonium deuotionis meæ in sanctum istum.

Horatius Tursellinus. l. 2. vitę Francisci Xauerij c. 10.] *Sæpius in eiusmodi laboribus superfundente se cœlesti lætitia, auditus est, cum remoto ab arbitris (vt credebat) loco ita diceret: Quæso te, Domine, noli. si placet, noli me tanta gaudiorum mole obruere in hac vita: aut certe si pro tua infinita benignitate vis tantis circumfluere me lætitiis, transfer in domicilium beatorum: nam qui tuam semel dulcedinem interiore gustauit sensu, vitam sine te acerbam viuat necesse est.*

Psal.] *Gustate, gustate, & videte quoniã suauis est Dominus.*

Psal.]

Psal.] *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde.*

Sed conscientia in peccato quali abundat pane. Accipite in scripturis nonne inuenimus panem doloris? *Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris.* Nonne & panem afflictionis? *Septem diebus comedes absque fermento, afflictionis panem.* Siluerius Papa de loco exilij sui cuidam Episcopo scribit, *Sustentor pane tribulationis, & aqua angustiæ.* Nonne & panes lachrymarum? *Fuerunt mihi*, inquit Psalmista, *lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Ac alij dicunt: *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura.* Et nonne satis hoc esset pro lachrymarum pane, quod primo nostri generis peccatori dixerit Deus, *in sudore vultus tui vesceris pane tuo*, id est, viues lachrymis, qui sunt quasi oculorum cassus salsusque sudor, tanquam panibus.

Deut. 6. Breu. Rom. 20 Iunij. Psal. 41. Psal. 79.

Hi omnes peccatricis conscientiæ panes sunt: sed sicut peccatricem conscientiam dupliciter considerare possumus: Vel tanquam complacentem sibi in peccato, & continuantem malitiam, vel tanquam dolentem de præteritis, ac lachrymantem & castigantem vitem priorem, & ad meliora tendentem: sic etiam duplex doloris panis est.

Alius pro induratis; alius pro pœnitentibus. Pro induratis, copia panis hordeacei, strangulantis edentem, causantis suspiria digestionis duræ, panis lapidosus. Vnde Plinius talem damnauit ad bestias. *Panem ex hordeo antiquis vsitatum vita damnauit, quadrupedumq; tradidit refectibus.*

Plin. lib. 18. c. 7.

Dico copiam panis tædij, displicentiæ, suspiriorum, lachrymarum, gemituum, & tamen infructuosorum. *Pœnitentiam agentes, intra se & pra angustia spiritus gementes.* Omnis panis damnatorum, in inferno, dolentium, hoc aut illud esse factum, non tamen ab eo abstinere volentium: (de quo pane Esau manducauit, & Ant. Antiochus) *Non enim inuenit Esau pœnitentiæ locum quamuis cum lachrymis inquisisset eam.* Panes

ex glande, tribulationis, angustiæ, pleni & furfure, qui masticatus stridorem inducit dentibus. Panis plenus vermibus, terribilibus aspectu, horribilibus tactu, execrandis gustatu. *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.*

*Iob. 20.*

Ah Deus quales panes. *Panis huius repletio pessima.* Constat hoc nimium. Quoties enim Dei mei obliuiscor, non negligit Deus hunc mihi ingerere panem, vt sic excitet animam, seruitij Diuini obliuiscentem: & quis ex vobis necdum panis istius particulam gustauit? Faciat Deus benignus pater, ne vnquam eum gustemus, nunquam eo impleamur, propter vitam in deterius commutatam. Da Domine hanc mihi gratiam, & populo huic, obsecro te, per teipsum, & filium tuum Christum Iesum crucifixum pro nobis. Abundant interim tali pane conscientiæ peccatorum, nocte, die, semper funesto illo pane: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* In surgendo hic panis, in incumbendo hic panis, in ientando, in prandendo, in cœnando, hic panis: hic panis in vigilia, in somno, quid? etiam inter choreas, inter tripudia, & delicias, semper hi panes doloris & lachrymarum. *Antequam comedam suspiro.*

Psal.] *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.*

Prou.] *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.*

Videmus nonnunquam ridere peccatores: sed risus ille non transit labia: risus vt aiunt Sardonici sunt, qui crucem & mortem secum trahunt.

Videmus illos foris hilares, sed si Momi fenestellam gestarent in pectore, videremus eos intus torqueri, affligi, crucifigi. Vmbras quasdam & phantasmata videmus consolationum, sed vera ipsorum flagella, cruces, patibula, quibus suffiguntur miseræ ipsorum animæ, non suspicimus. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Optimo iure illi dicerent. Ah inter quam raras rosas quot spinis pungimur?

*Psal. 38.*

Cicero 1. de Finibus.] *Neque enim ciuitas in seditione beata*

*lata esse potest, nec in discordia Dominorum domus, quo minus animus à se ipso dissidens ipse secumque discordans, gustare partem vllam liquidæ voluptatis & liberæ potest: atq; pugnantibus & contrariis studiis, consiliisque semper vtens nihil quieti videre, nihil tranquilli potest. Quod si corporis grauioribus morbis, vitæ iucunditas impeditur: quãto magis animi morbis impediri necesse est? Animi autem morbi sunt cupiditates immensæ & inanes diuitiarũ gloriæ, dominationis, libidinosarum etiam voluptatum, &c.*

Prou. ] *Tinea ossium cor intelligens. ····· Qui addit scientiam (sui) addit dolorem.*

D.Amb.lib.5 Ep.18. ] *Nullus maior dolor est, quam is qui peccati mucrone vulnerat conscientiam.*

Isidor.lib. 2.soliloq. ] *Nulla pœna grauior pœna conscientiæ.*

Si timetis panes hos duros, cauete Deum offendere, aut si iam offensus est, emẽdate vos, & redite quamprimum in gratiam.

Sunt & panes pœnitentis conscientiæ. *Abundant panibus.* Dat eis Deus panem amaro-dulcem, contritionis, & doloris, pro voluptatibus præteritis: doloris dico non quia illa rursum desideret; sed quia omnia illa detestetur. Panem lachrymarum pro risibus, & iocis iucundis, pro tempore perdito, pro eo quod Deo ingrati fuerint, Angelis, & omni creaturæ; quod paradysum perdiderint, infernum quæsierint, quod se Deumque amiserint. *Deus meus & omnia*, sæpe dicebat noster S.P.Franciscus. Quælibet talis anima optime Noemi verbis vti potest: *Ne vocetis me Noemi (i. pulchram) sed vocate me Mara (i.amaram) quia amaritudine valde repleuit me omnipotens:* & Psalmistæ. *Cibabis nos pane lachrymarũ, & potum dabis nobis in lachrymis, in mensura.* (*Maxima mensura vertit Vatablus*) *& annotat q.d.potasti eos lachrymis abundantissime. Abundant panibus* egressus Petrus foras, fleuit amare. Sed quid, inquiet aliquis, lachrymas appellas panem? cassne aliquis alteri inuidet, nonne potius miseretur? & tamen Prodigus hic earum videtur cupidus: dicens,

*Ruth.1.*

*Psal.79.*

*Quãti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* Ah quot sunt ibi mercenarij, & peccatores pœnitentes in domo patris mei, qui abundant panibus, qui largiter flent, & plorant peccata sua, & ego hic fame morior; totus siccus, lapide durior, nec vnam quidem guttam pro scelerata vita ab oculis extorqueo? Optaret quis lachrymas a me inuideret? imo vero: lachrymæ panes sunt, optimi, digni qui cupide desiderentur. Panis, vitam quidem hominis sustentat, mortuo tamen eam non reddit. Sed panis lachrymarum, compunctio, & afflictio, omnia hæc facit pariter. Vitam fouet; continens nos in bono statu, quando in eo sumus.

O felicem statum gratiæ! quæ statio melior, refectio pulchrior, quæ materia beatior? In eo nos panis lachrymarum continet, suo apud Deũ merito; & quia videns homo quanti constent lachrymæ, & peccatorum pœnitentiæ, timeat in posterum modicam voluptatem tãti emere. Pro vna enim voluptate, mille succedunt dolores; ac tum dicit: *Nocet empta dolore voluptas? Quam carè semel in toto nox vertitur anno.*

Ah *pœnitere tanti non emam* dicit tandem bene deliberatus; sicut Demosthenes Laidi, Scorto Corinthi celeberrimo. Et non tãtum hanc gratiæ vitam in nobis sustentat, sed perditam etiam restituit. Bene plorãtes, bene cõtundentes nostra peccata, cogimus quasi Deũ vt gratiam nobis reddat. Non meministis Dominum, ante resuscitationem Lazari fleuisse, & cum redẽptionem nostram in crucis arbore operaretur, exaudítum esse *cum lachrymis, & clamore valido*, vt inquit S. Paulus? Nescitis Pelicanũ, vt resuscitet paruulos, sanguinem plorare de pectore? Lachrymæ igitur panes vitæ sunt, multo potentiores efficaciores q; nostro vulgari. Si panis communis, vt aliquoties ex Plinio repeto, infinitis prope medetur morbis; certe lachrymæ contra omnia mala, & peccata nõ minus valent. Antidota sunt præseruantia ne accidant, restaurantia si acciderint. Contra mala etiam pœnæ, & flagella Dei quantum valent. Quis ignorat quantum potuerint lachry-

*Propert. l. 2.*

mæ

næ Petri, Magdalenæ, &c. D. Hieron. in Isaiam.] *Oratio Deum lenit, sed lachrymæ cogit: hæc vngit, sed illa pungit. Lachrymæ hæ arma sunt paruulorum in matres, discipulorum in magistros, vxorum in maritos.*

Terent. in Eunucho. Act. 1. Scen. 1 ] *Hæc verba (adolescentis comminatoria scilicet aduersus Thaidem suam) quæ me hercle falsa lachrymula (Thaidis sc.) quam oculaturendo misere, vix vi expresserit, restinguet & te vltro accusabis, & dabis ei vltro supplicium.*

Flagitiosorum in iudices, pauperum & indigentiũ adiutes & immisericordes. Lachrymæ denique arma sunt validissima, quæ obdurata expugnant corda, & suauitatem ac voluptatem adferunt.

*Est quædam flere voluptas:* *Ouid.*
*Expletur lachrymis egeriturq; dolor.*

Per lachrymas, desideria euaporant, tanquã per vaporum spiracula, & spiritus nimiũ conclusus, & arctatus, illa in lachrymas resolutione elabitur, & se quasi in libertatẽ restituit: de quo tantum legendus Aristoteles. Si panis proprius hominis cibus est, flere etiam proprium hominis actio est. Solus enim homo lachrymat, inter omnia animalia: falsæ sunt Crocodili lachrymæ, & Ceruorum, quos nimium instantes exprimunt venatores. Si panis ex granis cõficitur bene tritis in area, bene contusis in mola, bene subactis in pistrino; vnde lachrymæ procedũt nisi ex tunsionibus, pressuris externis, contritione interna; nisi ex animæ angustia, & cordis afflictione. Lachrymæ igitur bene inspectę, magnam cum pane habent similitudinẽ; nec male significantur per illud *abundant panibus*; & per consequens, pie etiam inuideri & desiderari possunt, sicut à famelicis larga mensa, & saturitas; à vitiosis virtutes. Non vt alij priuentur qui habẽt, sed vt illi etiam accipiant qui non habent. Si enim lachrymarum panis desiderabilis non esset, cur in collecta diceret Ecclesia. *Educ de cordis nostri duritia compunctionis lachrymas?* Cur Sacerdotes quando ad sacrum se induunt, legerent; *Merear Domine portare manipulum fletus & doloris?* Cur optaret Ieremias:

*Aristot. lib. 1. Rhet. cap. de iucundis & voluptatem afferentibus.*

Ierem.9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Cur diceret Propheta Dauid: *Renuit consolari anima mea?* Cur omnes sancti amarunt & commendauit lachrymas, & diligenter

Ouid. lib. 2. de remed. *Vt flerent oculos erudiêre suos.*

Matth.5. Dominus noster nonne dicit *Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur.*

Luc.6.] *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.*

*Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.*

Et Rex Dauid, *qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.*

Et Salomon filius eius: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum gaudij.*

Cur Dominus gemebunda ad sacrificium postularet animalia, vt Turtures, Columbas?

Cur toties fleuit Christus, nunquam risit?

Cur Petrus perpetuo fere, & singulis momentis, post abnegationem fleuit?

Cur S. Franciscus lachrymarum copia oculos fere extinxit, & cum moneretur parcere oculis, respondit non tanti debere esse corporis sensus, vt propterea languere debeat vigor animæ deuotę, quæ nutritur suspiriis, & per lachrymas in conspectum Dei adducitur?

D. Bonau. c. 5. vitæ D. Franc. Cur Franciscus Xauerius adeo gauisus est inuenisse se nsulas, in quibus oculos lachrymis perderet? *Hanc (inquit) in primis aptæ atq; appositæ ad oculorum aciem ex iucundissima lachrymarum vbertate perdendam esse videntur.*

Horat. Tursell. lib. 3. de vita Franc. Xauerij. cap. 3. Cur non placuit S. Hieronymo matrona vlla Romana, quæ non luctu & lachrymis quasi excæcaretur?

Hieron. ad Asellam Virginem Ep.] *Te delectant cachinnantium greges: me Paula Melaniaq; plangentes.*

Ibidem.] *Nulla fuit alia Romæ matronarum, quæ meæ posset edomare mentem nisi lugens atq; ieiunans, squalens sordibus, fletibus pene cæcata, quam continuis noctibus misericordiam Domini deprecantem Sol sæpe deprehendit: cuius Canticum, Psalmi sunt: sermo Euan-*

gelium

*lium, delicia continentia, vita ieiunium.*

Cur Heraclitus Philosophus gentilis, natione Ephesius, non secus ac si lachrymæ præcipua esset Philosophiæ pars; totus diffundebatur in lachrymas, semper tali comite exiens ab ædibus? Persuasus mundum theatrum esse miseriarum, dignum perpetuo planctu, & commiseratione. *Vallis lachrymarum. Assensiones in corde disposuit in valle lachrymarum, &c.*

Sicut desiderabile est, vt densi aliquando cadant imbres, vt redeat latens in nubilo serenitas, terræque fœcunditas; vt canicularium dierum ardores temperentur: sic animæ non minus desiderabile lachrymarum donum, ad serenandam turbatam conscientiam, fœcundandam bonis operibus, refrigerandum concupiscentiæ ignem. Nō cogitatis dilectissimi quibusdam lachrymas risu esse dulciores? gemitus, & suspiria, nuptialibus gratiora cantibus? Desideria quædam, & tædia suauiora quam res habitæ ad arbitrium? Sunt & lachrymæ lætæ, sunt lachrymæ amoris, sunt lachrymę dulces, quis dubitet? Oh! *lachrymor gaudio*, dicebat alius. Lachrymæ Ioseph, inter fratres suos, post priores metus, & formidines, nonne suaues, nonne gratæ fuerunt, melle dulciores, & lachrymis vinearum, dulcissimę omnium arboris? Aristoteles rem dicit admirabilem: cognatos & amicos flere, esse iucundū; quod tamen certissimum. Quia tum videntur nobis esse ante oculos, & iucundum est reminisci præclara eorum gesta, proboque mores. Eas ego dico amarodulces: si enim molestum quoddam desiderium est absentium quos ploramus, ita voluptas etiam quædam est, eos recordatione quasi præsentes videre, ac si viuerent. Aristoteles hunc Poetæ versum adducit.

*Terent. in Adelph. act. 3. Scen. 3. Genes. 43. Arist. 1. Rhe. cap. de iucundis, &c.*

*Sic fatus flendi cunctis immisit amorem.*

Sed non solum flere iucundum est propter repræsentationem istam, sed etiam quia ita animus pressus, & arctatus, in latitudinem ac libertatem vindicatur, & ardens quasi refrigeratur illa aspergine. *Panis igitur desiderabilis lachrymarum.*

*Daniel. 10.*

Cassiod. in Psal.] *Fuerunt mihi lachryma mea, &c.*

*Fletus consolatio est animarum, corroboratio sensuum, ablutio peccatorum, refectio mentium, lauacrum cuiusrum.*

*Ouid. lib. Metam.* *Flumina tum lactis, tum flumina nectaris ibant.*

Gratæ inquam & dulces sunt tales lachrymæ. Non dulces vt senum, qui ex cruditate lachrymant, non ex aduersitatibus dulces, & frigidas lachrymas: sed iucundę, dulces, & calidę, nostro affectui, quia illas tanquam virtuosas ambimus, tanquam peccati destructrices, reparatrices gratiæ perditæ, nutrices humilitatis, nouitias commodas pro religione ad perfectionem, & reformationem tēdente. Ecce cur bonus quidam pater pœnitenti animę consuluerit, *de peccato doleat & de dolore gaudeat.* Ac alteri duriusculo; *dole quod non doles.* Hinc non male Prodigus noster lachrymas iis inuidet, qui eas tam copiose ac liberaliter pro peccatis suis fundunt. Dolet quod non doleat, quod Spiritus sanctus gemere ipsum necdum faciat, vt ait S. Paulus ad Romanos. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Piget quod bonus ipsi Angelus tam viuaciter cor necdum tetigerit, quum olim filiis Israel, quodam loco qui inde postea appellatus est *locus flentium ac lachrymarum*: quod necdum cum Dauide & perfectioribus dicere possit: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.*

*Rom 8.* *Iosue 2.* *Psal.*

Psal.] *Panem meum cum fletu miscebam.*

Deplorat quod satis necdum ploret, aut non vt decet, aut pro quo decet: quod suspiria non trudant suspiria, lachrymæ lachrymas, vt fluctus fluctum, & vnda vndam. Tantam optat copiam vt oculorum via nō satis se exonerent, nouosque quærant exitus, atque ita in cor relabantur, & dulci quasi morte suffocent. O mortem suauem! O tormentum desiderabile!

Insuper si ad tres gradus spiritualis vitæ, *Incipientium* scilicet, *Proficientium & Perfectorum* referamus, quantis *abundant panibus.* Ostendit enim vnicuique gradui suum esse panem, alium incipiētibus, & imperfectis, alium proficientibus, alium perfectis. Meminerint

int sic Doctiores de pane, qui à Prudentio dicitur *panis gradilis*. Qui in eleemosynas distribuebatur. Sic dictus quod olim populo Romano capitatim distribueretur, in gradibus. Quo respexisse videtur in isto versu Poeta. *Et quem panis alit, gradibus dispensus ab altis*, ideſt, eleemosynæ.

Meminerint etiam tot esse Psalmos, quos Ecclesia appellat Graduales. Ac in omni domo & Republ. reque bene constituto, graduum debere inueniri distinctionem.

Dicere ergo voluit Prodigus, pro incipientibus ac nouitiis Christianis, & spititualibus, qui Deo adhuc pro bonis temporalibus seruiunt, inueniri in Ecclesia certos panes, vt simplicem rudemque Catechismū, (quem alicubi Apostolus lac appellat) & elemēta, primaque principia status quem amplectuntur, tā quoad fidem, quam quoad mores: suauem ac paternam correctionem Prodigorum, vel Prælatorum, consolationes internas, lachrymas, & in oratione deuotiones quasdam sensibiles, ex parte Dei, quas nescio quo appellem nomine, aut qua ratione explicem vt intelligar, nisi & auditor, & interpres eas aliquando degustarit. Panis hic appellari potest *panis primitiarum*, melius etiam panis Angelorum; quia ab Angelis administratur qui consolatores, & adiutores sunt pœnitentium. *Leuit. 3.*

Item manna cœli: quia sicut manna Israelitis datū est, quam primum pedem efferentes Ægypto ingressi sunt desertum; sic etiam Deus nouitiis in seruitio suo suauiter Diuina cōsolatione occurrit. *Pauperes eius saturabo panibus.* *Psal. 131.* Deus noster, dilectissimi, & tum & modo agit cum incipiētibus sicut nos, cum cane nouiter donato, quē vt sequatur, docere volumus. Mulcemus ipsi dorsum, pellemque suaui popismate, inspuimus in os lambendam saliuam, adulamur, apponimus cibos suauiores, caseum, panesque gestatos sub accellis, ac mille alia admouemus blandimēta; aut qui equum assuefacere vult, aut mansuefacere leonem, blanditur, mulcet, nihil relinquit infectum.

Vel

Vel vt prudens Hortulanus, noua semina ac plantas suauiter opportuneque rigat, vmbram facit, ne Sol vrat, fodit circumcirca, stercorat, tegit, retegit sollicite, vt radices agant, crescant, & fructum faciant. Aut vt bona nutrix, quæ sollicite educat infantem, lacte suum præbet, aliquando & alienum, bestiarum cum saccaro decoctum, cibos dein solidiores, ac postea, vt lauet, vt ornet, vt castiget, beneque instituat, panem dat cādidum, puppas, crepitacula, fistulas, crepundia. *Ære leuantur*, inquit Poeta. Aut vt magister discretus, qui discipulum in bicipitem educere vult Parnassum, permittit multa; dat ferias, nec tantum ab ipso exigit, nec tam tersum ac politum, quam ab adultiore; ne Musas statim horreat, ac abiiciat libros, & arma scholastica. *Nam id in primis cauere oportebit* (dicit Quintilianus) *ne studia qui amare nondum potest, oderit & amaritudinem semel perceptam etiam vltra rudes annos reformidet.*

*Quintil. lib. 1. instit. ca. 3.*

Vt versatus Dux instituens agmina, tironem inuitat munusculis, conuiuio, aliquantula libertate, & cum corpora glorioſe vicerit, curat etiam animas expugnare beneuolentia. Sic & Deus, nouis seruis omnē subministrat consolationem, vt eos in officio ac seruitute contineat. Videte obsecro quantis blandiis circumuenerit Adamum vt eum sibi redderet fidelem. Quasi in generali armilustrio omnes illi exhibuit animalium species: fecit ipsum mundi Proregem: dedit vxorem pulchram, bonam: dedit pro dote hortum amœnissimum, vt ibi suauiter viueret. Quid quæso nōs Filios Israel ex Ægypto per mare rubrum sicco deduxit vestigio, ac in eodem Ægyptios, antiquos ipsorum tyrannos omnes vt plumbum demersit: pane cœli suauiter illos aluit 40. annis: fontes eduxit de petra: leges salutares in tabulis lapideis suo digito descripsit: diruit in oculis ipsorum muros Iericho solo tubarum clangore: incarnatus autem quid non fecit? Pax proclamata est ab Angelis, Scaturiuit Romæ fons olei, tres in Oriente apparuerunt Soles redeuntes in vnum, floruerunt vineæ Engaddi. Fundans Ecclesiam dulcissimè

*Eutrop. lib. 6. de gestis Rom. in Augusto.*

sinè suos habuit Apostolos: noluit vt flerent, vt ieiunarent multum sub ipso, dicens non cõuenire vt ploient filij sponsi, dum cum ipsis est sponsus, postmodum istius rei fore tempus: non mitti vinum nouum in vtres veteres, ne rumpantur, ac pereant: nec assumentum panni rudis insui in vestimentum vetus, ne peior scissura fiat. Hæc egit, hæc dixit; versans visibiliter inter nos. Reuersus autem in cœlum, clausisq; cornis, nonne nouis Christianis, nouitiis religiosis, mil- reconsolationes præstat in meditationibus sanctis, in lachrymis, in cantu, in omnibus exercitiis, tanquam panes mellitos, panes Martios, vt dulciaria, crustulaque, quæ paruulis damus: aut vt micas quæ cadunt de mensa dominorum, Angelorum scilicet, & beatorum: panis reuera tali tempori necessarius. *Panis prior prorã.* *Matth.15.*

Quantum ad proficientes, & illi *abundant panibus* ad saturitatem, sed solidioribus, fermentatis, subcinetitiis, coctis igne Spiritus sancti & discretionis, sale aliquando salitis. Panibus pœnitentiæ, tentationum, aduersitatum, laborum, in calamitosa hac vita: sed ita ipsorum robori contemperatis, vt inde semper fortiores fiant tanquam virili pane. *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura.* Deus enim *nõn patitur nos tentari vltra quod possumus*, inquit S. Paulus. Facit omnia, & distribuit, in numero, pondere, & mensura. Sed inquies, quomodo *abundãt*, aut iuxta Græcum *redundant*, si Deus distribuat in põdere? Respondeo redundantiam istam dici propter tentationum frequentiam, ac propter infirmitatem naturæ ipsorum seorsim consideratam: in mensura autem, & pondere dicitur propter gratiam diuinam, quæ roborat naturam infirmam, & facit ipsi videri omnia facilia ac iucunda. Omnes tentationes & aduersitates nimiæ essent homini, si esset solus; iucunda autem sunt & amœna, ac panis benedictus, cum Deus tolerantiam dat, ac gratia sua fulcit & sustentat infirmitatem. *Omnia possum in eo qui me confortat: omnia, omnia.* Diuino præsidio quod in me est fio quasi omni- *Ezech.13.*

potens

potens & inexpugnabilis. *Deus in medio eius non commouebitur.* Perfectiores autē; & magistri nunquid etiā vt reliqui abundant panibus? Æquissimum hoc, tam propter sublimiorem gradum quē habent præ ceteris, quam propter virtutem maiorem in ipsis quam in aliis. Quonam igitur pane abundant? Azymo: virtutibus veris, sine fictione, sine hypocrisi, sine studio vanæ gloriæ, duplicatis & auctis gratiis, quia bene vsi sunt primis; quia talenta commissa multiplicarunt; & sic saginantur semper istis panibus, & tamen auide esuriunt, non secus ac si ieiunassent: id est, semper tendunt in melius, & seipsos student superare, ac si nihil illuc vsque esset actum. *Beatus vir cuius auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum.*

*Benedictionem dabit Legislator: ibunt de virtute in virtutem.* Fient quotidie seipsis meliores.

Semper oculum in anteriora coniiciunt, in ea quę agenda restant, quæ retro factaque sunt obliuiscentur.

Non vident quanta habeant merita, sed quantum adhuc desit: vt homines extreme auari, quibus habita ad noua quærenda calcar sunt, & quicquid habeant nihil sibi habere videntur. *Tam deest auaro quod habet, quam quod non habet: omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* Philip. 3.

Sic Apostolus semper in priora extenditur. *Fratres ego, ego me non arbitror comprehēdisse. Vnum autem quidem retro sunt obliuiscens, ad ea vero quæ sunt prora extendens meipsum ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.*

Sic & Socrates *vnum scio*, inquiebat, *quod nihil scio.* Sic & S. Paulus, in rebus conscientiæ & virtutis. *Vnum scio quod nihil cōscio nihil boni. Plus outre* dicebat noster Carolus Quintus. Sic & S. Franciscus sæpe dicebat fratribus, agite incipiamus, nihil adhuc actum, huc vsque serui fuimus inutiles.

Ad hæc, perfecti tres speciatim habent panes, fidē, spem, & charitatem. Item tres principales Scripturæ sensus,

ensus, tres virtutes nutrices spiritualis hominis potissimas, castitatem, humilitatem, charitatem. Item tres pœnitentiæ partes, quibus quotidie tam pro se quam aliis vtuntur, viuis ac mortuis.

Habent etiam alios quinque custodiã quinque sensuum, habent & alios septem, 7. dona Spiritus sancti; vel 7. virtutes morales, quibus diuinitus complentur. Vnum tamen qui omnes alios bonitate ac suauitate superat proprium. *Panem filiorum*, consolationis ac tranquillitatis conscientiæ: *panem* reuerà *desiderabilẽ*. Daniel 10.

Inter decem istorum fœlicitates, de quibus apud Ecclesiasticum optime etiã hæc recensetur: *Beatus qui non est lapsus in linguâ suâ, & non est stimulatus in consuetũdine delicti.* Nonnulli sancti hanc conscientiæ requiem tanti fecerunt, vt etiam paradiso comparauerunt terrestri, agro benedicto, & inauribus aureis. Eccli. 25.

D. Augustinus sup. Genesim.] *Etiam in ipso homine lætitia quædam bonæ conscientiæ, paradisus est. Vnde & Ecclesia in sanctis temperanter, & pie & iuste viuentibus paradisus recte dicitur, pollens adfluentia gratiarum, castiq; deliciis.*

Et cur non comparetur paradiso, cum oppositum, reuera alibi ostendimus, sit infernus. *Macrob c. 10 in somnum Scipionis Hugo li. 2. de anima c. 3 conscientia bona titulus est religionis; templum Salomonis; ager benedictionis; hortus deliciarum; aureum declinatorium; gaudiũ Angelorum; arca fœderis; thesaurus Regis; aula Dei; habitaculum Spiritus sancti; liber signatus, & clausus & in die iudicij aperiendus.*

Cicero in Catone maiore.] *Conscientia bene actæ vitæ multorum q; beneficiorum recordatio iucundissima est.*

Cicero lib. 1 de finibus testatur, *quosdam interpretari Epicurum, in hoc posuisse summum bonum & voluptatem.*

Et optime dicuntur his *abundare panibus.* Tanta enim aliquando intus est iubilatio, vt & foris se prodat hilaritate, & serenitate vultus, risu, gestibus, verbis, Videte confratres nostros Cappuccinos, honorem ordinis nostri, & cur non omnis ordinis. Vidistisne illos

illos vnquam tristes? sæpe tamen ridenti, sæpe porrecta fronte. Vnde hoc? Ah arbor bene florens, bene virens, testatur succi & pinguedinis subterraneæ abundantiam, qua secreto fouetur; sic & vultus, & externa hominis, hilaria non possunt non esse, quando viscera virtutibus, gratiis, bonis cogitationibus, & desideriis scatent. Quid? ipsa etiam dulcedo panum tranquillitatis bonæ conscientiæ, tristitiam omnem facit delectabilem, vt amaræ aquæ Mariath iniecto ligno, obdulcoratæ sunt; aut per herbam Nepenthes, ita ab Homero commendatam, omnis conuiuij ablata molestia; aut vt exigua scintilla delapsa in magnum mare extinguitur facile.

*Surius tom. 1.*

Testimonium illud conscientiæ adeo salubre medicamentum est, vt omnia facile inconuenientia superet, aliorum peruersas interpretationes, suspiciones, Diaboli etiam tentamenta. *Non offendunt* (inquit S. Lupus Zenonum Episcopus) *obloquentium verba, quem propria nõ inquinat conscientia. Medicata frugibus offa. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Perfecti etiam superne illuminantur, & pascuntur pane prudentiæ, in dictis, factisque omnibus. *Cibauit eũ Deus pane vitæ & intellectus.*

Quæ animæ refectio iuxta Salustium optima est. *Prudentia suauissimus pastus animorum.* Et Dauid vitæ suæ probitati, & obseruantiæ mandatorum Dei, prudentiam fert accepto. *Super inimicos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est.*

Si dicat *abundant panibus* respectu diuersorum mercenariorum: bonorum scilicet & malorum; dicit hoc, quia etiam boni sæpe hic bonis temporalibus, & postea abundant æternis: mali etiam qui nihil pro Deo, sed pro temporalibus omnia faciunt, hic etiam suam mercedem accipiunt; honorem, gloriam, famã, prosperitatem. *Receperunt mercedem suam.* Sed panes hi non spirituales, sed corporales sunt.

Psal.] *Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.*

Sin autem ad tres respexit mundi ætates; ad infantiam

iam scilicet sub Adamo & Noe, ad adolescentiam sub Mose, ad virilem ætatem sub Christo: etiam quam optime hæc quadrāt. Nam reuera in quolibet horum temporum serui Dei saturati sunt panibus, panibus dico animę, panibus verborum Dei, panibus fidei. Sub Adamo enim, & Noe, ipsos sæpe personaliter & visibiliter docuit Deus. Sæpe etiam per interpretem, ac Angelos, lectiones quasdam obscuras de Redemtore venturo, quem appellare possumus *panem in spica*; & semper vsque ad finem mundi legem ipsis dedit scriptam & sculptam in tabulis cordis vniuscuiusque.

In mundi adolescentia pane priori iam situm tradente & mucente, id est, cum lex naturæ iam euigorasset, alios ipsis dedit panes legis Mosaicę. Lege iam naturæ ex cordibus nostris prope deleta, vt litteræ antiquitate in veteribus monumentis exesæ, aliam ipsis scripsit digito suo legem, in tabulis saxeis. Dedit Prophetas, nouos subministrauit panes, sed omnes subcinericeos, omnes crustatos, doctrinam parabolicam, ceremonias obscuras, futurorum tamen præfigurationes, quæ in persona & regno Messiæ reuelarentur. Panes satis succulentos, in quorum fortitudine ambulare ad montem Dei Horeb. *Panis in simila.* Sed in vltima mundi ætate, quando venit plenitudo temporis, sub Christo, alios dedit eis panes, triticeos, ex polline, non iam dura obtectos crusta, ipsum Dei filium, visibiliter mediatorem, ipsum Euangelium, plane clarū, plane lucidum: aperiens figuras veteres, detrahens tectoria, & laruam, ac tegumenta Mosaicæ legis plane auferens; scindens templi velum, & ceremonias, proferens omnia in lucem rotundè, deserte, clareque omnia proloquens; non iam amplius, vt olim Mosaica lex, sub inuolucris, cuius authorem non male agnominaremus σκοτεινὸν, id est, tenebricosum, obscurum, vt olim cognominatus est Heraclitus Philosophus (forte etiam subtilis noster D. Scotus) quia nimirum ipsi hi studuisse videntur adeo obscuritati, vt subtiliores etiam Theologi, per scripta Scoti palpantes incedant; meliores Philosophi non nisi cum maximo labore

*Cicero li. 2. de tumb.*

bore Heracliti Physicam peruideant. Acutiores synagogæ Rabbini vix dimidium Mosaicæ legis intelligant: *Cæci & Duces cæcorum*: Dominus noster Iesus & Apostoli eius, *cornicum oculos confixerunt*, inuolucra Mosaicæ legis cortices decorticarunt, denudarunt ac filum dederunt quo facile ex sinuoso exeatur labirintho. *Non veni soluere legem, sed adimplere*, dicebat Dominus. Nonne optimos videtis panes, etiamsi non vltra loquar de pane gratiæ, de pane Eucharistico, de eo enim ante satis egimus, & hi panes sunt quotidiani, quos petitis, quos quotidie vobis damus, ex cathedra, ex altari quando & quantum vobis placet. *Pauperes eius saturabo panibus.*

*Psal.13.*

## II.

### *Cur potius abundare pane, quam alio cibo.*

PEr fidem vestram, dilectissimi, inaniter dictum putatis mercenarios magis abundare panibus quam cibo alio? Neutiquam. Nam nec apex otiosus in tota scriptura. Hoc autem admodum belle, tam quoad historiam, quam mysterium. Propter historiam, vt intelligamus panem necessarium vitæ, non deliciis: vt pullos, ficedulas, perdices, &c. ac vt simul iustitia monstretur & prudētia patris, qui seruos abunde aluit. Sed hoc æquum & iustum, bene occupare, bene nutrire, bene soluere, (auditis hoc Domini Capitanei) bene nutrire, sed solo pane: id est, cibis necessariis, & crassis, ne serui nimium delicate habiti insolescant. Antea ea de re egimus, reuocate in memoriam propter mysterium. Quis enim dubitat hoc factum primo, vt melius intelligamus soliditatem doctrinæ Euangelicæ: vt enim pane nullus cibus solidior est (*robur panis, firmamentum panis*, dicunt sæpe Prophetæ: &, *panis cor hominis confirmet.*) Sic etiam Christi Euangelio nulla solidior, nulla neruosior doctrina.

Non

Non dicit lacte : lac enim rudimenta significat doctrinæ infimæ catechumenorum , sicut lac infantum proprie cibus est , ac animalium recens natorum.

Secundo. Nonne etiam vt intelligamus conuenientiam Euangelij , ad naturam , & capaciam humanam ? Sicut enim homines inueniuntur qui lac, caseum , &c. horrent ; qui carne ob morbos abstinent aut phantasias Pythagoricas ; quibus nec mundus in infantia vsque ad diluuium vtebatur, contentus herbis quasi lacte telluris : nullus tamen inuenitur qui abhorreat panem. Sic & homines inueniuntur qui quorundam Philosophorum auerbantur doctrinas , pauci tamen & pauciſſimi qui Euangelium bene propositum & examinatum , abhorreant , nisi forte per phantasiam ; quia nimium cum natura , vt primitus creata est , conuenit. Nihil enim dicit Christianus aliud , quam homo reformatus & restitutus in pristinum. *Homo qui secundum Deum creatus est.*

Tertio. Forte ad monstrandam Euangelij vtilitatem : si enim panis adeo, vt heri diximus , vtilis est, & iuxta Plinium innumeras pene continet medicinas: quid boni non confert , quid mali non aufert doctrina Euangelica? *Plin. li. 22. cap. 25.*

Quarto. Neutiquam dubito quin etiam ad eius indicandam necessitatem. *Panis prior prora* habet prouerbium , id est , panis omnia antecedit , ac eius prima debet esse cura : facilius Rege quam pane caremus. Sine lacte , sine carne viuitur , non commode nec salubriter sine pane. Proinde & caro, & lac , & lacticinia nonnunquam prohibentur; panis nunquam. Ciuitates quæ pane carent , fame affligi dicuntur , non quæ carne: sed tantum dicuntur non habere ad votum omnia. Sic sine reliquis scientiis ac disciplinis , anima salutariter Deo viuere potest , non autem sine explicita aut implicita Euangelij scientia. *Domine verba vitæ æternæ habes* dicebat *Ioan. 26.* S. Petrus. Nec ipse Christus necessitatem suæ doctri-

næ dissimulat. *Verba quæ ego loquor vobis spiritus & vita sunt.*

Doctrina Euangelica, sicut panis, duræ est masticationis, nutrit tamen sicut panis: non dulcis est flatulenta, sicut doctrinarum secularium lac, ac philosophorum. *Si te lactauerint peccatores ne acquiescas ei.* Fouent enim isti & sustentant antiqua peccata, *Lamiæ lactauerunt catulos suos.*

*Prouer.1.*

*Thren.4.*

Lac etiam & caro in Scripturis sacris nõnunquam male audiunt, vt mali nominis: panis ob singulorum bonitatem suam, aut raro, aut nunquam.

*Caro non prodest quicquam.*

*Carnium adpetitores in deserto, à serpentibus immissis diuinitus impetiti.*

*Caro & carnalis, sæpe pro peccatoribus, ipso peccato, positi, quod carne vel instigante, vel meditante potior peccatorum pars fiat.*

In summa illud *abundant panibus*, significat, illi ibi omnibus perfruuntur commoditatibus, maxime victus, ego nullis. Prodigus dicere vult, mercenarios in bonis patris sui repleri, si autem ita egenum, ita pauperem esse, vt illi eleemosinam præstare possent ipsoque non inuitus ab eorum manu sit recepturus, *Serui dominati sunt nostri.* Non errans communi aliquo inuidiæ morbo, qui semper aliena præfert, & cantat.

*Thren.5.*

*Fertilior seges est alieno semper in agro,*
*Viciniumq; pecus grandius vber habet.*

Neutiquam: sed reuera, simpliciter, quantum ad historiam. Nam quantum ad moralem sensum, scribunt nonnulli mercenarios non adeo fuisse fœlices, quam hic proclamat: etiamsi ipso essent fœliciores. Sed quod visi sint ipsi solum agere fœliciter supra modum.

*Et hoc quidem*, inquit S. Bernardus, *non quod ita sit, sed quod ita sentiat miser: humiliatus sub peccato. Neque enim gloriantur testimonio conscientiæ, quorum mercenaria intentio est. Sed peccator sanctissimum reputat quacunq; de causa alterum videat innocentem.*

D. Guerricus Abb. editus à Gayneo in exposit. moral.

li de Prodigo.] *Et hæc dixeram, non quod sit, sed quod ita sentiat miser humiliatus sub peccato. Non enim gloriantur conscientiæ testimonio, quorum secularis & mercenaria intentio est, si peccatorum compunctus sanctissimum reputat quacunque ex causa alterum videat innocentem*: lectio prior forte melior & facilior.

## III.

*Verbulum vnum de quibusdam mercenariis.*

Diximus supra quomodo omnia ista applicentur publicanis, quorum causam in hac parabola Christus agit, ipsorum Aduocatus, peccata in genere iam tetigimus: ac ideo iam de publicanis supersedimus. De peccatoribus autem in genere, vnum adiiciemus verbulum. In præsenti autem de nouo explicabimus qui homines se aliis comparent, & sibi quam aliis minus bene esse plangant.

Magni itaque peccatores seruis Dei se comparant: sed tepidissimis, quos imaginari possis, qui scilicet Deo nõ seruiũt, nisi propter paradisum, propter temporalia, non amantes ipsum. Qui peregrinationes suscipiunt, Sanctos honorant, sed propter miracula; qui studiose cauent offensam, sed solum timore inferni, formidine fustium, & plagarum in hoc mundo: quos tamen magni peccatores rident, & credunt tranquillitatem habere conscientiæ, optimeque, vt apparet, esse contentos, cum ipsi semper varie vexentur, nusquam quietem inueniant, in iis quæ perdite amant.

D. Ant. Padauanus hic.] *Comparat humanam esurie, diuinam refectionem.*

D. Guerricus Abbas Igniacẽsis serm. morali de Prodigo.] *Abundant panibus, i consolantur innocentia sua, & fruuntur propriæ conscientiæ bono.*

Idem.] *Fame pereo, i insatiabiliter crucior peccatorum desideriis, & affectibus vitiorum.*

Quasi dicerent, Ah quod non saltem tam perfectus sim, quam imperfectissimus seruorum Dei. O quã essem fœlix! non quod reuera imperfectus, beatus ac

fœlix sit, sed quia esse videtur illi, qui rigide castitatis, sub peccati iugo iacet. Illi enim reuera conscientiæ testimonio gloriari non possunt, quorum intentio secularis ac mercenaria est. Sed pœnitens omnes meliores æstimat, ac sanctos, quos in innocentia præcedere videt, qualicunque tandem intentione. Sic *fœcum regem putamus inter cæcos*, & fuscum candidum inter Æthiopes.

D. Guerricus vbi supra.] *Quis consuetudine obligatus non se fœlicem reputaret, si datum esset ei, esse tanquam vnum ex his, quos in seculo tepidos videt, viuentes sine crimine, minime tamen quærentes quæ sursum sunt, sapientes super terram.*

Talis querela esse posset religiosi, aut religiosæ, quæ in religione vitam male instituerit, quę ad perfectionem properauerit retro, vt cancer: quos homines S. Augustinus eximiæ ait esse malitiæ, qui cum seculo omnibus vident esse destitutos, laudant vsque ad cœlum coniugatos, qui coniuge contenti, de reliquo satis imperfecte viuunt. Vel etiam *fame pereo*, boni Catholici querela esse potest. Sed qui quoad vitam, peccator sit & patum Christianus, faciens quotidie aliquantillum boni: intelligit tamen hoc sibi ad vitam æternam non profuturum. Quamdiu enim in mortali manet peccato, extra Dei gratiã, aquam cribro vel pertusa hauserit situla, vt apud inferos Danaides, volentes forte vna guttula diuitis epulonis refrigerare linguam.

*Luca 16.*

Vel etiam querimonia esse potest Doctorum quorundam secularium, aut regularium; qui cum se conuersi, & considerantes quanto sæpe suis subditis minores sint, Doctor simplici idiota, Sacerdos aut religiosus laico, ac operariis seponentes ea in quibus eos superant, (*In quantis*, inquit S. Augustinus, *sis minor est considerandum, non, in quantis sis maior.*) Confitentur libere simplices coniugatos, & mechanicos, multo meliores & religiosiores, magis timentes Deum, magis suspirantes cœlestia, quam ipsi cum omnibus libris, & litteris: adeo vt fere cedant studiis, eaque abdicent, vt Deo ex toto corde seruiant. Ac certe talis spec-

*D. August. in Matth. 59.*

reculatio aliquando S. Augustinum conuertit, ac in mentum, quale fere nostri Prodigi est, resoluit. Cum sese vidit aulicum, adeo curiæ sectatorem, & terreni Imperatoris molestis implicatum seruitiis, à Dei seruitute se auelli, Domini vtique cœli & terræ; non multum vltra disputans, ac de mutatione hæsitans, suum alio appulit animum, & socium suum Alipium, fortissime hortatus est, ita affatus: Quid hoc rei quidiotæ, ac asini, vt ita dicam, cœlum vitæ bonitate occupant, nos phalerati equi, sed desides; litterati, sed excordes; ecce quomodo carnis voluptatibus vnique irretimur?

D. August. tom. 1. lib. 8. confess. c. 8.] *Surgunt indocti & cœlum rapiunt, & nos, cum doctrinis nostris sine corde, ecce vbi volutamur in carne & sanguine.*

*Terent. in Andr. act. 1. Scen. 2.*

*Hæc dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.*

Fateri debemus, dilectissimi, ad consolationem vestram, ad confusionem nostram, quod quidam qui hunc habitum gerimus, tam pij, tam religiosi aliquãdo non sumus, quam pauperes mechanici, & viles rudesq; ancillulæ: sæpe, *non sicut populus sic sacerdos.* Simplices enim mechanici magnã putant aliquando blasphemiam, si quicquam liberius, si quicquam durius dixerint: nos interim homines litterati, nugas & iocũ putamus magnas nostras aliquãdo blasphemias. Talis mechanicus cum toto die opus suum diligenter fecerit, in vigilia, Quadragesima, aut quatuor tẽporib. vix buccellam panis vnam aut alteram sumet pro collatione, ne potus noceat: & inter nos sedentarios homines, proh dolor! inuenimus, qui cum nec cubiculo, nec sede mouerint, ad uesperascẽte die, sine scrupulo liberaliorẽ sumãt collationẽ quam Cordigeri cœnam. Vitiamus largius, quam prandeant pauperes; ac sic de cæteris. (Loquor de imperfectis quibusdam, nam sanctis noui seruata esse septem millia, quæ non curuauerunt genu Baal.)

Nunquamne audistis simplicem quendam Calcianum, in ciuitate Alexãdrina, prælatum per Angelum S. Antonio Heremitę, cuius solũ nomen diabolis erat

tertibile. Aut nunquam legistis, de simplici illo Eremita, qui erudiebat magnum illum Taulerum, qui tanto tempore studuerat. Audire vultis quomodo hoc fiat? sustinete modicum cum silentio, dicam clare & breuiter. Quando vnum perdidimus aut clausimus corporis nostri oculum, alter sanus clarius videt, quia nimirum spiritus visiuus qui visum causat, qui antea in duos diuidebatur oculos, recolligit se ac totum vni applicat, & vnitus in vno perfectius operatur quam in duobus. Sic homo, duos animæ habens oculos, Intellectus scilicet & Affectus, quia idiotæ alterum intellectus oculum non habent, aut quia ipso ad omnia non vtuntur, aut valde parum, ad inuestigandas veritates abditas, & scientias difficiles; contingit ipsis alterum Affectus oculum esse vegetiorem, in operatione tum in amando Deum, & proximum; contra litterati, intellectus oculum semper occupantes scientiis abstrusis, & speculationibus arduis, Affectus oculum habent quasi clausum, aut perstrictum & hebetem, ac proinde minus aptum ad amandum Deum, & proximum. Oculus ille ipsis quasi conniuet, & corrugatur propter vehementem alterius intentionem. Affectus quasi Magdalena, cessat interim dum intellectus sicut Martha, multum occupatur variis rebus.

*D. Francis. reg. cap. 5.* *Soror mea reliquit me solam ministrare.* Videte cur S. Franciscus ita præceperit fratribus vacare operi, vt deuotionis spiritum non extinguerent, id est, affectus oculum non obturarent. *Fratres laborent fideliter & deuote: ita vt quod excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis & deuotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deseruire.*

Posset etiã sanctissimus homo verbis illis vti, *quasi mercenarij*, æstimãs reuera bona fide totum mundum, & nequissimos omnes se meliores, & sanctiores, per incomparabilem humilitatem, qualem in Sancto P. nostro Frãcisco fuisse legimus: qui sincero corde pessimos etiam mundi latrones, sibi præponebat: quia, inquiebat, talis essem, & deterior, nisi præueniens & concomitans Dei gratia me conseruasset, & facino-

rosi

ipsi isti forte meliores me essent, si tantam à Deo gratiam accepissent.

Quale iudicium de nobis ipsis facere debemus. *Dic tu stultum, & sapiens eris: sed dic, sed intus dic, quia est vt dicis. Si dicis, noli coram hominibus dicere, & coram Deo non dicere.* Dicit sapienter S. Augustinus. *D. August. in illud Matth. 11. Confiteor tibi Pater, &c.*

Nonne eisdem etiam recte vti possent Ecclesiastici nonnulli, opulenter præbendati, ob priores suas dolentes dissolutiones, videntes vicarios, capellanos, ac alios officiarios, mercenarios suos, substitutos, pane suo abundare. *Magnum enim vectigal parsimonia.* Se autem vix habere vnde viuant, vix sibi obulum credi, ad redimendum sinapi, cum magnis reditibus ac pluribus beneficiis; Aut videntes sacerdotes simplices, magis sępe spirituales, magis in Deum reclinatos, magis frugi quam se. *Quanti mercenarij in domo patris mei (Quot in Ecclesia Sacellani, vicarij cantores sacrorum custodes, &c.) Abundant panibus (decenter nullius, indigi contentiq; agello suo & altariolo viuunt) ego autem (beneficiorum sacco grauis & dives agri) hic (in domo patre Regia & palatina, in Ecclesia Cathedralium aut prima aut non postrema) fame pereo ære alieno obligatissimus, nec soluendo. nulla gratia aut fide apud hos aut illos egerrime vitam sustento.* Cur negent locum & transitum isti expositioni?

Vel etiam planctus esse possunt, tenuioris plebeculæ, succensentis Ecclesiasticis, ac inuidentis eorum facultatibus, aut scandalisatę dissolutionis quorundam ex nobis dissolutione, ac abusu patrimonij crucifixi, & pauperum vario luxu. Hoc mutuatus sum à docto & optime Catholico viro, vt nemo vestrum mihi quaxatus indignetur.

Ioannes Arborius Laudunensis Doctor Paris. comment. in hunc locum.] *Mercenarij (inquit) qui opulentis sacerdotiis quibus sunt indigni insolescunt, &c.*

D. Hieron. l. 2. Ep. 14. editionis Camisianę ad Nepotianum.] *Ignominia omnium Sacerdotum, proprium studere diuitiis. Natus in paupere domo, & in tugurio rusticano: qui vix ex milio & cibario pane rugientem ventrem*

*saturare poteram nunc similam & mella fastidio. Nimi & genera & nomina piscium.*

Et reuera, vt Deo demus gloriam, ac rotunde quod res est dicamus, de peccatis quorundam qui confundunt matrem suam Ecclesiam, ac eam mala sua conuersatione angustiis saturant, qui bonum Israelitarum odorem fœtere faciunt coram Pharaone, saxeus sit, aut Iobo patientior qui istos homines non appellet mercenarios, & Prodigi verbis ipsos non strenue murmuraret. *Quanti mercenarij in domo patris mei (in Ecclesia Dei) abundant panibus, opibus, & ego hic fame pereo.* Nonne reuera mercenarij sunt, qui ad ordines sacros promouentur, ne pingui solum excidant beneficio, quod iam receperunt, quod cesseretur vacare, si intra tantum tempus à iure præscripto ordinari se non facerent. Aut etiam qui vbi beneficium ipsis oblatum est, scrupulosius inquirunt de redditibus, de accidentariis, quam de Patrono & S. Ecclesiæ tutelari, de fide, de moribus parochialium, &c. & magis salaria quam sanctuaria respectant, magis debita quam salutem, magis lanam quam oues, lac quam vaccas, cum contra dicere deberent illud S. Pauli, *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos.* Nonne etiam veri mercenarij sunt, qui spe solum distributionum, & largitionum, aut frumenti, aut argenti, aut pullorum, præsentes sunt in Ecclesiæ officio, signum statim dantes receptui, quam primum secura sunt emolumenta, corpora magnorum Canonicatuum, præsentiæ, distributiones quotidianæ, (*cumulus Hesiodius & quæ non prosunt singula multa iuuant*) aperiunt interim raro paupeti ianuam, raro manum indigenti porrigunt, & tam modicum donant vt per impatientiam miser Lazarus pleno ore declamet, *quanti mercenarij abundant panibus (carnibus, auribus, &c.) ego autem hic fame pereo?* Ah corrigite hæc Domini præbendati, corrigite hæc, & claudetis ora infirmorum Catholicorum, & aduersariorum, & maleuolentium.

*Vide Ezech. cap. 20.*

*3. Cor. 12.*

*Caluin. lib. 4. Instit. cap. 5. §. 9.*

Vel etiam possent esse iusti dolores bonorum quorundam, doctorum, ac proborum hominum; natorũ in re

a re angusta, quos nemo iuuat, nemo promouet, (*Domine hominem non habeo*, dicit alter) indignantis dico contra nobiles quosdam ac diuites, aulicos, & mancipia curiæ, quos vident magno studio promoueri; præcipue propter nobilitatem generis, affinitatem, cognationem, aut seruitia ad bursas vniuersitatum, ad clerum, ad duplices præbendas, ad mytras, ad cruces, ad Abbatias, ad prioratus, quantumcunque indocti & inhabiles, ac Ecclesiæ inutiles: nati magis ad aurigandum, sæpe aut arandum, quam cantandum, & peragenda officia; tam idonei ad sua ministeria, quam Arcadij asini ad pulsanda organa: cumulantes adhuc beneficia beneficiis, *sacci beneficiorum.* qui possint vno capite duas aut tres gestare mytras, vna manu duas aut tres cruces, Abbatiales, Episcopales, subeuntes claudis pedibus (diuinamini si domus supra domum non cadet neruosi Athlantis onus, infirmo collo fulcientes duas vel tres Ecclesias, vt habeat maritus vnus plures vxores, aut vna mulier duas colos: contemnens illud S. Pauli *vnius vxoris virum.* (Coniicite an istis sponsis fiat satis, & an bene ducantur fila ex tam diuersis simul colis.) *Abundant panibus*, ita vt etiam panem Christi possint reuendere, si reuendere hic locum habeat, Deus nouit an non fiat & quam sæpe) interim pauperes & alij magis idonei, digni meliore fortuna, nec modicum quidem obtinere possunt altare, vt Deo digne seruiant, & de altari viuant. *Ego autem hic fame pereo.* Coguntur aliquando seruire, corradere stipem, & mēdicare. *Vnus esurit, alius autem ebrius est. Esurit, qui meliore fortuna dignus; ebrius est qui sit ad stiuam damnandus, gallina filius albæ.* Egregij isti homines deplorant aliquando asinos equitare, & equos ire pedites. Vident se nihil obtinere posse, etiamsi mereantur, & multis expectent annis, vbi isti Domini vno die, sine vllo merito, sine vlla inquisitione, sine vlla cura simul accipiunt duo tria beneficia. *Abundant panibus propositionis*; illi nihil piscari possunt,

1. *Cor.* 11.

*Iuuenal.*

*Lucæ* 5.

possunt, tota nocte cum S. Petro. *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Et pisces in dominorum istorum retia se iniiciunt etiamsi non tendantur; (vt ciuitates in retia cuiusdam Demetrij, cognomine Poliorcetis) tanta copia, vt periculum sit rupturæ. *Conclusérunt piscium (beneficiorum) multitudinem: rumpebatur autem eorum rete.*

*Luc. ibid.*

*Guiel. Pepinus hic.*

Vident nonnullos inuadere cucullum monasticũ, ac vno die facere professionẽ. Quos vidẽs dicas in nouitiatu tã bene se habuisse, vt nũquam vnũ ictũ disciplinę cõmeruerint, & nec semel abfuerint à matutinis ac eosdem postridie creari Abbates. (Belli Abbates vt monasteriis præsint, vt eos reforment nunquid?) duos videns fratres, duas sorores, in vno collegio: ipsi per multas preces magnamque instantiam, nec panem inueniunt vnum, locumve simplicem. Dicunt igitur bono iure. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.*

D. Hieron. l. 2 Ep. 14. edit. Canisij ad Nepotianum.] *Negotiatorem clericum, & ex inope diuitem, & exignobili glorioſum, quasi quandam pestem fuge.*

Vtinam Domini isti cum abundantia panum suorum mercenarij essent tantum: mercenarius enim etsi videns lupum venientem non currat ad pugnam, sed ad fugam; non tamen ibit quæsitum lupum, non inuitat ipsum ad ouilia, non iniicit ipsi agnos in fauces: sed boni hi homines non raro in hisce deprehenduntur. Sæpe ipsi lupum agunt, rapientes, deglubentes ouiculas, & subditos. Dico hoc secutus virum magnum beneque Catholicum.

Ioannes Arborius Laudun. Doctor Theol. Paris. Comment. in hunc locum.] *Et vere mercenarij quibus pum agunt, & non pastorem, sunt & fures, & latrones nec aliud cogitant, quam vt furentur, diripiant, macten & perdant.*

Vtinam, iterum dico, veri saltem essent mercenarij. Recordarentur enim verbum hoc, *merces*, duo dicere: nimirum oculum ad mercedem, & obligationem ad curam. Ideo enim salarium promittitur, nec de more

datur

datur nisi post laborem, & sic saltem erubescerent recipere mercedem, ante præstitum officium; nihil agẽtes, imo nec voluntatem habentes operandi, agendique quod debent concedo; respiciant lanam & salaria, secundaria intentione. *Nam dignus est operarius mercede sua: nemo suis stipendiis militet vnquam.*

D. Hieron. ad Nepotian. vbi supra.] *Quasi Leuita & Sacerdos, viuo de decimis & altari seruiens, altaris oblatione sustentor.*

Sed optarem illos etiam tam strenuos esse ad laborem, vt operarentur in vinea Domini opus suum, ad quod assumpti sunt: memores communis dicti; *beneficium propter officium*: & verbi Domini, qui in libro Numerorum dicit se Aaroni & filiis eius dedisse oblationes populi, propter officium sacerdotale; & infra in Leuitico dicit, Leuitis decimas fore ministerij pretium.

Num. 18.] *Omnia quæ sanctificantur à Filiis Israel, tradidi tibi & filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna.*

Ibid.] *Filiis autem Leui dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis.*

Ibid.] *Pretium est pro ministerio, quo seruitis in tabernaculo testimonij.*

Oro illos vt magis apud caulam, quam apud aulam hæreant: vt apud sponsas suas resideant; vt thesauris quos in depositio habent aduigilent. *Pastores erant in regione illâ custodientes vigilias noctis super gregem suum.* *Pastores sunt Sacerdotes*, dicit S. Ambrosius.

D. Hieron. l. 2. ex Ep. 14. edit. Canisij ad Nopotian.] *Turpe est ante fores Sacerdotum Christi crucifixi & pauperis qui cibo quoq; vescebantur alieno inter lictores consulum & militum excubare iudicemq; prouincia melius est apud te prandere, quam te in palatio.* (*Vbi tamen legere sic maluerim; bona Canisij pace dixerim: Turpe est ante fores Sacerdotum, Christi crucifixi, & pauperis & qui cibo quoq; vescebatur alieno: lictores consulum & milites excubare: Iudicem in* (sacerdotum) *& deletis particulis* (inter)

(inter) & (est) *quæ lectio carpit luxum Sacerdotum ex mente Hieronymi; non vt alia lectio, ambitiosum ad diuitos accessum, in quem sensum ex Canisio hic cito. Lectionem autem à me hic restitutam esse ex mente Hieronymi, vel Canisius ipse tuebitur, qui in margine sic notauit:* (de conuiuiis non instruendis.)

Vt bona Ecclesiæ non deuorent, ad quam nunquã accedunt: vt eius curam habeant, ne mulieris dotem ac donatiua accipiant, cuius curam non gerant: ne lanam gregis tondeant, cuius nunquam ouem conspexerint; ne lac vaccarum mulgeant, quibus nunquam fœni manipulum præstiterint. Quid? volume esse de numero eorum de quibus conqueritur S. Gregorius; mundus sacerdotibus plenus est, inquit, pauci tamen veniunt ad messem operarij: nam recipimus quidem officia, sed parum implemus onera. *Messis quidem multa operarij autem pauci.* Operamini igitur Domini mercenarij in vinea Domini, custodite domum, & bona eius: aduigilate sicut Argus vestræ lo, animabus subditorum, pascite eos verbo, pascite exemplo, aut saltem quærite & conducite qui faciant; alioquin quid dicemus nisi *ô Pastor, ô Idolon. Væ pastoribus, qui pascebant semetipsos*

*Greg. hom. 17.*

*Sal infatuatum ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.*

*Ignauum fucos pecus à præsepibus arcet.*

Merces non debetur nisi opere facto. Paterfamilias cum sero factum esset, dedit operariis denarium diurnum; sed postquã portarunt pondus diei & æstus. Quid agemus pastores, inquit S. Gregorius, qui accipimus mercedem, & non operamur: sint beneficia nobilibus, habeant mitras, iuuentur fauoribus, prosint ipsis: sed sint nobiles corde, & opere; portent fortiter sicut Atlantes cælum suum, & olympum, & quod ipsi non possunt, aut quando iam vltra non possunt tum onera in vicarios remittant; sed in Hercules, in viros idoneos, qui Deum ament. Sicut Dominus curam suam commisit S. Petro, fecitque eum suum Suffraganeum, suum Vicarium, postquam amorem professus est.

*D. Greg.*

est. Vt Canonici Deo seruiant mercenariè, respicientes secundario ad donationes, distributiones, ad præsentias, permitto consentioq; libens: sed ita vt venientes ad Chorum bono corde veniant, bene in Deum eleuato, vt & corpore & corde in Choro sint. *Psallite sapienter, psallam spiritu, psallam & mente.* *Psal. 46.*

Ne dicatur illis quod populo Israel, *Dilexerunt Deum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo.* *1. Cor 14. Psal 77. Isaiæ 29.*

Item *Populus iste ore suo & labiis suis glorificat me: cor autem eius longe est à me.*

Cantent non per vicarios, qui fauces rumpunt ipsis tacentibus. Ne guttura voceſque habeant ad voluptatem tantum, ne curent Caluinum, qui contumelioſe illos appellat Canonicos, & præbendatos, stipẽdiarios, delicatos, qui cantando victitant. Cantent alacriter laudes Dei, ad seruitium Dei vires suas confectant. *Fortitudinem meam ad te custodiam*: dicebat Regius Psalmista. Maxime referentes dona Ecclesiæ, quæ pauperis patrimonium redolent. *Caluin. lib. 4. Instit. cap. 5. §. 9.*

Sit Canonicus mercenarius in recipiendo, sit operarius in cantando; abundet panibus in distributione, sed pauper etiam Lazarus inde sentiat solatium, ne miserabilis vnquam illa vox pauperis ianuam ipsius pulset, *ego autem hic fame pereo.* Vel, *nemo illi dabat*: vel, ista S. Hieronymi: *auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum & nudus atque esuriens Christus ante fores nostras in paupere moritur.* *D. Hieron. lib. 2. Ep. 16. edit. Canis. ad Gaudentium.*

Sit Canonicus, id est, regularis in omni opere, vt seruet Canones, ac regulas secularium. *Forma facit gregis.* Sciat alioquin beneficium sibi fore veneficium, *officium officiet. Beneficium, veneficium.*

Abundent monasteria bonis, & panibus; habeant castra, pagos, dominia, imo & mundi dimidium, (vt clamant nonnulli) partim quæsita antecessorum & maiorum probitate, partim autem ipsorum frugalitate: quorsum hoc inuidebimus? dummodo opus faciant ad quod hi panes illis donati sunt:

dummodo

dummodo canant, plorent, orent, pauperes foueant, ac Deum mundi peccatoribus propitient? *comedunt enim peccata populi.*

D. Hieron. lib. 2. Ep. 14. edit. Caniſ. ad Nepotian.] *Pudet dicere Sacerdotes idolorum: mimi, auriga, & Scorta hereditates capiunt: ſolis Clericis & Monachis hoc lege prohibetur, & nō à perſecutoribus prohibetur, ſed à Principibus Chriſtianis.* Subditur tamē in noſtram ſententiam *nec de lege conqueror, ſed doleo cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum eſt: ſed quo mihi vulnus vt indigeam cauterij.*

Abundant bonis dummodo ſtudeant, dummodo fundent, & ſuſtentent collegia; vt Eccleſiam illuſtrent catechiſando, inſtituendo populum rudem, ſimul vt falſam doceant prouerbij infamiam: *indoctior Monacho.* Orent, ieiunent, pro iis qui dederunt vt abundarent panibus, ne patiantur benefactorum animas clamare in purgatorio, eſurientes ipſorum ſuffragia, *ego autē hic fame pereo*, vel *miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, vt quid carnibus, (& panibus) meis ſaturamini?* ac vt melius ieiunent & orent, ſtudeant facere quod promittunt, & nomine præferunt: ſint Monachi, id eſt, ſolitarij & abſtracti. *Si cupis eſſe*, inquit Hieronymus, *quod diceris Monachus, id eſt, ſolus: quid facis in vrbibus, quæ vtiq; non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum?*

*D. Hieron. lib. 2. Epiſt. 16. edit. Caniſ. ad Paulinum Monach.*

Accipientes autem quantum neceſſitati ſat eſt, reliquam abundantiam panum pauperes Chriſti ſentiūt. Cogitent ſe magnos Principum, benefactorum, & fundatorum eleemoſynarios. O quam probi, quam laudabiles eſſent tum mercenarij! digni ſemper abundare, vt clamat noſter Prodigus; & quam infœlix qui tum ipſis aliquid inuideret? Sed alias nihil miror ſi videntes ipſos ſemper ſaginari panibus, ac craſſeſcere, ſemper mercedes, ſemper ſalaria vt mercenarius recipere, nihil autem operis præſtare ſi inquam inuideant ipſis ac mordeant alij.

D. Hieron. lib. 2. Ep. 14. edit. Caniſ. ad Nepotian.] *Accepiſſe pauperibus erogādum, & eſurientibus plurimis,* vel

*vel cautum esse, vel timidum: aut (quod apertissimi scelera est) aliquid exinde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat.*

Sed videamus quibus adhuc illa verba quanti mercenarij conuenire possint. Optime etiam in gentiles, Paganosque quadrant philosophos, & significāt quasi nullum spiritualē fructum capimus ex studiis philosophicis, poeticis, sed inflamur semper, turgemus. Nunquam redimus meliores, superbiores semper: contraria omnia videmus in seruis Dei, custodientibus ipsius legem. Nihil inuenimus quietis in falsis nostris voluptatibus.

*Quem fructum habuistis in iis, in quibus nunc erubescitis?*

Hæc quidem vt opinor non male. Melius tamen etiam competent hęreticis; quos alias etiam dixi Prodigi persona designari: querimoniæ enim ipsorum sunt, quod verbo Dei, Sacramentis, & veritate destituantur.

*Vide harum Concionum partem 1.*

D. Guerricus Abbas hîc.] *Potest intelligi quod..... fame & siti Diuini verbi.....se perhibent laborasse.*

Amos 8.] *Fames & sitis audiendi verbi Dei memoratur.*

Vident Theologos Catholicos, nocte & die genuinum sensum S. Scripturæ serio & humiliter scrutari, laborantes sincere in Dei vinea, abundantes panibus veritatis, sanctitatis, meritorum, consolationū, ædificationis proximi, bona denique conscientia viuere & mori. Se cōtra in Diaboli seruitutem abactos, pascere tantum porcos, amplexari Epicurum, docere voluptates, hærere in cortice, & in circuitu scientiarū humanarum, in Poesi, historiis, linguis, Grammatistæ magis, & Donatistę quam Theologi: mandere se corticem, ossa, litteram; non attingere nucleum, medullam, sed perire fame: quærere non inuenire. *Semper discentes, nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.* Nullam recipere internam cōsolationem, mala consciētia viuere, peiore mori. Isti enim homines nec notitiam habent veritatis, neç amorem bonitatis, nec

reuerentiam honestatis. *Ego autem hic fame pereo.* Hic & postea titiones inferni.

Carent sacramentis, maxime Angelorum pane, sacramento Altaris: quia totam aboleuerunt missam quousque potestas tenebrarum extéditur. Carent re creatione remissionis peccatorum, venia, indulgentiis. Impossibile est vt non recordentur quomodo aliquando nobiscum abundauerint, cum adhuc essent nobiscum in Ecclesia Romana, vera (vt inquit Apostolus) Dei domo. *Esurientes & sitientes anime eorum in ipsis tabescebant.* 1. *Timoth.* 3.

Duplici moriuntur fame; alij priuatione & absentia rerum: alij rerum absentium extremo desiderio: qui vtique meliores sunt ex ipsis, & parum absint à regno Dei. Et hæc fere simplicior est plebecula, quæ fraudes sentire incipit.

Horat. lib. 1. Ep. 10. ad Tuscum.] *Vtq; sacerdotis fugitiuus, liba recuso:*

*Pane egeo iam mellitis meliore placentis.*

Non pascuntur nisi cortice, & ossibus: non apponitur, non prædicatur illis nisi panis mendacij, verba vana, placita humana, verisimilia magis quam vera. Siliquæ dico, cibique porcorum, calumniæ & murmura contra Mosen, & Aaron, contra Reges & Papas, scommata in Clerum, adeo vt redundent. *Promittunt se scientiam Dei habere.* Apparatus magnus, tituli multi, nihil vltra.

Psal. 118.] *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.*

*Ad populum phaleras.*

Videte quo loco miseri isti homines sint, dum nostri liberaliter pascuntur pane similagineo, medulla carnis, pura aqua veritatis.

*Martialis lib. 10. Epigr. 52.*

*Diues & ex omni posita est instructa macello.*
*Cœna tibi.*
*Non opus est nobis nimium lectore guloso;*
*Hunc volo, qui fiat non sine pane satur.*

Nonne hæc satis ad patris domum repetendam, Ecclesiam Romanam, Apostolicam, Catholicam; ad dese-

referendam nouitiam Satanæ synagogam: cum in Ecclesia tam liberaliter, in synagoga tam macrè prandeatur. Agite igitur, dilectissimi, omnes abhinc cogitemus de reditu, peccatores ad pœnitentiam, hæretici ad fidem, & Ecclesiæ gremium. Deus nobis illam faciat gratiam. Amen.

---

# CONCIO XVII.

1. Ἀναστὰς πορεύσομαι πρὸς τὸν πατέρα μου, καὶ ἐρῶ αὐτῷ. *Graca.*
2. *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei.* *Vulgata.*
3. *Surgam, proficiscar ad Patrem meum, & dicam ei.* *Syriaca.*

## ARGVMENTVM.

*Dicemus hodie.*
1. *Cur Prodigus in summa perplexitate maluerit ad patrem quam alio reuerti.*
2. *Præclaram rem esse meditari conuersionem & cur.*

AVE.

I.

*Cur Prodigus in summa perplexitate, maluerit ad patrem quam alio reuerti.*

QVI aliquando vidit quomodo syluosi colles, aut magna in alto nauigia futentibus iactentur procellis, pulsentur fluctibus, prora verberetur & puppis, comminuantur gubernacula, lacerentur vela, rumpãtur mali, rudentes, funes, quomodo concursantibus vndiq; ventis, huc illuc circumferetur, superata arte Nauarchus & Epibatę desperẽt, vt in tempestate Ionæ, quilibet quam diligentissime suum inuocet Sanctum, non sciens in quem tandem se portum recipiat, vbi anchoram figat, vbi littus teneat, aut quia inaccessum est propter distantiam nimiam, aut quia infestum est inimicis, ipso mari

barbatioribus, aut latentibus in ſecurum ſcopulis obluctantibus etiam ex aduerſo ventis: concluditq; idem tutiſſimum eſſe redire vnde venerat. Hæc, inquit, qui vidit, dicere poſſet in quanta fuerit perplexitate Prodigus, quantis conflictatus miſeriis, aduerſitatibus, fame publica, priuata inopia, ſeruitute abiecta cum exigua pretij ſpe.

Videt quomodo hinc nec nummum habeat, nec amicum foris, nec in crumena (argentum enim vt aiūt amiciſſimum) vt reuerti poſſit ac procedere, comminutum ſe videns vt gypſum, & contuſum (quis dubitet equidem ſæpius egregie fuſtigatum, quam laute paſtum, cum ſiliquas peteret & nemo ipſi dabat) cumſe ipſum conſpexit arroſum à vermibus, exeſum, & altera iam quaſi parte putidum, tum ob extremam inopiam, forte etiam vlcere Neapolitano, morientem. Denique, *fame, fame pereo*, inquit, ſed honeſtatis cauſa. Dicamus famem tam celebrem tam infamem morbum, qui vagos amores vt vmbra corpus ſequitur; morbus cuius nomen ita putidum eſt, vt nationes etiam arma ſumant, ne à ſe originis eius epitheton auertant. Vndecunque ſit ita conſtitutus eſt vt animam agat, *pereo*, inquit. Quo ſe igitur recipiet, quo lacerum aſſerem naufragus applicabit: Ad meretriculas, præteritoſque amores? Ad hos aut illos amicos? Ad Herum ſuum, vt de fame ac inedia conqueratur, de malignitate miniſtrorum qui ipſum adeo negligēter curarent? Ad ſeniorem fratrem? Ad ſeruos paruis ſui, an potius recta ad patrē? Vbi putatis figet anchoram? ad meretriculas. Ah neutiquam, inquit, illæ nec mentem habent nec conſcientiam, vt quicquam in neceſſitate boni reddant iis, qui extra neceſſitatem bona ſua apud ipſas perdiderunt. Officinæ ipſarum talibus mercatoribus clauſæ obfirmatæque ſunt qualis modo ego, vlceroſus, horridus, vt quatriduanus Lazarus: lacer, nudus, ipſa mors. Quo igitur? ad hos aut illos amicos? Ah amicos quos habere poteſt, qui nullos habet in loculis: qui ad eam in qua ſum relapſus eſt indigētiam. *Qui nihil habet*, inquit Plato, *hunc nullum*

*Vide ſeruitutem peccatorum huius operis.*

*Plato.*

*nullus amicus adest*, & *mendico*, vt vulgare habet proverbium, *ne parentes quidem amici sunt*. Diuites vndique stipantur, illuc omnes tanquam ad hortum floridum apes aduolãt, vt formicæ ad plena horrea, vt columbæ ad sata, vt lupi ad ouilia, corui ad supplicio-rum loca. *Prædam sequitur turba ista non hominem*, inquit Seneca. *Seneca lib. de remed. fortuit.*

Ouid. lib. 1. Trist. Eleg.

*Donec eris fœlix multos numerabis amicos:*
*Tempora si fuerint nubila, solus eris.*
*Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam:*
*Nullus ad amissas ibit amicus opes.*

Ea de causa Abbas quidam S. Benedicti, vir nostro tempore magnæ dignitatis, magnique spiritus, dicere consueuit se quamdiu fuit officij N. ac simplex religiosus, paucos audisse computantes cognationem, & affinitatem suam, raros cognatos. Postquam vero factus Abbas cœpit posse benefacere, tam donare quam accipere, postquam crucem manu tenebat, iam totum sibi mundum cognatum & affinem fieri. Insinuãs pauperibus & abiectis hominibus pauciſſimos inueniri amicos.

*Mobile sic sequitur fortunæ lumina vulgus.* *Ouid. lib. 1. Trist. Eleg. 8.*

Occurrit mihi ad idem propositum, quod incolumis reuersus Roma, anno 1607. cum falsos quidam sparsissent rumores, talem Archiepiscopum promouendum ad Cardinalatum, talem Episcopum ascensurum ad Archiepiscopatum, me sufficiendum in locum Episcopi, (videte quid nasuti homines & speculatiui, quibus nimium otij est, meditentur; quasi ego Romam proficiscens, pro bono tãtum & salute, quod ipsi ignorabant, Reipublicæ, captarem ibi aliquid tãs priuati commodi, quod sibi falso fingebant: (testis mihi erit Paulus Quintus, qui modo seder, qui itineris mei consiliũ totũ nouit) occurrerunt plurimi salutatũ, fœlicia mihi precantes. Cumque subridens quærerem de quo gratularentur, dicebant de mea prouisione ad Episcopatum imaginarium, quasi per hæc insinuare se se volentes in meam gratiam, gratulantes *R.P.F Ioãnes Neyen nouit satis quis scopus fuerit & author itineris Romani.*

etiam sibi quod mihi aut sanguine, aut necessitudine essent obstricti, qui tam honoratum, tam pingue, possiderem beneficium: sperantes forsan piscari sub fauore meo, aut saltem quod bene prouisus, nihil mihi seruarem ob votum paupertatis in ordine. Sed cū paulo post fama hæc euanuit de Episcopatu mea, ac omnis iste clamor in fumum ventumque dispersus, salutationes etiam glacie frigidiores, calendis cœperunt esse rariores, nonnulli etiam mihi obligati metuere cœperunt visitationem meam, ne ipsis prandio constarem aut hospitio. Dico & affirmo, diuites & magni nimis multos habent cognatos, alij nullos: plerique enim Ægyptum & ollas amant, & ambiunt penuaria. Prodigus igitur bono iure cognatos & amicos sibi putauit non tentandos. Omnes enim, aut maior pars, erubescentes cognatum adeo paupertem ciuem adeo inuisum, & inuestem, forte ne sumptum illis adferret, fecissent & dixissent quod S. Petrus in passione de Domino: *nescio quid dicis*, &, *non noui hominem*. Obiecissent saltem fronti ianuam, nisi forte & punire voluissent vt plagiarium & alienæ insaforem familiæ: prudenter igitur ab illis abstinuit. Quo igitur, ad Herum? Hoc autem multo etiam peius: qui enim de Hero conqueritur, grauius prodit insciam: nemo enim male sua disponere ac administrare dici vult, & periculosum est litem instituere vbi pars aduersa iudex est. Conqueri de ministris ipsius eodem prope rediret: videretur enim Dominus defecisse in bonis constituendis præfectis; & sæpe Domini oculum sub ministrorum nomine multa peragit, quorum nomen habere nolunt: fuisset in arena sementem facere, perdere operam, queri de Domino: semper enim Prætoris causa præsupponitur melior. *Pater meus* (œconomus meus) *cecidit vos flagellis, ego autem vos cædam scorpionibus.*

*Matth. 6.*

*3. Reg. 12.*

Et quamuis inueniantur qui non imperat quidem vt officiales ipsorum subditis graues sint; difficillime tamen admittunt querelas; vel si eas audiant, tam stolide vicariis suis fauent, vt miseros subditos egregie confun-

confundant, & quantumcunque causa iusta sit, nihil proficiant apud eos, quos vt Cęsarem appellarunt. Inueniuntur etiam (Ah cõclamatam subditorum miseriam!) qui referunt vicariis suis querimonias omnes, quas oppressi subditi deposuerunt, non vt locum habeant purgandi se, ac emendandi; sed vt eos fidos sibi faciant, & ad omnia paratos: vt eos irritent cõtra miseros illos quæstores, qui grauamina sua deposuerũt. Omnes Domini non tam benigni sunt quã Deus, qui iustos populi audit clamores contra tyrannos. Non omnes adeo boni sunt vt Iob. qui de se ait: *si contempsi subire iudicium cum seruo meo & ancilla mea, cum discetarent aduersum me.* Non omnes adeo æqui sunt vt Imperator Traianus, qui pauperis viduæ caussam cõtra filium suum Cęsarem iuniorem audiuit querimonias, ac in vestigio quod iustum erat adiudicauit. O quam pauci sunt magnates, de quib. dici possit quod Plinius in commendationem Traiani. *Iob.* 31.

Plinius in Panegyr. Traiani.] *Quæ præcipua tua gloria est, sæpius vincitur fiscus, cuius mala causa nunquam est, nisi sub bono Principe.* Credibile Prodigi Herum non admodum clementem fuisse, cum iuxta Catholicorum omnium expositionem diabolum repræsentet. Non ergo illuc, inquit Prodigus, mihi vertenda sunt vela, merito quidem. Sed quo igitur, ad fratrem seniorem? nimis ipsi erat exosus.

Audiatis postea quomodo tectum subire noluerit, & cum patre de reditu gaudere, indignans ipsum honorifice susceptum. Adeo vt miser senex vix ipsum placauit, vix impetrauit ne irasceretur conuiuis. Quod igitur habuisset refugium, quem mediatorem, si illuc venisset? Cum verosimiliter Prodigus frequenter rebellis patri, non rarius etiam offenderit fratrem, ac bilem nouerit cognatis, amicis, qui fere implacabiliores sunt, ac diutius iram seruãt quam externi: quia iniuriæ atrociores sunt, magisq; acerbæ, ab iis illatæ à quibus minime expectamus. Procul, procul inquit ab hoc scopulo: nisi velis hic naufragium facere & sapien-

pienter. Quo igitur? ad seruos patris? neutiquam: pristina enim eius superbia & insolentia omnes eiusdem rat aduersos, cum forte omnibus antea fuisset durus, vexans, cedens forte ad libitum, prior forte offendet & postea ad patrem aut matrem prior eos deferens fœtere faciens seruitutis ipsorum odorem bonum coram Pharaone suo: grauans forte & corrumpens vbique eorum seruitia; *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* Malebant ipsum longe abesse ab oculis, à visu, sicut longe erat à corde. Ah infœlix puer, plenus miseriis, nulli miserabilis.

*Virg. 2. Æn.*

*Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt*
*Accipere? aut quid iam misero mihi denique restat*
*Cui neque apud Danaos vsquam locus, inspe ipsi,*
*Dardanidæ infesti pœnas cum sanguine poscunt.*

Dicere potuit. Sed quo tandem euadet? Ad patris amplexus? Sed qua fronte, qua audacia, qua specie, qua via, quo apparatu, quo prætextu ibit ad illum quem adeo importunus inuitum deseruit, cuius bona dissipauit, quem dedecore, quem infamia, domi forisque maculauit? Qua fronte enim, quo ore, quibus vestibus irem, nudus, sceleratus, impudens? Hunccine adspiciet pater? hunccine agnoscet? oculis interficiet? Si recipiat in domum, non erit nisi vt compedibus vinctum, in pistrinum dedat, in carcerem; vt ibi pro meritis castigetur. Et quis nouit an non traditurus sit vt incorrigibilem Iudici, tanquam pestem suarum dium, turbatorem quietis, facem ardentem Reip. quæ non nisi mortis supplicio extinguatur. Argumenta horum non parua, si ad peccata respiciat; quæ hanc ipsi vocem extorquere possint, *maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.*

*Genes. 4.*

Gul. Gnaphæus in Acolasto Act. 5. Scen. 4.

*Dignus sum quem ima*
*Tellus dehiscat, ob meam*
*Iniustitiam, quæ tanta est, vt non audeam*
*Vnquam mihi sperare veniam à patre.*

Virg.

Virg. 10. Æneid.

*Quo feror? vnde abij? quæ me fuga? quem vere-*
*ducet?*

Quid tentabo igitur? ferrum, vt Saul? laqueum vt Achitophel, vt Iudas, vt Myrrha concubina patris? an sumam venenum vt Hannibal, bibam taurorum sanguinem vt Themistocles, aut natabo Tiberim vt Tiberius, aut precipitabo de rupe vt Cleōbrotus Ambraciota, lecto Platonis Phædone? Quid mihi vltra viuere, cum omnia mihi ablata sint?

Cicero lib. 7. Ep. fam.] *Vetus est, vbi non sis qui fueris, non est cur velis viuere.*

Item.] *Ita viuere, vt non sit viuendum, miserrimum est.*

Incert. Auth.] *Præstat non viuere, quam viuere misere. Dulce mori miseris.* Si sic, a mundo recedam, omnia mecum sepeliam.

Sallustius in coniurat. Catilinæ.] *Tum ille* (Catilina) *furibundus: quoniam quidem circumuentus, inquit, ab amicis præceps agor, incendium meum ruina extinguam.*

Cicero in Catil.] *Honeste viuere cum non posset turpiter perire maluit.*

Nonne satius est cito mori, quam Deo & hominibus inuisum diu viuere: mihi igitur inferam manus, faciam, omnino iam decretum est.

*Nolo, volo, seditiosus plane cordis mei Senatus est.*

Virg. 10. Æneid.

*Hæc memorans animo nunc huc, nunc fluctuat*
*illuc,*
*An sese mucrone, ob tantum dedecus, amens.*
*Induat, & crudum per costas exigat ensem*
*Fluctibus an iaciat mediis.*

Iob.] *Cogitationes meæ dissipatæ sunt & variæ.*

Iob.] *Cogitationes meæ variæ succedunt sibi, & mens mea per diuersa rapitur.*

Cothurnus in altissima Ægypti pyramide, aut in illa Sixti Quinti Romæ, vndique ventis conspirantibus, non ita circumgirat vt misera Prodigi huius mēs

atque anima. Mihi manus inferam? hoc vtique totum fuerit perdere, hoc manubrium abiicere post ascian. Desperabo? hoc mala cumulabit, Deum magis offendet, patrem magis contristabit, quam prima peccata omnia: hoc esset ex febri incidere in pestem, & ad breuem effugiendam miseriam accersere æternam, vt ex stagno euadas in Charybdim irruere & Scyllam.

D. Hieron. lib. 2. Ep. 3. edit. Canis. ad Sabinianum Diaconum.] *Solum desperationis crimen est quod mederi nequeat.* Desperem ac meipsum hac ratione perdam?

*Virg. 2. Æn.* *Hoc Itacus velit & magno mercentur Atridæ*

Quantum deberem ludibrium hostibus, visibilibus atque inuisibilibus. Inuisibilibus: quid enim præter animam meam optat Satan? Visibilibus: nã frater meus hæredem se videbit ex asse, in possessione pacata. Sentiet iam patris egregie dicerent se vindicatos: & cur mihi cõscisca necem, cùm mihi adeo bonus pater, permittens me quondam voluntati meæ, hæreditatem ad primam concedens instantiam? neminem habet quam me & fratrem, gaudebit si vtrumq; videat; filius vnicus patri nihil est, lætus moritur si duos relinquat, sperãs posteritatem: & si ego filialem abieci affectum, ille paternum necdum abiecit animum: quamuis bona perdiderit, nõ perdidit amorem. *Si ego commisi vnde me damnare potes; tu non amisisti vnde saluare sis.*

*D Augustin. in medit. ca. 19.* Illa quam toties ante expertus sum clementia, bene sperare iubet si tentauero: pater ac mater filiorum nõ obliuiscuntur, carnis sanguinisque sui. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum?*

Terent. in Andria Act. Scen. 3.] *Pro peccato magno paulum supplicij satis est Patri (inquit Chremes ille Terentianus.)*

Si me tracter vt commerui, fiat in nomine Domini, ille pater meus est, ego filius, totus ipsius sum, post Deum in ipsum solum peccaui; quicquid factũ, quicquid delictum, iustius ipse de me quicquid videbitur statuet: facilius quidliber ab ipso quam ab alio perferam. Si carcer, si flagra, si supplicia, si mors omnino toleranda est, à nemine suscipiam æquanimius quam

ab eius

b eius manu, qui mihi vitam donauit: *si vitam dedit, vitam abstulerit, hostimentum est, tantum pro tanto.* Duplicabit si conseruet, & dupliciter ipsum appellabo patrem. *Abba Pater.* Iacienda est alea, tentanda fortuna, ea maxime vbi minus speres periculi. Vbi vero discrimen minus mortis & perditionis, inter manus patris tam benigni, an fratris auari, sitientis hæreditatem meam, inter vngues seruorum maleuolorum, cupidorum vindictæ: aut amicorum nobilium, & fortunatorum qui similes arundini, ad omnem nutant horam & ventũ Patres semper patres & amici, cognati non semper: forte cedet opinioni melius. Pater forte reditum meum magis quã ipse ego desiderat, & forte videbit me libentior per charitatem, quã ego ipsum per necessitatem. Sæpe sensi facilitatem naturę eius, & hoc est quod conqueror me nimis habitum indulgẽter. Non tam respiciet meritum meum quam officium patris. Illuc igitur vertam proram & in paterno fundo sacram figam anchoram.

Ouid. lib. 2. de Ponto Eleg.

*Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales.*
*Audet in humanos fessa venire sinus.*
*Nec se vicino dubitat committere tecto,*
*Quæ fugit infestos territa cerua canes.*

Prodigus igitur hæc diu versans, ac multum secum disputans, concludit tandem. *Surgam & ibo ad patrem meum.* Ad portum illum subducam nauem, istic consistam. *Hæc alternanti potior sententia visa est.*

Notate igitur, dilectissimi, tria potissimum fuisse, quæ ipsum ad patrem raperent, ac compellerẽt: necessitas siue extrema indigentia, spes veniæ, recordatio paternæ clementiæ. Nunquam de reditu cogitasset, si non ipsum stimulasset necessitas, quasi duris fustium verberibus; non magis quam accipitres reuertũtur ad dominos suos nisi fameant. *Mala quæ nos hic premunt ad Deum ire compellunt*, inquit S. Gregorius.

Nunquã eam ingressus esset semitã, nisi spes gratiæ eum dulciter illexisset. *In funiculis Ádam traham eos, in vinculis charitatis, in funiculis hominis, vel humanis,*

vel

*vel mera humanitate, qua homines trahuntur.*

Hieremiæ 31.] *In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te, miserans.*

Spes ista, fuit ipsi quod magnes ferro, succini paleæ, bonus odor Panthere quo reliquas trahit bestias. Nunquam istam inuenisset viam bonæ spei, nisi habuisset memoriam clementiæ paternæ, quam toties erat expertus. *Fœlix necessitas quæ ad meliora compellit.* O gratiosam dominam; ac susceptricem Spem, sine qua nemo attingeret pœnitentiam, etiamsi ipso deterior Iuda.

Rom. 8.] *Spe salui facti sumus.*

Eccl. 2.] *Nullus sperauit in Domino, & confusus est*
——*Spes non confundit.*

Theognis.] *Sola spes inter homines bonum est vnum.*

O dulcem memoriam, ac iucundam recordationē clementiæ, toties declaratæ: quid sine duobus his postremis ageremus. Spes omnium malorum remedium est, tam pœnarum quam culparum. Quis medicus morbo manum admoueat si sanitatem desperet. Antiqui medici, & ipsa ars, præcipit iunioribus medicis ante omnia considerare an morbi curabiles sint.

Ouid. 1. de Ponto.]

*Non est in medico semper releuetur vt æger;*
*Interdum docta plus valet arte malum.*
*Tollere nodosam nescit medicina podagram.*

Vt nimirum si immedicabile sit malum, illud caueant tangere: sin secus admoueant industriam. Quis etiam æger in Medicos dispendet pecunias, in herbas, in potiones, nisi speret valetudinem. Et quis vnquam peccator ad Deum redibit, aut hominem, nisi veniam aliquam præconciperet. Sin desperet, tendet in peius; *qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Sicut furiosi & phrenetici nihil erubescunt, audent omnia, ignem inuadunt & aquam, & altissima sine pauore præcipitia: sic qui salutis spem abiecerunt, plane fiunt intoletabiles.

D. Chrysost. Ep. V. 5. ad Theodorum Monachum lapsum.] *Sicut furia correpti, deperdita semel sanitate capitis, nihil verentur, nihil eos pudet, intrepide quidvis audent;*

*audent; in ignem, in mare, in prærupta edita aq; saxa impigre conuolant: in hunc modum qui se incuriæ per desperationem permisere, deinceps sunt intolerabiles per auia vitiorum assidue discurs itant, neq; mors imminens eos ab insania deterret, ac deprauatione infinitisq; se calamitatibus conficiunt.*

D. Bernard. serm. 37. in Cant.] *Omnis peccati consummationem parit desperatio.* Imo vero desperatio ipsos nequissimos facit. Dicunt enim *Vide Mag. sent. lib. 4. dist. 14. §. d.*

*Vade saltem huius vitæ suauitate fruere.*

Et;] *Venite, fruamur bonis quæ sunt, in iuuentute celeriter.*

Et;] *Edamus & bibamus, cras enim moriemur morte secunda &c.*

Cras enim inter damnatos apud inferos cœnabimus: vtamur dum licet huius vitæ bonis, & quoniam Paradyso excludimur cœlesti, anticipemus quoad licet terrestrem.

Edamus, bibamus, in hoc mundo, in altero calefaciemus. Hic desperantium sermo, proh dolor! aut nõ amplius sustinens remorsum & crucem conscientiæ, quo perpetuo intus torquetur anima, peccata peccatis vltra numerum cumulat, & addit illud quod solum est inremissibile, necem voluntariam, volens ita internos solari cruciatus. Videte cur Deus noster, & benignissima mater Ecclesia, nunquam spem veniæ peccatoribus præcludat pœnitentibus; quantumcunque multis, grauibus, diuturnis operti sint flagitiis: ne scilicet in desperationem incidant. Damnat etiam Nouati hæresin, & sectatorum eius; qui docuit pœnitentiam post baptismum semel tantum prodesse. Contra quem S. Cyprianus martyr *velit, nolit Nouatus hæreticus, omni tempore, Dei gratia recipit pœnitentes. Cum cõuersus ingemueris, tunc saluaberis.* *Vide Mag. vbi sup. D. Cypr. ser. de cœna Dom. sub finem.*

Bene notandum quod Deus nunquam relinquat in rebus etiam maxime afflictis hominem sine spe: sperat enim semper, etiam nesciens quid speret, rebus omnino deploratis. *Contra spem in spem.* Sicut Abraham immolans filium, sperauit aliquid, nescio quid, quave via.

Virg.

Virg. 2 Æneid.

*Vna salus victis nullam sperare salutem.*

*Stob. serm. 109.* Ideo Thales quodã die interrogatus quid maximè esset commune; respondit sperare: spem enim habent etiam qui nihil habent. *Hesiodus in operibus de Pandora l. 1.* Et veteres fabulantur Deum mundi sceleribus iratos fugisse à terra, & omnis generis calamitates ex pixide Pandoræ inter homines dispersisse, solam spem tenuisse locum inter homines, futuram solatio in malis.

Ouid. lib. 1. de Pont. Eleg. 7.

*Hæc Dea cum fugerent scelerata numina terras,*
*In Diis inuisa sola remansit humo.*
*Hæc facit vt viuat fossor quoq; compede vinctus*
*Libera q; à ferro crura futura putet.*
*Hæc facit, vt videat cum terras vndiq; nullas*
*Naufragus, in mediis brachia iactet aquis.*
*Sæpe aliquem solers medicorum cura reliquit;*
*Nec spes huic, vena deficiente, cadit.*
*Carcere dicuntur clausi sperare salutem,*
*At q; aliquis pendens in cruce vota facit.*
*Hæc Dea quam multos laqueo sua colla ligantes*
*Non est proposita passa perire nece;*
*Me quoq; conantem gladio finire * dolorem*
*Arguit, iniecta continuit q; manu.*
*Quid q; facis? lachrymis opus est, nõ sanguine, dixit.*

* al. labores.

Spes extremum in aduersis solamen est. Spes ad triremes, ad metalla, ad latomias damnatos sustentat, & libertatis iucundam cogitationem proponit.

Spes naufragium inter fluctus ad natandum animat, etiamsi præter pontum & æthera nihil videat. Spes conclamantium à Medicis, flaccente pulsu, fugiente sanguine, adhuc inter extrema erigit. *Ægroto dum anima est spes est.* Dum spirat sperat, inquit prouerbium. Spes catenatum captiuum fouet, exulem spes reditus in patriam solatur, ac damnatum ad crucem vota facere, ac orare redemptionem suadet. Spes eos qui iam laqueum gutturi aptauerunt, suis vt superstint eripit manibus. Quid denique sine spe facerent flagitiosi, pauperes, afflicti. Referunt ciuis Rhodius, clausus in

*Erasm. lib. 8. Apophth.*

cauea,

caueam, in qua non minus ignominiosè quam miserè, vt bestia alebatur, præcisis naribus, deformata facie; suadentibus amicis vt voluntaria inedia suas finiret miserias, respõdisse: hominem omnia sperare posse, quamdiu tantum viuit.

*Qui nihil potest sperare, desperet nihil,* dicit Seneca. *Seneca in Medea.*

Menander.] *Mortalis, ad senium vsque spera quod libet.*

Opus est prudentis & constantis sperare meliora, nec iniucundum est fingere & imaginari solum mala aliquando transitura in melius. Quamuis Publius dicat: *in malis sperare bonum nisi innocens nemo solet*: hoc enim dicit respectu meritorum & diuinæ iustitiæ; falso præsupponens Deum carere misericordia. Deus bone! quid ageremus sine spe? quis colonus serat agrũ desperata messe? *Spes alit agricolas*, dicit prouerbium. Quis piscator inescabit hamum desperata præda? *In verbo tuo* (& spe prædæ) *laxabo rete*, inquit S. Petrus. Quis miles arma sumet, si nulla spes sit victoriæ ac spoliorum? *Tibull. lib. 2. Eleg. 6.*

Nihil incipimus nisi cõmodi spe. Nemo studet sine spe profectus. Nemo amat sine spe consecutionis. Quod fortiter speratur iam ex parte obtentum est, & sine spe nihil vnquam arduum tentatur. Nisi desperati in bello aut victoriam aut effugium sperarent, non ita cæcis desperatisque pugnarent ictibus, neglecto quasi corpore vt ita seruent. *Est vbi dat vires nimius timor.* *Statius.*

Ac ideo admodum misericorditer in rebus maxime etiam deploratis spem Deus suppeditat obscuram, aut in secreta fundatam prouidentia, aut in casu, aut in instabilitate & fluxu rerum humanarum. *Omnium rerum vicissitudo est.* Hodie mihi cras tibi. *Terent. in Eunucho. Act. 2. Scena 2.*

Spes igitur veniæ Prodigum ad Patrem attraxit; Ac notandum bonam istam spem conceptam ex recordatione benignitatis paternæ, quam sæpius aut in se, aut in fratrem, aut in seruos delinquẽtes probauerat: qua concludebat se eam apud patrem inuenturum, si eius

si eius pedibus se aduoluerer. *Ibo ad patrem. Pater est, non vitricus, non tyrannus, nec Phalaris aliquis.*

*Ouid. lib. 1. de Ponto Eleg. 3.*

*Non tibi* Therodamas cruduſve rogabitur Ixion.*

* *al. Theromedon, ſed nullus vſquam Theromenon mihi dictus.*

Pater meus est, non tortor crudelis, non tyrannus ad pedes eius accidam.

Venerabilis Beda.] *Quam misericordem piumque nouerat patrem, qui nec offensus à filio, patris dedignaretur audire vocabulum, & ex hoc illi spes reconciliationis adhæsit.*

Per. Chrysol. ser. 2.] *Qua spe? qua fiducia? qua confidentia illa, qua pater est. Ego perdidi quod erat filij: ille quod patris est non amisit.*

Ah si vidisset in patre tantam crudelitatem, & asperitatem, quantam benignitatem & mansuetudinem, nunquam ad veniam impetrandam sperare aut asperare potuisset. Strangulandi ac necandi sui cœpisset consilium, aut saltem ad priorem reuersus fuisset postliminio militiæ ac malitiæ ducem, iunxisset se latronibus socius prædonum. *Sceleri procliuis egestas.*

*A. Gellius lib. 5. noct. Att. cap. 14.*

Si patrem alias expertus fuisset seuerum in innocentes, casusve humanos, quid nō expectaret post tot tam atrocia facinora, in Deum, in ipsum perpetrata: non rediisset magis quam fugitiua mancipia, in conspectum crudelis ac inhumani Domini, præligentes inter leones ac bestias agere (quod de Androdo legitur) quam ad Herum reuerti: faciunt idem filij nimiū duriter à patre habiti ac castigati.

Atque ideo dico, parentes, bonum est si filios vestros castigetis: sed non *in virga ferrea, non in scorpionibus*: sed in virga filiorum, id est, miscentes clementiam seueritati: castigare quædam aliquoties, ne nimia indulgentia, patrum segnes faciat natos.

*Claudian. in consul. Manlij.*

*Desidis aurigæ non audit verbera currus.*

Non tamen crudeliter, non semper, & in castigando paterni affectus non obliuiscentes. Nec mollities nimia, nec asperitas decet patrem: sed mixta vtrimque discretio: paternus affectus moderari debet disciplinam. Pater patrem se cogitet, & filium esse quem corripit.

ipit. *Pro peccato magno paululum supplicij satis est pa-* *Terent. in Andr. Act. 3. Scen. 1.*
*ri.*

Psal.] *Velut pater misertus est filiorum, Deus. Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros.*

Sic Phraotes Indorum Rex, nec leones, nec belluas quidem nimium seuere baculis cædi voluit: verberibus enim nimium aiebat reddi ignauas, & pauidas. Nec nimium etiam mulceri volebat, ac blandiri; quia inferociores fierent & feriores. Sed, vt cicurentur & mansuescant, benignitatem quandam mixtam dicebat illis exhibendam, popismata cum minis. Quam non male fecerint parentes, si eandem iniuerint rationem.

Author etiam fuerim Principibus, ac superioribus omnibus, ne nimiam in subditos seueritatem præferant, ne vbi deliquerint emẽdationis vota abiiciant, non audentes ad amplexus illorum venire, & redire ad debitam obedientiam, desperata scilicet misericordia.

Melius est pro Principe, quam Principem timeri. Ignoscant parua, magna & enormia humana aliqua seueritate puniant, vt non semper pœnæ delictis æquentur, sed satisfieri aliquando sibi sinant pœnitentia. Tardi sint ad vindictam, celeres ad prẽmia: dolentes si quando rigor exercendus est. Plura minis & terrore, quam pœnis coërceant: ac si omnino tonandum ac fulminandum est, hoc cum magna commiseratione fiat: exemplo Christi, qui deplorauit Ierosolymam, videns mala quibus aliquando ipsam castigaret: Talem dicebat Augustum in exilio suo Ouidius.

Ouid. lib. 1. de Pont. Eleg. 3.

*Sed piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox.*
*Quis dolet, quoties cogitur esse ferox.*
*Qui vincit semper, victis vt parcere possit:*
*Clausit & externa ciuica bella serâ.*
*Multa metu prohibet; pœnâ qui pauca coercet;* *Plutarch. in Apophth. Rom.*
*Et iacit inuitâ fulmina rara manu.*

Magnus Fabius, agnominatus cunctator, insul-

sum sibi dicebat videri, familiaritate & pastu equos carnesque venaticos magis, quam canes, flagris, fustibus assuescere: & in domando homine beneficentiam & suauitatem non adhibere; ac seueriorem esse in homines, quam hortulani sint in pomaria, in oleta, quæ ipsi non radicitus excidunt, sed suauiter tantum putant, & inserunt.

Seneca in Agamemnone.] *Extrema primo nemo temptauit loco.*

Ouid. 1. Meta.

*Cuncta prius tentanda: sed immedicabile vulnus*
*Ense recidendum est ne pars sincera trahatur.*

Claudian.

*Ignoscere pulchrum.*
*Iam misero pœnæq; genus, vidisse precantem.*

Notam habere Principis immisericordiam, subditum animat ad extrema per desperationem toleranda: atque hæc etiam desperatio victis nonnunquam victoriam peperit. Magnus quidem Poeta, magnum belli ducem sic introducit milites compellantem.

*Virg. 2. Æn.* *Vna salus victis, nullam sperare salutem.*

Quia sæpe pauor erumpit in audaciam, & desperatio in fortitudinem: vis & necessitas quidlibet efficiunt.

Prou.] *Si stringis, erumpit.*

Prou.] *Necessitas inuenit artes.*

Magister militiæ Abner, Ioab magistrum militiæ partis oppositæ tali voce victorem compressit. *Num vsq; ad internecionem, tuus mucro desæuiet? An ignoras, quod periculosa sit desperatio? vsquequo non dicis populo, vt omittat persequi fratres suos?* *2. Reg. 2.*

Idem consilium Aristides iustus, & Themistocles approbarunt, post victoriam nauale, Salaminæ contra Xerxem: pontem scilicet, quem Xerxes in Hellesponte fecerat, diffringere noluerunt ne fugam ipsi intercluderent, & Asiam quasi in Europa captuarent. Non, inquiebat Aristides, cauendum hoc omnino, iam enim Regem cecidimus, fractum delitiis; sed si eum in Græcia nostra tanquam in cauea concludamus,

*Plutar. tom. 1. vit. in Themist.*

nus, & hominem tanto exercitu cinctum ad extrema adigamus, non futurus belli spectator otiosus, sedens sub papilione deaurato, sed audebit quidlibet vt priorem negligentiam compenset, & in posterum melius sibi caueat. Quare pons ille non tantum non intercidendus est, sed si fieri posset, iungendus etiam secundus, vt Barbaro facilis sit de nostra Europa exitus. *Grauissimi sunt morsus irritatæ necessitatis*, dicit Porcius latro. Nostro tempore Dux Albanus, antiquus & versatus miles, simile fere quid respondit, suadentibus vt rebellium caput concluderet, cum sequeretur fugientem cum grandi exercitu: dicens aureum etiam pontem sternendum fugientibus, ne ad desperata prælia cogerentur descendere.

*Por. latro declamat. in Catilinam.*

*Vna salus victis, nullam sperare salutem.*

Annosa illa vulpes, non parum leo erat, sed nonnunquam & leonina & vulpina consuenda est vt ni fallor Lysander dicere consueuit.

Claudianus inter potissimas Stiliconis laudes refert, quod nihil timuerit magis quam timeri.

Claudian. Paneg. 1. in laudes Stiliconis. *Res mira relatu, Ne timeare, times, & quem vindicta manebat, Desperare vetas. Quantum fiducia nobis Profuit hostilis.*

Nec publicæ nec priuatæ personæ, nec bestiæ, nec tota natura mirabilius quid vnquam facit, quã cum vrgetur nimium. Angli à Gallis aliquãdo arctati qui ab aureis calcaribus nomen acceperãt ad Agincourt, cum parati essent æquis conditionibus se dedere, & Galli nimis iniquas præscripsissent, omnibus alterum eruere volentes oculum, ita subactos iam hostes exasperarunt, vt resumptis viribus, & armis, victores suos omnes in fugam verterent.

*Vna salus victis, nullam sperare salutem.*

Quis crederet Lysimachum ausurum consertis cum leone certare manibus? fecit tamen sed constrictus necessitate. Cum enim Alexander Magnus, etsi iniuria, ipsum iratus obiiciẽdum leoni iudicasset, atque ille toto impetu in ipsum irrueret, Lysimachus

obuoluens modico manum fœno, in fauces hiantis iniecit leonis, atque ita perstricta lingua, in arenam tendit mortuum: quæ res ipsum Alexandro multo fecit gratiorem.

*Vna salus victis, nullam sperare salutem.*

Cattus dum liber est, cattus est: sed si clauso cubiculo verberare tentes, Getulię leonibus inuenies violentiorem, furore ac robore incredibili.

*Vna salus victis, nullam sperare salutem.*

*Adieu de l'Ame.*

Ludouicus Richeomus aureus ille calamus, refert in suo *Vale anima*. Nobilis cuiusdam annosam achillicam equam, cum in circo sibi videret cum leone certādum, vnico ictu leonem strauisse in terram, qui multo ibi tempore iacuit semimortuus. Necessitas fuit quæ equæ vires addidit. Refert idem venatorem ab vrso inuasum, qui iam manu eius rictu tenebat, desperatione compulsum, insiliisse in vrsi tergum vt lutin equum, ac ita multo tempore equitasse, nihil mali passum: sed cum tandem vrsus attonitus, cum sessore nouo rueret in præcipitium, & se volens perdere & equitem, desiliit bellus ille eques, & vrsus gauisus, se illa exoneratum sarcina, manum quam momorderat dimisit.

*Vna salus victis, nullam sperare salutem.*

Senec. lib. 2. quæst. natural. ] *Nullus periculosior hostis, quam quem audacem angustiæ faciunt.*

*Maiora, aut certe paria conatur animus magnus, ac perditus.* Syluius lib. 1.

*Fractis rebus violentior vltima virtus.*

*Pet. Boyst. in disc. de hominis excellētia pag. 110.*

Alexander Magnus in extremo vitæ periculo, desertus à suis in prælio contra Indos, adeo cholera accendit: vt toto corpore sanguinem sudaret, & barbaris totus ardere videretur: vnde ipsi plane conterriti, coacti sunt ipsum relinquere.

*Vna salus victis, nullam sperare salutem.*

Dominus noster Christus Iesus, vnico solum responso, *ego sum*, tantum incussit militibus terrorem, vt quasi cæsi concíderent, necessitas inuenit artes, periculum submersionis natare docet ignorantem periculum

culum necis claudos & paraliticos compellit è lecto fugere. *Tunc saliet sicut cervus claudus.* Periculum mortis homini animum addit, viresque recolligit: *cum infirmor tum potens sum.* Et Dominus noster nunquam fortiori clamauit voce, quam in ipso mortis articulo. Quid? quando palma se magis erigit nisi cum maxime premitur? quando ignis maxime calorem suum viresque ostendit? nisi media hyeme, & frigoris vt Græci appellant antiperistasi: tum demum ostendit quid possit, vt hosti suo resistat. Sic omnibus rebus additur animus & robur, cum necessitate quadam & violentia opprimuntur. Quare non expedit filios aut populos nimium premere, præstat eos beneuolentia ac suauitate deuincire, ducere potius quã trahere. *Obsequium amicos parit.* *Isaiæ.*

Ouid.] *Dextera præcipue capit indulgentia mentes.* *Terent. in And.*

Idem.] *Flectitur obsequio curuatus ab arbore ramus*
*Obsequium Tigresq; domat, tumidosq; leones.* *Ouid. lib. 2. de arte.*

Quam multos Iulij Cæsaris clementia Romanos ad obedientiam reduxit quia ipsam vincens victoriã, victis clemẽter dabat vitam; imo & honores iis quos iura belli viuere non sinerent.

Cicero Orat. pro M. Marcel. *Ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa quæ illa erat adepta, victis remisisti. Nam cum ipsius victoriæ conditione inter omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ iudicio conseruati sumus.*

Idem Orat. pro Q. Ligario. *Quis non eam victoriam (Cæsaris) probet, in qua occiderit nemo, nisi armatus?*

Quam multos reduxit clementia Augusti, successoris eius, de quo scribit Ouidius lib. 1. de Pont. Eleg. 3.]

*Qui vincit semper, victis vt parcere possit.*

Idem lib. 2. Trist.]

*Tu veniam * Partho superato sæpe dedisti,* ** al. parti superatæ.*
*Non concessurus quam tibi victor erat.*
*Diuitiis etiam multos & honoribus auctos*
*Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.*
*Quæq; dies bellum, belli tibi sustulit iram,*
*Parsq; simul templis vtraq; dona tulit.*
*Vtq; tuus gaudet miles, qui vicerit hostem,*

*Hic, cur se victum gaudeat, hostis habet.*

*Sueton. in Augusto.*

Dicitur princeps iste Augustus primus, Cesarisecundus, tantam in Cinna ostendisse clementiam, vt cum iam deprehensus esset ex chartis machinari necem Imperatori, dixerit tamen: seruo tibi ô Cinna iterum vitam; primum quidem vt inimico (fuerat enim in militia hostis) iam vero vt sicario & parricidæ. Quos rebelles non reduxit Sextus Nero benignitate, quæ tanta fuit, vt cum mortis sententia subscribenda esset, diceret. O vtinam essem plane scriptionis ignarus. Quæ corda etsi adamantina non emollisset & traxisset magnus Alexander: cuius tanta fuit clementia vt hostis eius Darius Persarum Rex nihil Deos oraret, nisi vt clementia Alexandrum vinceret: ac si omnino eo natus esset fato, soli Alexandro regno cederet.

*Seneca lib. 2. de Clemẽtia.*

*Panorm. lib. 1. de rebus gestis Alphõsi.*

Alphonsus Caietam nunquam potuit subiugare armorum vi, nec exercitu quem habebat quadraginta millium; sed solum euidenti clementiæ demonstratione. Cum enim Caietani obsidione ac fame pressi, mulieres, pueros, senes, gentemque imbellem, armis inutilem, commeatui noxiam, mœnibus eiecissent, ille eos recepit; & cum quidam ipsi dicerent, si reiiculos illos non suscepisses, post paucos dies proculdubio ipsi etiam se dedissent Caietani: respondit homo clementissimus, pluris se facere turbam illam innocentem, & indefensam, quam centum Caietas.

Clemẽtia illa ita Caietanorum vulnerauit corda, vt expugnaret mœnia, quæ quadraginta hominum millia, longa obsidione occupare non potuerant. Nam multo post amota castra, iugum legesque reciperent, sine vi, sine armis, ad ipsius arbitrium.

Clementia sperata, nonne Gabaonitas *ad præ*standam Iosue induxit obedientiam.

3. Reg. 20. Antiqua Regum Israel clementia, nonne stratum in campo Bennadad regem Syriæ, ad pedes Regis Israelis attraxit, petitum vitam, redditis ciuitatibus quas pater ipsius vsurpauerat ac societate inita,

Eos

*te audiuimus, quod Reges domus Israel clementes sint: mamus itaq; saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad Regem Israel: forsitan saluabit animas nostras.*

Sic dictum, sic factum: euenit quod sperauerant. Tales Reges facile rebellibus arma de manibus excutiunt.

Præcedēs Henricus Quartus, magnus Gallię Rex: quid? verum equidem est, dilectissimi, Gallus natus non sum, sed ex liberis, primisque sum Burgundionibus, quos hodie videas. Regē Galliæ Henricū Quartum, de quo loquor, nunquam nisi pictum vidi. Cur autem laudare non possem Regis amici virtutem, confederatum cum nostro, Christianum vt nos, maxime post mortem? *Quippe cum propter virtutem & probitatem, eos etiam quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus; cuius ea vis est, vt eam quod maius est, in hoste etiam diligamus:* *Cicero in Calio.*

*Ipse hostū Teucros insigni laude ferebat.* *Virgil.*

Magnus igitur ille Henricus, quomodo creditis quod solidissimas Ligę colūnas in partem suam trāstulerit: quomodo potuit tam subito discerptam ac dispersam regni nobilitatem sibi adiūgere? Quomodo amissas ac alienatas reducere ciuitates? Cur suis tam amatus, exteris tam terribilis præfuit? adulari nescio, nescio mentiri: Gallus, Burgundio, pari loco mihi omnes.

*Tros Tyriusq; mihi nullo discrimine agetur.* *Virg. 1. Æn.*

Omnino mihi persuadeo per clementiam, quæ vehementer in illo excelluit. Hēricus magnus (scribit doctus quidam regni istius Episcopus) a subditis suis offensus ita est, vt omnia augerent iniuriam. Disceptatum fuit cum ipso de Corona, de hæreditate, & antequam Henrici tertij decessu ianua ipsi ad regnum aperiretur, media quærebantur quibus excluderetur, ac spoliaretur honoribus. Quid nō scriptum cusum, ad grauandas calumnias, vt in odium induceretur, vt populus extrema pati potius, quam imperium eius acceptare suaderetur? Quid non disputatum, quid

non declamatum, ex cathedris, ex pupultis, in minoribus etiam scholis, contra personam, vitam, mores, familiam ipsius? Et, quod miror magis, contra factum etiam & heroicum maxime opus, quod nequá facere potuit, reditum dico fœlicem, & cõuertionem ad Ecclesiam. Subditi erant Principi suo rebeles, qui iactabant, qui scribebant ista: quamuis alius vitam deberent ob arma & proditiones. Omnia superauit Henricus ille magnus ac glorioſus, nigrasillas maledictorum tenebras, & maleuolorum contra se consilia dissipabat, occupans regnum, cuius reuera neminem præter Deum & gladium suum agnoscit authorem. sedit in throno quem fabricauit a mis, & longa victoriarum sequela firmauit. Tota ipsum Gallia cum terrore conspexit, memor delictorum suorum videns in illo authoritatem tam absolutam. Quis tamen ob recordationem præteritorum vel guttam vidit cadere sanguinis? Quis vidit bonorum proscriptiones etiam seditioſorum vel maximè? Vidimusne exilia publica, aut clancularias vindictas in caput vllius? nihil minus. Sed contra clementia tanta fuit in eos qui magis restiterant, vt victorum cõditio appareret esse melior quam vincentium. Alios ad officia summa regni applicabat, alios in priuatam recipiebat amicitiam, reuocans quos iustus timor alienauerat. Protector factus libertatis ipsorum. Tanta fuit denique eius benignitas, vt desiderandum pene fuerit illi, qui in Gallia magnus esse vellet, fuisse aliquando illi inimicum. Et benignitas ista tam ipsi fuit naturalis & copioſa, vt reliquas actiones omnes obscuraret; sermo ipsi de impendenda misericordia, quam erat ipse à Deo consecutus: iudicia ipsius, vt parceretur, quantum possibile esset sanguini: flecteret iustitiam in clementiam. Virtus ista suauem fecit accessu, familiarem colloquio, accusatoribus abstractum, facilem ad petitiones, subueniẽtem innocentibus, ignoscentem lapsis, ac plane Regium. Et sicut Cygnus cibum non sumit, nisi quem aqua temperarit, sic nitida & diuina illa anima, mullas accipit impressiones

es, quas non prius in aquam, aut melius in bonitatis iæ lac demersisset.

Ludouicus Richeomus, in consolatione sua ad Reginam matrem, dicit Christum Iesum eam indidisse Principi isti clementiam, tam copiosam, vt forma factus sit benignitatis; ac inde facit primum verisimile saluationis eius argumentum. Dictum sit olim assentatorie Timotheo Cononis filio, fortunam, captas iam ciuitates, ipsi obtulisse. Dicam ego vere non fortunam Henrico magno vrbes attulisse captas, nec quod plus est dissidētium corda populorum, sed post Deum clementiam solam, qua verba & facta eius omnia suauissime condiebantur. *Miserationes eius super omnia opera eius.* Vt contra scimus (inquit supra memoratus Episcopus) eos qui cæde & sanguine particularium sua recuperarunt, turpasse triumphum, resuscitasse bella desperatione populorum, qui perfecte nunquam victi domitique sunt, quamdiu in victorem armatum odia fouent. Hinc ortæ seditiones intestinæ, externæ, vicissitudines Regnorum: clemētia vero cordium domina, securum Imperatorio capiti imponit diadema, & sicut oleum affusum mitigat dolores ac lenit, sic suauis illa virtus, & vere Regia, iactata & concitata populorum corda, fortunæ motibus, ad serenitatem & tranquillitatem imperij reducit. De quo putatis loqui bonum illum Episcopum? num forte de rebus nostris. *De te fabula narratur opinor.* Ac, vt dicam quod res est, qui semper hisce tumultibus nostris iactitant: *nullum cum victis certamen, & æthere cassis*, neminem mordent mortui, qui pendentem ex latere ostendentes gladium dicunt, *hic faciet*; qui, quando ciuitatum offeruntur claues æquis tantum rogatis dedendi conditionibus, monstrato gladio dicunt, *ecce clauem*: qui deditas ciuitates excidunt, promiscue sæuientes in sontem & insontem (*nonne semibarbaros & Turcas illos diceres baptizatos*) apud quos perinde ad necem aspere locutum esse & male egisse, hostem esse & amicum: ex quorum ore tam boni quam mali nihil audiunt nisi, O proditores!

Pag. 185.

*Lysander Argius gladium ostendens, Hunc, inquit, qui tenet optimè de finibus disseret. Plutarch. in Pyrrho.*

res! apud quos qui arma manu tenebant, non magis victi quam ipsi victores, postquam redierunt in gratiam, vix paulo mitius habiti sunt quam vrbes ferro captæ, *socius velut hostibus vsi*. Deus bone quantum reditum errantium retardarunt? Phaetontes isti bonorum operum stimulatores, in nostrum orbẽ ac cœlum ignem flammasque dederunt: compulerunt populos ad obstinationem, & mortem: deliberãtes forte facere, quod Numidæ in ciuitate Thala, a Metello obsessi, citius quam dedere se victoribus. *Asperum odium sæuaq; bella mouet*. Egerunt miseri homines quod quilibet damnandum se putans: tueri scilicet vitam præsentem modis omnibus; quibus post mortẽ nihil sit sperandum præter infernum, quo semper tẽpori satis veniant. Sic & populus qui in immisericordes hostes incidit, nõ est quod maturet deditionem, cum nullam speret gratiam: sed omnem monebit lapidem, ex capillis etiã vxorum nervos aptabit arcubus, vt olim Carthaginenses; filiorum carnes comedent, vt olim Ierosolymitani; imo & vxorum, vt Calaguthiani, quæ ciuitas erat Hispaniæ à partibus Sertorij; imo & cæsa conciuium cadauera, vt Saguntini, & Athenienses, durante obsidione Syllana; aut sortibus alter alterum obtruncabit, vt milites Cambysis; aut se suaque omnia in mortem & flammã dabunt, vt olim Thala ciuitas Numidiæ. Sagunthum ciuitas Hispaniæ, potius quam viui in hostium manus deueniant, ferociores leonibus & Tigride raptis catulis.

*Salust. in Iugurtino.*

*Ouid. lib. 2. de arte.*

*D. August. lib. 3. ciuit. Dei. cap. 21.*

*Liuius belli Punici. lib. 1.*

Si miseri isti homines hostium suorum intellexissent tubas, aut optionem sibi dari: *dedi aut suspendi*: nõ dubito quin aut omnes, aut potior pars vitã ac libertatem deditione redemissent; dixissentq; cum nostro Prodigo, *Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei Pater peccaui, &c.* Omnes venissent ad Dominũ sui mandata, sicut ipse *surgens venit ad patrem*. Venissent turmatim vti hirundines quærentes æstatem, fatigaretur iam Dominus amplexibus, & osculis; nomenclatores & Notarij scriptionibus. Populi fratres ipsorum præ gaudio nõ tenerent lachrymas, tam ipsis iucundum

candum foret spectaculum reconciliatio omnium cum Domino suo: voce cõmuni paruuli cecinissent Hosanna maiores clamassent ad Dominum suum. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filij tui de longe venient, & filiæ tuæ, de latere surgent: tunc videbis, & affluës, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te.* *Isaiæ 60.*

Iam diuersoria, hospitia, sponte redeuntes non cepissent populos: ita recurrissent omnes ad Principem. Sed nihil audientes, nihil videntes, nisi *Pendre & Rendre, vel, Rendre & Pendre*: facile dixerunt quorsum dabimus nos ad dispendium; repugnantes enim & vnanimiter resistentes, superabimus forte & suspendemus hostem. Necdum mortuus est qui pugnat.

*Vna salus victis, nullam sperare salutem.* *Virg. 2. Æn.*

Sed gratis tradentes nos in manus gratiam nullam facientium, iam certo pensiles peribimus. Quid mortem certam pro incerta quærimus, in deditione certa mors, indecorum supplicium; in rebellione vita sita est forte & victoria: ac si omnino moriendum est, honestius saltem in lecto, & in armis.

*Nam & illos quantum importunitatis habent, parum est impune male fecisse, nisi deinde faciundi licentia eripiatur & vobis æterna solicitudo remanebit, cum intelligetis aut seruiendum esse, aut per manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem aut concordiæ quæ spes est? Dominari illi volunt, vos liberi esse: facere illi iniurias, vos prohibere.* *Saluſt. in Iugurtino. voces sunt C. Memmij Tr. Pl.*

Sic forte se mutuo animarunt. Quorsum veniam in laqueum prætensum, incurrã in gladium strictum, in manus eorum *Qui studeant feritate timeri*

*Adductoq; hominum cumulent æraria censu?* *Claudiæ. cons. Manlij. Pet. Crinit. lib. 1. de honest. disciplc. 1. de Christop. Richerius lib. 3. rerum Turcic.*

Cur tradam me Tamerlani in nigro sedenti tentorio, apud quem iam nulla spes misericordiæ, nullum dedito effugium? manus tentans, tam perdere possum alterum, quam perire. *Anima mea in manibus meis semper.* Si repugnando effugio, fructus

ctus ille est desperationis, quo me hostium inclementia, & flagra compulerunt: si cado ac morior, vindicabo me prius, nec peribo nisi cruentatus: constabit ipsis morte meum periculum.

Virg. 2. Æn. *Nunquam omnes hodie moriemur inulti;*
*Victores victiq; cadunt.*

Si morior repugnans, iucundius morior ac gloriosius, defendens mœnia, defendens aggerem, obturans aditum corpore, pro patre, matre, vxore, liberis, aris, focis: quam moriens cum gemitu, frendens dentibus in Phalaridis inclusus tauro, vbi præsens inimicus dolores lachrymasque meas ridebit; nisi forte moriès adhuc ignauus audiam, quod vt mortem effugerem, quam equidem effugere non potuerim, me tradiderim.

Sallust. in Iugurthino.] *Viuere contentus viderer, si defessus malis iniuriæ concessissem.*

Seneca in Troiade.

*Fœlix quisquis*
*Bello moriens omnia secum,*
*Consumpta videt.*

Hæc verba esse possunt plebis desperantis aduersariorum inclementia.

Non, non, dilectissimi, non sic tractandi sunt filij; non populi. Hominum Reges sicuti apum, carere debent aculeo; aut si eum habent, non nisi grauissimis de causis, ac raro vti; maxime in communitates.

Cicero lib. Officiorum.] *Recte præcipere videntur, qui monent quanto superiores simus, tanto nos summissius geramus.*

Idem orat. pro Quintio.] *Qui plus propter virtutem nobilitatemq; possunt, eo minus quantum possunt debent ostendere.*

Homo generosum animal est, duci vult, suaderi; non trahi, non compelli.

Vbi veniam sperat, vbi clementiam expertus est, facile illuc reduci se sinit.

Qui canes dominos suos repetent, à quibus nihil præter fustes expectent?

Qua

Quæ fœmina maritum, à quo sibi videt acui cultrum? quis ceruus pressus à canibus, aut quis monoceros ad sinum confugiet puellæ, si mortem ibi putet inuenire quam fugit? Ouid. lib. de Pont. 2.

*Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales*
*Audet in humanos fessa venire sinus.*

Benignitas & gratia, qua semper magnus ille Alexander, non Macedo sed Italicus, laudatissimæ memoriæ Dux Parmensis, in administratione inferiorū partium vsus est, nonne plures subegit rebelles, quam omnis armorum triumphantium strepitus? clamant hoc & testantur ipsi inimici.

*Quoniam superuenit mansuetudo & corripiemur.*
Claudian. in cons. Manlij.

*—peragit tranquilla potestas,*
*Et quod violenta nequit: mandata, fortius vrget*
*Imperiosa quies.*

Matt. 5.] *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.*

Et vnde maximi peccatores, quorum scelera iam montes superant, in extremo vitæ termino Deum respicere, & ad eum per pœnitentiam reuerti audent? Nonne ob memoriam gratiæ peccatoribus toties, tam multis, tam magnis exhibitæ?

Quod non puniuerit Adamum, de facto, vt fuerat comminatus; vitam donans ad pœnitentiam: quod promiserit redemptorem, & vindicem fraudis serpentinæ: quod ipsi quasi sartor post peccatum vestem fecerit: Quod mille post ipsum peccatores recepti sint ad gratiam: indulgentia tam plena, tam festinata, quā Dauid vno verbo, peccaui, obtinuit, quot peccatores ad pœnitentiam & spem adduxit?

Quod fœminam in adulterio deprehensam seruauerit, quæ iam Iudæorum quasi saxis lapidanda petebatur, quam multos animauit ad pœnitētiam, quam multos adduxit ad Christum? An non forte & Magdalena post vitam tam profligatam, hac ratione ad pedes Domini accurrit? Quod tam facile Magdalenam susceperit, & causam litemque eius, contra hospitem suum Simonem, cōtra Iudam architriclinum suum. *Ioan. 8.* *Luca 7.*

ſuum, contra Martham hoſpitam ſuam, boli creò fuerunt, & illectamenta, quibus Matthęus à telonio, Zachęus Princeps publicanorum, publicani omnes, & peccatores ad faciendam inuitati ſunt pœnitentiam: in quorum gratiam hæc, & aliæ duæ parabolæ cõtra Scribas & Phariſæos, à Chriſto propoſitæ ſunt. Ita indulgentem fuiſſe latroni, vt iuſta peccati ſupplicia ipſi verterentur in martyria, vt putat S. Hieronymus, ita ſuſcepiſſe in extremo conſtitutum ſpiritu, quomodo inuitauit, quomodo traxit, quomodo compulit peccatores ſpe ſimilis miſericordiæ?

D. Hieron. lib. 1. Ep. edit. Caniſ. Ep. 26.] *Chriſtus in Paradiſum de cruce latronem intulit. Et ne quis aliquando ſeram conuerſionem putaret, fecit homicidij* *pœna martyrium.

* *forte mel.* pœnam, mart.

Clementia eius ſæpe per ipſum publice proclamata: vt ibi, *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* & *Non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cælis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis.*

Facit vt pauci deſperarent, nulli deſperare poſſent. Vnde & miror Iudam poſt tanta benignitatis indicia, vnquam deſperaſſe. Fuit denique paternæ clementiæ memoria, quæ oportune Prodigo ingeſſit, *ſurgam & ibo ad patrem meum.* Hoc ſolum meminerat: diſcite parentes ſimilem dare ſubditis & filiis illecebram, ſi eorum deſideretis reditum poſt lapſum, ad declamationem. Alioquin affirmare auſim obſtinatos inuenietis in malitia, & pro eo quod dicerent, *Surgam & ibo ad patrem:* dicent potius ſurgam & fugiam tyrannum, vel etiam ſurgam & opponam me tyranno. *Omnis peccati conſummationem parit deſperatio*, dicit S. Bernardus.

*Lene fluit Nilus, ſed cunctis omnibus extat,*
*Vtilior, nullas confeſſus murmure vires.*

## II.

*Præclaram rem eſſe meditari conuerſionem, & cur dixerit: ſurgam & ibo ad patrem meum, &c.*

VIDETE

VIDETE hic sententiam nostri Prodigi. O quam præclarum est, serio semel apud se conuersionẽ statuere! O conclusionem insignẽ, ac tanto pulchriorem, quãto eam pauciores determinare possunt; pauciique qui ita apud se concludunt, quod concluserunt faciunt: plerique sero admodum, plerique deserti citius à peccatis, quam ea deserentes, sæpe *ætate*, & *satietate*; *ætate*, *ætate*, & *satietate* etiã *egestate*. Quamuis autem sententia hæc *surgam & ibo ad patrem*, & pœnitentiæ agendæ propositum non sufficiant ad salutem, laudabile tamen est, & vel sic statuisse aliquid apud Deum meretur. *Relinquere satius quam relinqui.*

Ouid. 3. de Ponto.

*Vt desint vires tamen est laudanda voluntas:*
*Hac ego contentos auguror esse Deos.*

Propert. lib. 2. Eleg. 10.

*In magnis & voluisse sat est.*

Non dico propositum pœnitendi satis esse ad iustificationem, & salutem; sed affirmare ausim, pœnitendi ac cõfitendi suo tempore propositum, multum peccata, cum fiũt, imminuere, quia cum minori obstinatione fiunt. Pro me doctissimus facit Nauarrus. Quid? nonne heroicum facinus est tãtam animo proponere metamorphosin, ex raptore fieri datorem, ex auaro liberalem, ex Thaide Lucretiam: *hæc mutatio dexteræ excelsi (qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Psal. 113.

Psal. 147.] *Emittet verbum suum & liquefaciet ea, flabit spiritus eius & fluent aquæ.*

Proponere à corde obstinato educere lachrymas, ac cogitare quæ maxime oderis amare omnia, quæ maxime ames odisse. In quem vsum philtra vetetes putabant necessaria, artesque magicas, & veneficia, vt res amatæ inducerentur in odium, exosæ in amorem. Meditari resuscitationem à morte, prouocare Pharaonem cum tota Ægypto, Diabolũ cum Angelis eius, propter iam ruptam animo societatem, & meditatum ad cõtrarias partes transfugium, (vndiq; enim inimicorum spiritualium turba circumcingimur.)

Cassia-

Cassianus collat. 2. c. 11. ] *Nec vnus est hostis, sed innumerabiles caterua aduersus singulos, &c.*

Virg. 6. Æneid.

*Quisq; suos patimur manes.*

Psal. 21.

*Exod.* *Circumdederunt me sicut apes*
*Nec numero nec viribus æquis.*

*Genes.* Cum enim populus Israel de sacrificiis vero Deo offerendis mussitare incipit, statim militem contra illos Pharao armat. Cum Iacob redire in terrā suam cogitat, Laban tergo eius imminet: cum Christum in deserto extra mundum quadragesimam suam fidelissime ieiunat, tentator iam hoc iam illo modo eum sollicitat. Quando populi seditionem machinari incipiunt, grauantur milite quasi ibi hyematuro, aut seruaturo præsidiū, extenuantur exactionibus, iuxta versum:

*Matth. 4.*

*Virg. 6. Æn.* *Parcere subiectis, & debellare superbos.*

*Lucan. lib. 1. phars.* Stipantur vndique omnigenis præsidiariis,

*Certatur totis concussi viribus orbis.*

Qui correctionem meditatur, omnes artes, omnes vires sentit Diaboli, aduocantis etiam in auxilium socios: *Adducet septem spiritus alios nequiores se: totas vertabit opum vi*, nimis putans indecorum vincere posse, ac nescire vti victoria, occupare posse, seruare nō posse; deuorare posse, continere non posse, sed cogi ad vomitum.

Sallust. in Iugurth. vox est Memnij Trib. Pl. *Maius dedecus est parta amittere, quam omnino non parauisse.*

Ouid. de Arte.

*Nec minor est virtus, quam quærere parta tueri:*
*Casus inest illic, hic erit artis opus.*
*Ergo, turpius eripitur, quam non apprēditur hostis.*

Heroicum igitur facinus est, hæc omnia animo præconcipere, & quasi vnicum prohibere ne integer exercitus, quo ferebatur appellat. Quanta autem est fiducia, meditari deditionem sine pactis, siue conditionibus, in manus eius quem scias te semper offendisse. Fuit reuera magna Crocatæ fiducia, Archipiratæ in

in Hispania, qui cum intellexisset 25. scutorũ millia ei promissa, qui caput eius adferret, ipse caput ium, sed cum ceruice attulit: sperans hanc lucrari ummam; sperans insuper ab Imperatoris clementia hoc tam pulchro stratagemate, præter pretium, inuenire gratiam, & seruare vitam, quod ita accidit. O magnam huius confidentiam, alterius clementiam!

Maior etiam fuit illa Themistoclis, qui à suis per ingratitudinem Athenis pulsus, sine pacto vllo, non tantum veniam, & refugium, sed & honestam à Xerxe rege ausus est sperare sustentationem, cuius antea hostis strauerat. Ita nihilominus exceptus est, vt suis aliquando dixerit *perieramus nisi periissemus.* Ac vobis expediit in hoc incidisse infortunium. *Plutarch. in Themist.*

*Vtilis interdum est ipsis iniuria passis.*

Hi conceptus reuera magnæ fiduciæ argumenta sunt; fiduciam tamen peccatoris, dicentis sine præuiis pactis inter se & Deum, *surgam & ibo ad patrem*, multo mihi videtur glorioſior & mirabilior. Hoccine videtur incredibile? Ecce ostendam: primum partes multum sunt differentes. Illi enim tradunt se hominibus (Reges enim non desinunt esse homines, *memento hominem Philippe.*) Peccatores autem se tradunt Deo.

Homo peccans in hominem, peccat finitè: peccãs in Deum infinitè. Homines quantumcunque magni, in aliquo subditis suis minores sunt: Deus omnibus hominibus infinite maior. Homines quantumcunq; magni, indigere possunt aliquando opera ipsorum, quos sibi vident prostratos, atque ideo cogunt bene merare miseros, ac supplices; Deus autem bonorum nostrorum non eget, non potest non esse semper beatissimus. Homines in corpora tantum & bona nostra possunt aliquid, nihil in animam, idque solum dum ita supereſt. Deus autem in bona, corpora, animas, & hac & in futura vita potestatem habet. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* *Matth. 10*

Insuper: quo quis inimicum suum potentia & magnitudine magis excellit, regnum suum securius possidet, minus alienis indigens auxiliis, imperij latioris ac amplioris, enormiter offensus, & minus ad veniam est obligatus, tanto est formidabilior qui offendit, & venit sine conuentione supplicans gratiam. Homo itaque statuens facere pœnitẽtiam tradere se Deo post infinitas offensas, post tam enormia & continua peccata, dici debet audere plus, quã homo tradẽs se homini, sibi simili; cuius regnum minus tutum, si tantum alij pro ipso agere cessent, aut contra ipsum agere incipiant; atque ideo sæpe cogitat dimittere offensam, dare veniam; partim Dei mãdato, partim naturæ cõmunis recordatione, partim fortunæ instabilis memoria, quæ facile sceptra & capita eripit, quæ concessit. *Homo qui in homine calamitoso est misericors, meminit sui*, ait Sapiens. *Publ.*

Quamuis autem peccator multum sperare possit, & fidere de Dei bonitate, sine prẽuiis cõuentionibus, se recipiendum in gratiam, in vim scilicet pactorum priorum, & conuentionum generalium; sicut reuera illud spem nostram plurimum erigit (neq; enim celsitudo ipsius ac summa maiestas, nec nostra exiguitas, nec peccatorum magnitudo, nec longa eorum continuatio, quicquam vere pœnitentibus apud Deũ nocent, qui magis offenditur desperatione veniæ, ac tali blasphemia. *Maior est iniquitas mea (quam vt veniã merear*, quam ipsis peccatis) tantæ nihilominus difficultates ex aduerso incurrunt, tum ex pœnitentia, tum ex antiquis quæ omitti oportet peccatis, tum et nouis quæ quærendæ sunt, virtutibus: vt facile credam animæ actum fortem esse, & heroicum, statuere apud se pœnitẽtiam, & dicere *surgam & ibo ad patrem*. Deus bonæ quæ ex parte pœnitentis difficultates? Primo communis inclinatio ad malum quam ad bonũ pronior. *Non quod volo bonum hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago Rom. 7.*

*Video legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, &c.* ibidem.

Vide

*Video meliora, proboq; deteriora sequor.*

Secundo habitus & consuetudo mala, quę iam naturam induit difficillime superatur.

Pub. Mim. *Grauissimum est imperium consuetudinis.*
*Naturam expellas furcâ tamen vsq; recurrit.*

Dein magna fatigatio ex longinquitate itineris, ex malæ vitæ labore, ex ebrietatibus, scortationibus, ac vitiis quæ omnes vires exhauriunt. (*Qui fornicatur in corpus suum peccat* : *Ambulabimus vias difficiles : lassati sumus in via iniquitatis.*)

*Euirant mentem, virumq; effœminant luxus omnes.*

Vnde difficulter pœnitens arduum & asperum virtutis collem ascendit.

Insuper verecundia in confessione, difficultas in satisfactione, restitutione, & insuper resistentia quam faciunt Antagonistæ infernales.

Risus denique, & obloquia mũdanorum, qui scrupulositatem, qui superstitionem, tam repentinas in bonum commutationes, & voluptatũ abdicationes, insectanter appellant; ac animum ita resolutum, non raro impediunt. Certe S. Cyprianus, S. Augustinus, hæc sibi plurimum obfuisse dicunt.

D. Cyprianus 2. lib. Ep. 2. ad Donatum. *Ego cum in tenebris atq; in nocte cæca iacerẽ, &c. vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durũ pro illis hinc moribus opinabar quod in salutẽ mihi diuina pollicebatur indulgentia, vt quis renasci denuo posset, vtq; in nouã vitã lauacro aquæ salutaris animatus quod prius fuerat exponeret, corporis licet compage, hominem ac mentem mutaret. Quin, impossibilis, aiebam, ista conuersio est vt repente ac perniciter exuatur, quod vel genuinum, situ materiæ naturalis obduruit, vel vsurpatum diu senio vetustatis indoluit. Alta hæc & profunda penitus radice sederunt. Quãdo parsimoniam discit, qui epularibus cœnis & largis dapibus assueuit : & qui pretiosâ veste conspicuus in auro atq; in purpurâ fulsit, ad plebeium se ac simplicem cultũ quando deponit? Fascibus ille oblectatus & honorib. esse priuatus & inglorius nõ potest. Hic stipatus clientũ cuneis, & frequẽtioris comitatu officiosi agminis honestatus, pœnã putat esse cũ*

*solus est, &c. Hæc egomet sæpe mecum &c. Desperatione meliorum, malis meis velut iam propriis ac vernaculis affluebam.*

Iucunda illa præteriti temporis & voluptatum recordatio, O Deus, quomodo hominem in plumis voluptatum detinet? quomodo affigit lecto? Blandè illa oris, ventris, & quæ sub ventrem sunt peccata, recogitata tantum, quam naui remoram, quas anchoras & catenas, profecturienti homini iniiciunt. Tot viarum impedimenta, tot labirynthorum anfractus clausum tenent, inextricatum, perplexum. Deuoratus hamus, obiecti obices, ferrata claustra, hominem vt Prometheum scopulo adligant.

*Peccata carnis miræ adhæsionis sunt*, inquiunt Theologi, accidentia quasi inseparabilia, ac facilius propè Cigno candorem, Æthiopi nigrorem, Pardo maculas, Herculi clauam extorqueas, quam peccatori pertinaciam. Omnia peccata, maxime gulę & carnis, cum voluptate iuncta sunt. *Libidines*, *libidines* sunt. Quis autem nescit naturale nobis esse voluptatis studium, tam corpori quam animæ?

*Trahit sua quemq; voluptas.*

*Scen. 1.* Terent. in And. Act. 1 ] *Ingenium est omnium hominum à labore proclive ad lubidinem.*

Atque ideo difficulter mores illos mutamus, qui voluptate & iucunditate comitati sunt.

Quantum autem ad nouellas virtutes, plus etiam inuenitur difficultatis difficilis ascensus, virtus in arduo, vitia in procliui sunt, habet prouerbium. Sicut igitur saxum ingens, vnico digito facile deorsum magno impetu detrudes, sursum autem vix multis machinis, ac sisiphio labore promoueas, & in iugo ac fastigio colloces: sic minima tentatio, minima recordatio facile hominem in antiquam peccatorum vallem deiicit, sed vt reducatur in altum, vt virtutes attingat, tendum, sudandum est.

Virg. 6. Æneid.

*—Facilis, facilisq; descensus Auerni.*
*Sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras.*

Hoc

*Hoc opus, hic labor est.*

Seneca in Hercule furente. Act. 2. ] *Non est ad astra mollis è terris via.*

Ecce cur veteres descensum ad Orcum dixerint facilem, quia clausis oculis illuc homines proruunt, saltant, currunt, nec de via rogant, iam stant ad ianuã & mirantur se venisse. *Ducãt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt.* Virtutes, etsi amatores suos teneant, atque ad æterna tandem gaudia deducant sine molestia tamen & angore non exercentur: quia corruptæ nostræ naturæ eas sentimus contrarias. *Diog. Laert. lib. 4. cap. 7*

Grauia certamina sunt quæ suscipit, quę sensualitati suæ bellum indicit: qui subtrahit quæ illa appetit, appetit quę illa horret, & vt res sacerrumas auersatur. Egregium igitur ac Heroicum opus est; dicere, volo me conuertere ad Dominum, id est, tantis me exponere difficultatibus, omnia deuorare. *Surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei, pater peccaui,* &c.

Præcessit Prodigus, tentemus sequi. Bonum initium est dicere solum, volo in posterum bene viuere.

# CONCIO XVIII.

*Graca.* 8. Ἀναστὰς πορεύσομαι πρὸς τὸν πατέρα μου, καὶ ἐρῶ αὐτῷ
*Vulgata.* 8. *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei.*
*Syriaca.* 8. *Surgam, proficiscar ad Patrem meum, & dicam ei.*

## ARGVMENTVM.

*Dicemus hodie.*
1. *Quomodo ista verba Prodigi, Surgam & vadam ad patrem meum: conueniant gentilibus.*
2. *Quomodo conueniant Publicanis tempore Christi, & generatim peccatoribus omnibus.*
3. *Quomodo optime quadret in Hugenottas. Quomodo Papa Romanus vere vniuersalis pater sit; cum bona precatione.*

## AVE.

### I.

*Quomodo ista verba Prodigi* Surgam & vadam ad patrem meum: *conueniant Gentilibus.*

CVM heri mõstrauerimus nostri Prodigi animositatem, quod statueret deserere Herum, & redire ad patrem, id est, incipere vellet suam pœnitentiam; verba ista *surgam*, & *ibo* paulo nobis pressius consideranda sunt; & quomodo optime gentilibus, & publicanis, & omnibus peccatoribus, maxime hæreticis cõueniant. Maldonatus in isto *surgam* notat Hebraismum, visitatum in inchoatione operum. Cum enim vacamus, fere desidemus. Vnde prouerbium, *sedere ad Eurotam*, pro nihil agere. Surgimus autem quãdo aliquid operis moliri incipimus. Allegat huc illud Psalmiste, *surge Deus & iudica terram*: & illud Deuteronomij, *surgant Dij vestri & opitulentur vobis.* Atque ita iuxta opinionem

*Deut. 32.*

ipsius,

sius, prioris loci sensus est, Domine incipe iudicare terram; posterioris, incipiant idola vos iuuare. Vt vantur suo, *surgere*, eo modo quo nos Latine *age*, *agedum*, *agite*, *age sis*: Galli *orsu*, *orsa*, & sæpe magis interiectiones exhortantis quam significatiua verba sunt. Atque ita videtur Maldonato adolescens sibi addidisse animum, ad adeundum patrem; & obfirmasse ad confessionem peccatorum. Maldonatus, dilectissimi, vir doctus docte scripsit; concedo etiam, & fateor libens nonnunquam Hebræos ita suo *surgere* vti: non tamen probo in hac parabola quærere aut scrutari hebraismos, (vt & alias respondi ad Maldonatum) Sanctus enim Lucas huius parabolæ author, græcus græcè scripsit, non hebraice suum Euangelium. Inconueniens autem tot intermiscere hebraismos sicut multum latinisare in lingua gallica. Similiter *sedere*, non magis otium significat, quam stare. Ita enim sæpe videmus latinos vti verbo *stare*, pro vacare ab opere; nihil agere, non procedere. Nunquam ne legistis *quid stas? quid cessas?* item, *quid hic statis tota die otiosi?* Portus, castra, receptacula militum, equorum, loca quietis, *stationes & stabula* appellantur, non *sedilia*. *Statio militaris: statio Philistinorum, &c. in qua ad tempus stant milites, Philistei, naues, concionatores, &c.* *Matth.10.*

Virg. lib. 2. Æneid. de Tenedo insula.

—*Statio mala fida carinis.*

*Naues enim etiam stare & stabulari dicuntur.*

Et maxime si hic admittamus hebraismum, iamquam occludimus infinitis pulcherrimis cõceptibus, qui ex vocabulo isto *surgam* lepidissime surgunt, si vt verbum, & non vt aduerbium, aut interiectionem hortantis interpretemur. Sine hebraismo, peccatoris status, tam ante quam post pœnitentiam, hic naturalissime depingitur. Patres denique veteres, & moderni, non vt hebraismum exponunt. Quæ omnia prohibent, quo minus cum Maldonato hebraisem, sed rotunde hæc intelligam. Dicamus igitur quid per *surgam*, &, *ibo ad patrem*, indicet noster

Prodigus. Vno verbo dicit se abdicare ignominiosum & fœdum illud seruitium, herum, porcos, remeare ad patrem, quidcunque tandem eueniat. Et per illud *surgam*, forte speciatim dicere voluit, primo mane, primo crepusculo, ante auroram, vel media nocte, se subito & clanculum abiturum, insalutato hospite. Sic enim fugitiui faciunt, & qui foro cedunt, ac ita multa hic pulchre insinuat. Primum loca vnde, & quo, *terminos à quo*, &, *ad quem*. Secundo quid facere velit, id est, deserere tyrannum, requirere patriam. *Surgam*, id est, discedam à Domino tam immiti, tam barbaro, & *ibo ad patrem meum humanissimum*. Tertio explicat modum *surgam*, & abibo, nocte concubia, furtim discedam.

Quarto causam cur id facturus sit, si malimus græcisare cum S. Luca, quam hebraisare cum Maldonato: græcus enim textus S. Lucæ significare potest, subtraham me hinc, & reuertar, ibo propter patrem, πρὸς τὸν πατέρα μου. Græcum enim πρὸς diuersa significat. Nonnunquam (ad) vel, *versus*, talem aut talem, & sic interpres noster vertit, *ibo ad patrem*, seu, versus patrem. Nõnunquam etiam significat, *propter*, talem aut talem causam, vt si quis dicat πρὸς χάριν πράττω, id est, ob vel propter gratiam facio: & sic πρὸς τὸν πατέρα μου esset idem ac si diceret, propter patrem, seu amore patris hinc confugiam in patriam. Conceptus nouus, sed non reiiciendus. Forte etiam melior; maxime si velimus Prodigum in pœnitentia non attritionem tantum, sed & contritionem habuisse. De quibus Deo iuuante tractabimus suo tempore, & hæc pro vero Prodigo, aut pro præsuppositio.

Sed pro Gentilibus, qui eisdem vti possint verbis, dicam vobis quid sentiam. Audite, si surgit qui iacet, aut sedet, volens aut compulsus, erigens se in pedes, aut sursum scandens, cum esset inferior: Gentiles per hoc *Surgam*, vel *sursum erigam*, vel *assurgam*; dicere voluit: se dimittere terrenas, ac infimas quas habebant scientias, quæ terram non transcendunt, ac inde animum iam se velle eleuare ad conditorem, & rerum cœlestium

cœlestium cõtemplationem, ac illuc affectus dirige-
re, quo recto corporis situ deducuntur. *Quæ sursum* Coloss. 3.
*sunt sapite non quæ super terram, quæ sursum sunt quærite*
*vbi Christus est in dexterâ Dei sedens.*

Ouid. lib. 1. Fastorum.

*Fœlices animæ, quibus hæc cognoscere primis,*
*Inq; domos superas scandere cura fuit.*
*Credibile est, illos pariter vitiisq; iocisq;*
*Altius humanis exseruisse caput.* & paulo post,
*Admouere oculis distantia sidera nostris,*
*Atheraq; ingenio supposuere suo.*

Psal.] *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum*
*transiuit in terra.*

Magnus ascensus à terra ad cœlum, à creaturis ad creatorem, surgam, dimittam pedagogos istos, Lycæum, Academiam Platonis, (dicit quilibet ipsorum) Stoicam Zenonis porticum, fragrantes Epicuri hortos, omnesque quas Philosophi ibi habuere scolas, templa etiam, tripodas, oracula? & *ibo ad patrem*, ac fiam humilis Christi discipulus, & Ecclesiæ filius: cœpit hic deliberare de Christianismo, ac fieri catechumenus, inquit magister noster Michael Baius. Tale quid sanctus egit Clemens, vt de se testatur, qui omnem lustrans humanam Philosophiam, nec ibi inueniens requiẽ (*Accedet homo ad cor altum & exaltabitur Deus*) quæsiuit de die in diem, vbi scientiam inuenire posset meliorem, & accessit Christianos, quos videbat operari miracula, inter se seruare charitatem, ac illatione ad ipsorum partes se recepit. Talis S. Iustinus martyr, talis S. Augustinus, ac alij centum. Illud ipsis fuit, *assurgere*, à Philosophia ad Theologiam, à Paganismo ad Christianismum ascendere. Omnis enim Philosophia, sicut & reliquæ scientiæ mundanæ, famulæ Theologiæ sunt, ac reliquæ etiam augustissimæ religiones, vel potius superstitiones, cum Christianismi maiestate comparatæ, nihil sunt. Philosophia humano ingenio ab hominibus addiscitur. Vera autem Theologia, & Christianismus, non ab homi-

*Mich. Baius Doct. Louan. in M. S. Clem. lib. Recogn. Psal. 63.*

nibus tanquam inuentoribus docetur, sed à Deo, & filio eius Iesu Christo, Deo & homine: vel ab hominibus tanquam ministris & interpretibus. Quamuis enim Deus immediate erudiat, vel homines, vel Angeli, tanquam interpretes in nomine Domini, *Pro Christo enim legatione fungimur*, auditores tamen, aut lectores, nihil concipient, nihil intelligent, cæciores talpis, nisi Deus intellectum illuminet humanum, luce quadam & supernaturali gratia, quo ad intelligendum habilitetur. *In lumine tuo videbimus lumen. Qui habet clauem Dauid aperit, & nemo claudit, &c. Quomodo possum intelligere Isaiam, si non aliquis ostenderit mihi?*

*Psalm.*
*Apoc.3.*
*Actor.3.*

Dicebat Eunuchus Reginæ Æthiopiæ, Philippo ex Septẽuiris ab Apostolis institutis: quod enim scolæ tantum triuiales ac alphabeticæ sunt, comparatæ philosophicis, medicis, iuridicis, &c. Hoc, imo & multo minus, omnia sunt philosophica, & humana studia, cum Theologia comparata. Quomodocũq; eas consideres, siue ex parte magistrorum & inuẽtorum, Theologia enim solum Deum agnoscit authorẽ, Philosophia homines, aut spiritus, forte tam bonos quam malos; *mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me patris*, dicebat Dominus noster, de sua Theologia. Siue materiam spectes, & obiectum. Philosophia enim de rebus agit creatis, & pro maiori parte visibilibus ac sensibilibus; Theologia etiam de inuisibilibus, ac ipso Deo, horum & illorum creatore. Siue finem & effectus: Philosophia enim corpus tantum format, moresque ornat, & animam moraliter in hac vita, non tamen vlterius perducit: Theologia in hac vita animam format, ac bene effformatos in æternam vitam transponit. *Notas mihi fecisti viam vitæ (vitæ veræ) nam ista quæ videtur, mors est potius dicenda, quam vita.*

*D. Greg. hom.37. in in Euang.*

*Surgam*, igitur dicere est, Christianus fiam. Aliter *surgam*? id est, dimittam auguria & diuinationes: nam illæ descripto in cœlo templo, à sedentibus obseruabantur: quid aues garrirent, quid motu præsignarent?

ent? *& ibo ad patrem.* Ad Deum meum, illum scilicet qui sancta & iusta voluntate, omnia moderatur. Magnus ille Deus adeone insipiens est, vt auiculis potius secreta sua quam hominibus fidat? *ab auibus ibo ad patrem.* Item *surgam* ex hac cathedra pestilentiæ, ex qua pernicioſam docui idololatriam, aut cum Epicuro in voluptate summum esse bonum, aut vitia speciosis virtutum depinxi nominibus, virtutes contra nominibus vitiorum: superbiam & arrogantiam, magnanimitatem dixi ac fortitudinem, superstitionem religionem, iactantias & vanitates honestatem & curam status; & contra humilitatem dixi ignauiam, temperantiam scrupulositatem, &c. Surgam igitur ex hac cathedra, dimittam professionem tam impostoriam, & ibo ad patrem, ad scolas Christi ad Ecclesiam, vt ibi discipulus fiam ac Catechumenus. Incipiã fieri ex mundi magistro (doctrinę scilicet pestilentis, doctori noxię & auditori) scolaris cœli, & discam doctrinam salutis, *Psal. 1.* *scientiam Sanctorum.* Meum *α* & *ω*. *Beatus vir qui in cathedra pestilentiæ non sedet.* Hoc certe melius, quam facere quod Plato, qui postquam multa cum laude Athenis professus est, in Ægyptum se contulit, atque eam Italiæ partem, quam olim magnam appellarunt Græciam, inquirens Archytam Tarentinum, vt eius fieret discipulus.

D. Hieron. Ep. ad Paulinũ de omnib. diu. hist. libb.] *Plato Ægyptum & Architam Tarentinum, eamq; oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laboriosissime peragrauit, vt qui Athenis magister erat & potens, cuiusq; doctrinam Academia gymnasia personabant fieret, peregrinus atq; discipulus, malens aliena verecundè discere, quam sua impudenter ingerere.*

Aliter *surgam*, id est, erigam me ex lutosa fœtidaque hac valle, ac peccatorum profundo, quo me partim sensualitas, partim Diabolus, partim patriæ malæque consuetudines præcipitarunt, & publica ac priuata exempla, partim etiam liberum meum arbitrium illuc aut me attraxit, aut recidere permisit,

*Surgam,*

*Surgam, surgã*, abstinebo à malis verbis, dictis, factis, ab institutis patriis, à superstitione vtique accepta à maioribus, & ibo ad patrem. Accedam ad Deum non fide tantum, sed & affectu & charitate, & melioris vitæ instituto: accedam ad Deum, & Christum, morum similitudine, quantum possibile erit, & Christi vitam pro vitibus meis exprimam.

D. Augustinus tract. 40. in Ioan. circa initium.] *Accedere est credere: qui credit, accedit: qui negat, recedit. Non mouetur anima pedibus, sed affectionibus.*

Accedam ad Deum & Christum, *ibo ad patrem*, patrem per similitudinem. Dicimus enim etiam elegan-
*Cic. in Brut.* ter Latine *Accedere hoc ad illud pro simile, & æquale esse illi, & cum datiuo (vt apud Cic.) Antonio Philippus proxime accedebat.* Sic dicimus, imago Veronicæ optime ad Christum accedit, Tabula S. Lucæ optime accedit ad B. Virginem, vel vita S. Iohannis Baptistæ accedit Eliæ, aut vita S. Pauli & S. Francisci accedit ad vitam Christi, id est, ita eam refert, vt vnam videns alte-
*Terent. in prolo. Andr.* ram quasi in ista conspiciat. *Qui vtramuis recte nouerit, ambas nouerit: non ita dissimili sunt argumento.*

*Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus,*
*Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.*

Propter hunc accessum & similitudinem, olim Deo creati sumus. *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem*, i. vt Deum repręsentaremus actionibus nostris quasi lineamentis. Et reuera si S. Ambrosius aliique recte dixerint, regionem illam longin-
*Vide harum Conc. part. 1.* quam, quo Prodigus à patre recesserat, *Regionem dissimilitudinis*, difformitatem scilicet vię: errare non possumus appellantes eius reditum ad patrem, *conformitatem vitæ*, & imitationem paternæ perfectionis.

Rom. 8.] *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.*

O glorioſam deliberationem, dicere, *ibo ad patrem, accedam ad Deum, ad Christum.* Vitam eius in me studebo transformare, fiam Iesuita in verbis, Iesuita in victu, Iesuita in incessu, Iesuita in habitu, Iesuita dormiens, Iesuita vigilans, breuiter Iesuita in omnibus.

*Similis*

*Similis ero altissimo.* Sed eheu quam longe ab hoc propposito imitandi Christum absumus; cum tamen in ea tota nostra deberet esse vita; imitatio Christi in omnibus scripturis est, in libris, vel Gersonis, vel Kempis, in imaginibus etiam pulchre apud nos delineata: nulla tamen pars in vitæ ac morum similitudiue. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Nam nunc quidem non tam accedimus quam recedimus, loco similitudinis Dei & Christi, quæ in singulis nostrum unquam in claro speculo deberet elucere, sicut in primitiua Ecclesia, vbi quam primum quis Christianum conspexisset, dicere poterat, se paruum videre Deum, aut paruum Christum; vt olim Cyneas, tot videbatur Romæ sibi videre Reges, quot Senatores. (*Quotq; aderant vates, rebar adesse Deos.*) Nos similitudinem gerimus Satanæ, & Mahumetis, & nihil pene sumus aliud quam baptisati Turcæ, adeo Satanicè adeo Turcicè proh dolor viuimus. *Mutauerũt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.*

*Plutarch. tom. 2. vit. in Pyrrho.*
*Ouid.*

## II.

### *Quomodo conueniant publicanis tempore Christi, & generatim peccatoribus omnibus.*

PRo publicanis nostris, *surgam*, optime exprimit priorem statum, & nouum propositũ S. Matthæi, ac similium hominum. Officium enim ipsius erat admodum sedentarium. Publicani enim & Telonarij fere sedebant ad portas vrbium, ad portus, ad telonium, aut in medio ciuitatis, & vicis, vt reciperent vel merces in specie, vel tributa pro iis pecuniaria, iuxta Romanorum Imperatorum beneplacita. Quamuis famulos haberent verisimiliter qui explorabant, obseruabant, auriti vt Midæ, quis intraret, quis exiret, quid efferretur, quid inferretur: ne quis euaderet nisi relicta domino ipsorum aut penna, aut alarita res geruntur in mundo. Qui S. Matthæum ac similes mane quærit, eat ad Telonium, ibi proculdubio sedentem inueniet:

inueniet: qui eum ſub prandio, poſt prandium, ſeraue quærit veſpera, adeat telonium ipſius, ibi procul dubio inueniet ſedentem, verſantem argentum, computantem iterum & iterum, data & accepta aſſidente notario à dextris, & ſiniſtris: ſic ſemper inuenitur ſedens quaſi compeditus & clauatus in ſede, vt ſtatua quædam Minois, alteriuſque in throno Iudicis, in aula iudiciaria. Vita dominorum iſtorum qui auro ſtudent, non minus ſedentaria eſt, quam noſtra, qui ſtudemus litteris. Sed nos* *diuitiùs meliora* quærimus. Talis igitur rerum ipſius erat ſtatus, ac proinde cum eum mutare vult, optime dicit, *ſurgam*; non ſedebo vltra in telonio, tam odioſo, tam ſollicito, tam periculoſo; odioſo dico plebi & mercatoribus: non enim vident libenter luſtrari, inſpici, inuerti, decimari merces ſuas. Sollicito dico, Publicanis: illi enim nihil ſine decimis dimittere volũt, vt Regiis rationibus, & priuatis rebus, & ſeruis omnia ſubminiſtrent: & mercatores nonnunquam contra laborant, occultare, celare, mentiri, fraudare, non minus quam illi perſcrutari, & deplumare; coriphei aduigilant, vt eos deferant, vt male multentur, ſi non ſatis rebus attendant. Periculoſo dico animabus: difficile enim eſt aut Cæſari aut mercatoribus non facere iniuriam, exceſſu vel defectu, nimium aut nimis parum poſtulãdo, pro male ſubductis calculationibus.

*Fuit hoc l. Richij mei in Italiam nuper comitis commodiſſimi, characteriſticõ.*

Difficillimum eſt duobus ſeruire Dominis, Deo & & Mammonæ, terrę ſimul & cęli quærere dominum, recte curare animam, & corpus non negligere, nec mundum, *Vno credis equo poſſe ſedere duos?*

*Surgam* igitur, dimittam ſedem, & omnia hæc; Oceanum curarum. *Ibo ad patrem*, ſequar Chriſtum, illum auſcultabo, ſub ipſo, cum ipſo, poſthac cogitabo de ſalute, ſpem meam in ipſum collocabo, ſedebo ad pedes eius bonus auditor, ſicut ante ſedi ad loculos magnus exactor.

*Surgam*, id eſt, abiiciam magnas terrenarum rerum ſolicitudines, *ibo ad patrem*, nihil amaturus niſi Deum, nihil cogitaturus niſi cœleſtia.

*Surgam*,

*Surgam*, dimittam legis Mosaicæ obscuritatem, & *ibo ad patrem*, ad Christum Iesum, vt in luce eius exultem, & videam radios fulgidos solis Euangelij ipsius, *Nox recessit, dies autem appropinquauit.* Dies est *surgam.*

*Surgam*, exiliam de lecto, & litteræ cauernis, & *ibo ad patrem*, ad Christum, qui verum mihi ostendet spiritum & sensum, medullam & corculum eius: confringo spicas intra manus, & excussis paleis, delitescentes intus me pascet frumento.

*Littera non prodest quicquam, spiritus est qui viuificat.*

D. Hieron.] *Non enim putemus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed sensu.*

*Non in superficie, sed in medulla est pastus animorum.*

*Non in sermonum foliis, sed in radice rationis.*

Est arborum rodere cortices, litteram tantum intelligere, & verba, non quod per illa significatur: in posterum viuere volo ipsa suauissima medulla, quam mihi inde eliciet magnus ille magister Iesus Christus Nazarenus. Dimittam ex nũc Scribas inflatos, qui siliquis me pascunt, nec tantum quidem dant, quantũ opto, ex parte tantum instituunt: ibo ad verum doctorem Iesum, qui solide me reficiet, & liberaliter, panibus verę intelligentiæ, mysteriorum legis Mosaicæ, & insuper nouam suam addet doctrinam.

*Surgam*, ex illa cordis abiectione, in qua Scribæ & Pharisæi me detinent, vt sufficiat mihi ipsis esse similem, & per hypocrisin apparere quod nõ sum, non apparere quod sum. Ibo ad patrem, ad Christum, qui omnem hãc fictionem damnat & docet magis esse bonum, quam videri: qui non habet in ore, multo minus in opere Pharisaicum istud, *si nõ castè, saltem cautè. Sed & castè & cautè. Sic clam vt palam; & fama est & erat.* Castè pro ipso opere, cautè vt omnis etiam mali species, malæque suspicionis materia tollatur: sic intra parietes vt in foro, respondere famæ, nec aliud dici aliud esse. Bonus enim ille pater, tam longe à simulationibus

lationibus & Phariſaica hypocriſi abeſt, qui bona opera ſua tuba buccinant, *facta & infecta*, vt Deum etiam orari velit clauſis ianuis & ita dari dextra elemoſinam, vt ſiniſtra ignoret, & pauperem neſciat.

*Surgam*, ceſſabo deuorare miſeros. *Comederunt Iacob: & ibo ad patrem*, reſtituens quæ fraudaui, & vltro donans dimidium bonorum meorum pauperibus, vt Zacheus, aut dans pauperibus quicquid habeo, vt perfecti fecerunt, & Apoſtoli: aut feram ad pedes Apoſtolorum, vt inde in communi viuatur, vt primi Hieroſolymis Chriſtiani, & multo ante illos Pythagorici.

*Equi Diomedæ quid. Aut Zachæus prior conuerſus quari poſſet.*

Luc. 19.] *Domine dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quem fraudaui, reddo quadruplum.*

Matth. 19.] *Si vis perfectus eſſe, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me.*

Actor. 2.] *Omnes qui credebant, erant pariter & habebant omnia communia, poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant & diuidebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat.*

Actor. 4.] *Gratia magna erat in omnibus illis: neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Diuidebatur autem ſingulis prout cuique opus erat.*

A. Gell. lib 1. noct. Att. c. 9.] *Sed id quoq; non prætereundum eſt, quod omnes ſimul qui à Pythagora in cohortem illam diſciplinarum recepti erant, quod quiſq; familiæ pecuniæq; habebant, in medium dabant. Et coibatur ſocietas inſeparabilis, tanquam illud fuerit antiquum conſortium quod in re atq; * verbo Romano appellabatur Κοινόβιον.*

*Aul. Gell. in fine de Cœnobio Pythag.*

* *Recurre ad ſcholia huius loci.*

Sed de publicanis dictum ſatis. Videamus an poſſimus etiam accommodare peccatoribus in genere.

*Surgam* igitur dicet quilibet eorum. *Surgam*: iacebas igitur, ac dormiebas? imo vero, dilectiſſimi, iacet peccatores, & altum ſtertunt, *Exurge qui dormis & illuminabit te Chriſtus.*

*Epheſ. 5.*

Hora

*Hora est nos iam de somno surgere.*

Matth. 9.] *Puella surge.*

Luc. 7.] *Adolescens tibi dico surge.*

Iacebant dico soporati, somno plane lethargico, simillimo morti.

*Surgam.* Ceciderasigitur, eraſque lapsus? Imo vero, peccata enim relapsus sunt ex gratia in iram, & Dei indignationem; ex gloria in pœnam, ex cœlo in infernum. Cadimus sæpe, Diabolus & mundus sępe nos impellunt, *Septies in die cadit iustus. Lapsus Adæ, casus Iudicimus.*

*Surgam*, ergo iacebas extentus, etsi forte non dormires? imo, dilectissimi, *peccatorum iacere, iustorum stare*, ait S. Hieronymus. S. Hieron. ad Damasum.

*Qui stat videat ne cadat.* Demersi enim sunt in fœces vsque ad aures. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia: veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Alij illuc seipsos præcipitarunt, alij tempestate illuc iactati sunt, persecutionum scilicet, & tentationum violentia.

*Surgam de ruina peccati*, inquit Theophilactus; *excutere de puluere, surge, &c.* inquit Propheta. *Va va tenebris meis, in quibus aliquando iacui*, inquit Augustinus, in Meditationib. Porrecti sunt in cœno ac cloaca, ob culpæ fœtorem: inter spinas, propter remorsus conscientiæ: inter plumas & rosas, propter voluptates peccato admistas. Isaiæ 52.

*Mollibus in plumis Caius ecce iacet.*

*Surgam* igitur, per pœnitentiam, dimittam sordes, materiam remorsuum, voluptates meas amarodulces, procul procul, sursum sursum ex tam longa accubatione, ex tam malo situ.

*Surgo sedens, exurgo iacens, à morte resurgo.*

*Surgam*, expediam, exiliam ex his calamitatibus, labo operam vt in posterum mihi sit melius, reuera enim miserrimum est peccatis esse obnoxium: nihilque arbitror posse venire peius, quam esse in peccato. Etiamsi infernus magnum malum est, hoc tamē habet boni, quod ad normam iustitiæ peccata castiget,

& distorta emendet. Si Diabolus malus est, est per accidens: nam natura bonus est. Deus enim fecit ipsum, *& vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* *Genes. 1.*

D. Augustin. lib. 19. ciuit. c. 13.] *Diaboli natura in quantum natura est, mala non est.*

Peccatum autem ex nulla parte bonum est: testatur hoc Deus, quia authorem Luciferi, creatorem inferni, dici se finit: parasse igne m Diabolo, & Angelis eius. Catholice tamen dici non potest habere peccatum, aut author esse peccati, quod mali committunt homines, aut Angeli. *Sine ipso factum est nihil. hoc est peccatum*, inquit Augustinus. Testimonio etiam est, quod Deus venerit in carne vt peccata & Diaboli opera destrueret, non vt infernum ipsumque Diabolum. *D. August. lib. Confess.*

Iohannis tertio.] *In hoc apparuit filius Dei vt soluat opera Diaboli.* Surgam igitur ex calamitosissima peccati sorte.

*Surgam*, faciam me rectum ex distorto, & turpitudinem quam ex tortuositate contraxi, per rectitudinem naturæ & gratiæ emendabo. Abolebo difformitatem, qua me in varias formas, vt Protheum aliquē, defiguraui à prima figura. Ita d ffictus, ita variegatus, tot adulterinis coloribus, quot maculatus peccatis. Hanc exterminabo difformitatem, *& ibo ad patrem*, ibi mutabor in pulchritudinem pristinam, factus rectus, & iustus; factus perfectus sicut pater meus cœlestis. *Ibo ad patrem*, accedam ad Deum, vt ibi ad perpendiculum & libellam dirigar.

Peccator igitur distortus est, deformatus est, curuus, flexuosus? imo vero dilectissimi, probi vt linea recti sunt, non flexi, non curui, non declinantes ad dexteram vel sinistram. *Creauit Deus hominem rectum* dicitur de Adam, ac Iob, ac similes dicuntur recti.

Iob 1.] *Erat vir in terra Hus nomine Iob & erat vir ille simplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo.*

Iob 4.] *Quando recti deleti sunt?* Psal.

Psal. 24.] *Innocentes ac recti adhæserunt mihi.*

Psal 111.] *Generatio rectorum benedicetur.*

Cant 1.] *Recti diligunt te.* Recti sumus, cum iustificata est anima nostra ad perpendiculum mandatorũ Dei, sicut paries dicitur rectus, quando ad libellam fabri æquatur. *Ad omnia mandata tua dirigebar.* Distorti vero sumus cum præuaricamur. Natiuum viumque seruamus colorem, quando Deo & Christo conformiter viuimus, & quam diu imago eius & vium sumus exemplum, per mores bonos; deflexi, incurui sumus, cum aliud quam præcepit facimus. Et sicut nomina recta appellantur, quãdo in primo suo manent casu; inflexa, quando declinantur, induuntq; casum genitiui, datiui, aut alium (quod trium dierum Grammatici callẽt ad vnguem) sic recti, iusti probiq; dicuntur homines, quam diu manent tales, quales à Deo creati sunt, aut per baptismi gratiam fuerunt reformati: torti autem sunt ac deformati, quãdo ab ista forma declinant, & in peccata diuersa incidunt. Sumus in recto, & bene viuimus sub Dei lege, ac Ecclesiæ, vt & noster Prodigus, quamdiu patri obediens mansit in ædibus. Sed plane curui, & obliqui incedimus, quam primum à Deo & Ecclesia declinamus: sicut hic Prodigus, ex paterna domo egressus.

Primo, genitiuus, aut peccatum carnis nos egregie curuat, & defigurat, tam corpore quam animo, *qui fornicatur, in corpus suum peccat.*

*O curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes!*

Dein Datiuus, prodigalitatis in cõuiuia, in vestes, in pompas. Fomites ac nutrimenta genitiui (*sine Cerere & Baccho friget Venus. Augusto Cæsaris sensu, vestium pompa, nidus luxuriæ.* *Sueto in Augusto.*

In adulatores, in parasitos, in scorta, in meretrices, in ædificia, &c.

Rectitudo & pulchritudo Prodigi plurimum per genitiuum, & datiuum, corruptæ sunt. *Dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose.*

Tertio: quãdo quis diffamatũ se videt, maxime rumoribus genitiui, statim deformat se viterius, lapsus in

Accusatiuum, id est, accusare incipit meretrices, quasi infecerint & attraxerint ipsum, vt Eua Adamum: iam veneficia, iam mala accusantur cõsortia, iam parentum indulgentia, quasi quæ debebant non castigauerint, quasi libertatis nimium indulserint, media subministrarint; imo cœlum aliquando accusatur, blasphematur Deus, quasi ad hoc vel illud vitium nimium inclinauerit. Sicut Adam dicens, *mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi.*

Non tangit tamen Accusatiuum meliorem, accusatorem sui; *Iustus in principio sermonis accusator ipse sui.*

*Terent. in Adelph. Act. 2. Scen. 1 Leno sum fateor, pernicies communis adolescentium: Periurus, pestis.*

Hinc non sufficit ipsi ita esse deformatum, sed locietatem quærit, vt egregie suam saltem tragœdiam, & sic labitur in Vocatiuum, id est, inuitat & aliorsum eadem peccata, hortatur exemplis, scandalo: quales sunt lenones, & lenæ, dicẽtes. *Venite fruamur bonis quæ sunt in iuuentute celeriter, antequam nos præcedat finis temporis. Venite insidiemur sanguini.*

*Venite mittamus lignum in panem eius.* inficiamus & illum.

Psal. 82.] *Venite & disperdamus eum de gente, & non memoretur nomen Israel vltra.*

Genes 11.] *Venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum.*

Muniamus nos & roboremus contra Principem, clamemus, flagitemus stipendia, excitemus munimenta, opprimamus hos illos, vt nobis seruiant ad arbitrium.

Exodi primo.] *Ecce populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est. Venite sapienter opprimamus eum ne forte multiplicetur: & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra.*

Gen. 37.] *Ecce somniator venit, venite occidamus eum & mittamus in cisternam veterem, dicamusque fera pessima deuorauit eum.*

O quam tortuosi instar serpentum sunt homines, quam declinati per istum vocatiuum, per corruptelam

am malorum consiliariorum, per mala exempla, & quam multos non minus quam seipsos corpore & anima deformant. O quot lapides molares essent necessarij, vt ligati ex collo scandalosorum, cum illis merentur in profundum maris rubri, & torrentem ignis. Ah dilectissimi, nonne satis & plus satis est. incuruasse, deflexisse, defigurasse nos ipsos? Si igitur aliquando accidat aut infortunio, aut malitia (quod prohibeat Deus) vt cadamus; caueamus saltem insuper infœlici vocatiuo inuitare ac impellere alios, ac in eandem trudere malitiam. Notate lenones & lenæ, ac productrices & conciliatrices spurcitiæ, ipsisne damnatis vultis fieri peiores. Epulo nunquid reuiuiscere desiderabat, vt moneret fratres, caueren sibi à peccatis, & incendiis: & nos alios in flammas, & peccata nobiscum pertrahimus? Apage procul cum isto vocatiuo, & meliorem substituamus in locum, quo ad bene viuendum vocentur. Dicamus alter alteri.

Isaię. 2.] *Venite, & ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas.*

Eamus ad Ecclesiam, ad concionem, ibi cognoscamus semitam Domini.

Psal. 94.] *Venite, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos.*

Psal. 94.] *Venite, exultemus Domino, præoccupemus faciem eius in confessione tam laudum quam peccatorum.*

Psal. 33.] *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos.*

Psal. 45.] *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad finem terræ.*

Factum hoc in nostris regionibus, ablata sunt bella Gallica, Flandrica, Hollandica, opera tanto magis prodigiosa, quanto per viliora facta sunt instrumenta, per abiectissimos S. Francisci filios. Videte quibus vti debeamus vocatiuis, loco pessimi illius, quo alij in mala nostra conuocantur.

Donet Deus optimus ne multi contra faciant, ac

tandem per Ablatiuum etiam inflectantur; vbi scilicet sua decoxerint, ac prodegerint, aliena rapiant. Raptor qui sua abligurriuit, ad aliena respicit, & à singulari numero, vel ad Græcum dualem, vel ad Latinum pluralem delabitur, id est, peccata peccati vt arenam cumulat, stellasque cœli innumerabiles.

*Surgam* igitur, inquit, dirigam totum, rectumque faciam, quicquid obliquum, quicquid curuum est in vita. *Surgam* ex infimarum rerum amore, à creaturis & *ibo ad patrem*, amorem & affectum in cœlum, in æterna, in Deum transferam.

*Surgam detestando terrena, & appetendo cœlestia*, inquit S. Antonius noster de Padua. *Surgam*, deseram peccata vt inchoem iustitiam, & *ibo ad patrem*, vt fiam perfectus. *Surgam & ibo* nō complicatis manibus, nihil agens, non subsistam otiosus, ratus stolide satis esse non peccare: non stabo, sed *ibo ad patrem* affectu & effectu, bonis scilicet operibus. Sicut Deus non deseritur corporis pedibus, non curru, non equo, non alis, sed mala voluntate & sceleratis operibus: sic rursus ad eum acceditur bono affectu, intima deuotione, & operibus virtutum.

D. Augustin. tract. 48. in Ioan.] *Non mouetur anima pedibus, sed affectibus. Ibo ad patrem.*

Fidei & amoris pedibus; credens in eum, & amans, quantum potero. Ibo per pœnitentiæ opera, per contritionem, & displicentiam peccati, per confessionē, per satisfactionem eiusdem: bonus mihi affectus, ardens deuotio, & quæ inde surgunt opera, mihi gressus erunt, currus, nauis equus, alæ quibus ad patrem inuehar. Omnia hæc mihi quadrigæ igneæ Heliæ fient, erunt mihi scala Iacob qua ascendam. Oratores magni nonnunquam à proposito artificiosè digrediuntur, & redeunt quando reuertuntur ad institutū. Ego vero peccator miser, tantum à bene viuendi proposito aberraui, non vt illi cum laude, sed cum infamia: nescio quibus anfractibus, quibus flexibus digressus à salutis scopo mihi proposito, nescio qua viuendi

ratione:

ationē: iam autem in primum recurram finem, ad primum salutis propositum, *ibo ad patrem*, ad Deum meum. Quo possum melius: omnia enim naturaliter ad suum currunt principium, ad locum proprium, ad centrum. *Ad locum vnde flumina exeunt reuertuntur, vt iterum fluant.* Sol per antipodas circulum suum decurrens, iterum ad Orientem reuertitur. *Oritur Sol & occidit, & ad locum suum reuertitur: ibi renascens, gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans vniuersa circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.* Pisces suspirant ad aquas, talpæ ad terram, noster ignis sursum fertur ad elementarem, lapis contra ex diametro ad centrum.

*Arist. phys.*

*Eccles. 1.*

Omnia libenter ad terminum & finem, cuius gratia sunt, tendunt. Materia formam appetit, propter quam est, fœmina virum tanquam creationis suæ principium *& ad virum conuersio tua.* Deus autē principium nostrum est, per creationem, *ipsius enim genus sumus.* Deus forma nostra est & prototypon, *creauit Deus hominem ad imaginem suam*, vt eam repræsentet, moribus, innocentia, iustitia.

*Genes. 1.*

*Augustin. lib. 1. Confess. c. 1.*

Deus finis noster est: nam per ipsum & propter ipsum sunt omnia. *Fecisti nos Domine ad te*, dicit S. Augustinus. Quicquid igitur hic infra videmus, quicquid miramur, nullibi subsistendum, procedendum vlterius, ac dicēdum cum Carolo Quinto *Plus outre*: donec tandem ad Deum, qui finis noster est, pertingamus. *Surgam, & ibo ad patrem.*

Plato 1. de leg.] *Naturale est homini, vt ad originem suam semper anhelet.*

D. Tho. 2. 2. q. 175. art. 1. ad 2.] *Ad modum & dignitatem hominis pertinet, quod ad diuina eleuetur, ex hoc ipso quod homo factus est ad imaginem Dei.*

D. Augustin. lib. 1. conf. c. 1.] *Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

*Surgam & ibo ad patrem.* Procedam vlterius, ascendam semper. Nonne vt nos eodem surgere faciat, ac excitet, vbi Deus residet, qui corpus nobis dedit pyramidale, erectum in cœlum, vnde Græce Ἀνάστασις, i.

*Lactant. lib. 2. Inst. c. 1.* respicientes in altum appellamur; in quorum corpore tãquam in optimo receptaculo, Prometheus igniculos & flammas diuinas, id est, animas, inclusit; quæ semper cœlum repetunt, in alta, sicut ignis, recurrunt?

Nonne ideo etiam, magnum illud cœli expansum adeo variegatum est, tentorium tam belle compactum, tot aureis clauis, tot exornatum Pauonum oculis, tam pulchro ordine ac discursu, vt ibi harmonia sit maior quam Orlandina, mirabilior quam in terra? Quorsum hæc? nisi vt suspiceremus cœlum, & illuc dirigeremus corda, vt diceremus, faceremus, quod fecit Prodigus *Surgam, & ibo ad Patrem: surgam,* *Exod. 3.* *& videbo visionem hanc magnam*: vt nostra conuersa- *Philip. 3.* tio in cœlis sit. Interim ô dedecus! semper nasum terræ mergimus. *O curuæ in terras animæ, & cælestium inanes.*

Nunquam dicimus, *surgam & ibo ad patrem*: minus etiam ad eum euolamus, qui tot funiculis, & ipsa figuræ nostræ specie, in altum nos trahit. *Oculos suos statuerunt declinare in terram.*

Lactant. lib. 2. instit. c. 1.] *Est autem prauissimum cum ratio corporis recta sit, quod est temporale: ipsum vero animum, qui est æternus, humilem fieri: cum figura & statu nihil aliud significent, nisi mentem hominis eo spectare oportere, quo vultum: & animum tam rectum esse debere, quam corpus, ne id cui dominari debet, imitetur.*

Idem lib. 3. instit. c. 9.] *Non ideo nascimur, vt ea quæ sunt facta videamus, sed vt omnium rerum factorem contemplemur, id est, mente cernamus.*

Aristot. 10. Ethic. contra Simonidem.] *Homo debet se ad diuina & immortalia trahere, quantum potest.*

*Ad Patrem, ad Patrem*, omnium creatorem tendendum est. Sed notate obsecro, & miramini mecum commodissimas illas metaphoras, ad designandum peccatoris statum, & pulchrum quo procedit ordinẽ. *Surgam*, dicit primo: dein *ibo*. *Surgam*, resuscitabor, reuiuiscam, per Dei gratiam & liberi arbitrij concursum: & dein *ibo*. Sicuti enim viuendum est antequam ambulari

mbulari possit, sic etiam dimittēdum est peccatum, antequam opera meritoria possint exerceri; purganoxij humores, antequam bene dispensentur nutrimenta.

O quam bene illud *surgam* peccatoribus est proprium: si enim surgam dicit qui cecidit, qui iacet proprie, vt S. Paulus vadens in Damascum (*surrexit autem Saulus de terra*) proprie etiam dicit ille, qui Deum offendit. Peccatum enim lapsus est, vnde & sic à Latinis dicitur, & Summistæ *casus* dicunt *conscientiæ*; *qui stat videat ne cadat.* Actor. 9.

Prouerb. 24 ] *Septies in die cadit iustus.*

Si *surgam* dicit qui sedet: *surgite postquam sederitis.* Psal. 126.

Proprie etiam illud dicet, qui in peccato est: omnis enim peccator sedet, nihil boni agens. Status peccatoris plane otiosus est, & sedentarius: quia in peccato mortali nihil exercetur meritorij operis, quamuis in isto statu nec ad momentum temporis placide requiescatur.

Si *surgam*, dicat is proprie qui inferior est: optime etiã dicet illud peccator quo nihil est inferius. Sicut enim vir iustus, homo est hominibus celsior, & prosicientes *intra hominem* agunt: sic quorum vita, vt nostri Prodigi, profligata ac prostrata est, *infra homines* sunt: deteriores etiam bestiis, quæ nihil tale, nisi per naturam aut necessitatem agunt: homines autem contra naturam, & ex malitia. Quid? nonne inferus satis est, qui vsque ad portas inferni descendit?

*Paulo minus habitasset in inferno anima mea.*

Psal. ] *Descendunt in infernum viuentes.*

*Improborum pes alter in cymba Charontis.* Psal. 55.

Si *surgam* proprie dicat, qui dormit, aut decumbit: non minus proprie dicitur ab eo qui est in peccato: quid enim peccatum nisi somnus? Nonne grauiter soporatus est cui omnes sopiuntur & ligantur sensus? qui lucem non videt, qui strepitum non audit, qui nõ sentit quo feratur. Peccator autem sensum & intellectum perdidit, cum nihil videat saluti necessarium, sopita & absorpta est voluntas; cum nihil diuinum

velit. Memoria ligata; quia nec præmia, nec minas, nec flammas æternas recordatur. Surda tantum aure pulsum audit pœnitentiæ, & diuinæ clangorem tubæ: nec sentit viuum se à diabolis inferre gehennæ.

Videtur sibi adeo cubare molliter, vt non magis se moueat quam plumbum in plumis: nec excitari possit nisi maximo labore, ac variis machinamentis.

Thren. 1. *Dedit me Dominus in manu de qua non potero surgere:* recidit, relabitur in lectum: tanquam in nidulum, vt in cardine versatur ianua, vt piscis in aqua.

Iob 9. Si forte exurgat, hoc serũ est. *In nouissimo die de terra surrecturus sum.* Tum scilicet, quando tempus accubandi est in æterna requie: sicut illi qui cum tota luce sterterint, nocte laborant, ac præpostere *noctem verterunt in diem.* Dormit igitur peccator, & quando tractat de pœnitentia proprie dicit, *surgam & ibo.*

Harum duarum actionum coniunctio *surgam*, scilicet & *ibo*, optime duas partes demonstrat iustitiæ, quæ in vero pœnitente inueniri debent. Nam per *surgam*, indicat omittenda esse mala, per *ibo* facienda esse bona.

*Declina à malo, & fac bonum.*

Isai.] *Quiescite agere peruerse, discite bene facere.*

Ierem. 18.] *Reuertatur vnusquisq; à via sua mala: & dirigite vias vestras & studia vestra.*

*Exuite veterem hominem ac nouum induite.*

Matth. 3.] *Agite fructus dignos pœnitentiæ. Fructus inquit propter bona opera: pœnitentiæ propter discessionem à malis.*

D. Greg. hom. 13. in Euang.] *Redemtori etenim nostro vnum sine altero placere nequaquam potest: si aut is qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deserit: aut is qui castitate præeminet, necdum se per bona opera exercet, nec castitas ergo magna est sine bono opere: nec bonum opus est aliquid sine castitate.*

Sicut serpens exuta pelle veteri nõ nudus remanet, sed nouam induit, sic etiam vetus noster homo exutus peccatis, induendus est nouo habitu sanctitatis & iustitiæ.

iustitiæ. Quod Deus sub lege Mosaica, in templi seruitia nõ admiserit claudos & defectuosos, quid significat, nisi displicere sibi hominem, qui alteram tantũ iustitiæ habet partem, quarum vna sine altera grata esse non potest? Christus Iesus præcursores suos *misit binos & binos, ante faciem suam, in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus.* Deus petiit duos sibi offerri turtures, aut pullos columbarum in purificatione mulierum; duos voluit matrimonio coniugi adiungi ad producendum tertium: *erunt duo in carne vna generanda.* Sic etiam voluit fugam vitij, & prosecutionẽ boni, simul & æquali passu incedere, ad perfectam producendam iustitiam. Ordine etiam illo præmittens *surgam*, deinde addens *ibo*, pulchre indicat ab vtra iustitiæ parte inchoanda sit pœnitentia, à fuga scilicet peccati, tãquam magis necessaria. Sicut enim vulnus inflictum, à Chirurgo ante omnia curandum est, extrahendum ferrum, eluendum pus & sanguis emortuus, crebra infusione vini, vt Samaritanus ei fecit qui inciderat in latrones. Deinde instillanda vnguenta, oleum, cataplasmata, & obligandum: sic etiam prius auerruncanda sunt peccata, & occasiones; deinde ædificandæ virtutes. *Is qui vitæ suæ est arbiter constitutus, non potest vitam nouam inchoare, nisi eum pœniteat vitæ veteris*, inquit S. Augustin. lib. de pœnitẽt.

Nonne prius putantur vineæ, præciduntur inutiles palmites, antequam fructificent? Nonne prius elapidatur campus, eradicantur zizania, exurũtur lolia, foditur hortus, antequam bona inserantur semina, & plantentur herbæ? Sic primum pœnitentis opus valedicere peccato, aut saltem hoc proponere. Atque ideo bene quidam sanctus Cõfessarius, si pœnitens interrogatus vtrum à peccato velit abstinere, atq; ipse neget, non est absoluendus. De peccatis dico mortalibus, non quod credere debeat nunquam se in peccatum vllum mortale relapsurum: hoc enim superbiam quandam saperet, contrariam humilitati: sed debet velle solicite illa cauere. Quã igitur miseri sunt maleque consulti, qui cum vlciscendi animo ad confes-

*B. Vincentius hic.*

confessionem accedũt, vindicaturi iniuriam aut verberibus aut contumeliis, &c. Ac illi etiam qui propositum habent data occasione hanc aut illam explendi voluptatem: aut qui propositum nondum deposuerunt, faciẽdi quidcunque Rex, amicus, aut fœmina imperet, etiãsi mortale, & plus quam mortale sit. Mala igitur omittenda sunt, aut saltem propositũ istic faciendum, antequam de iustitia per bona opera cogitari possit; & videri posset Deo gratior esse homo, qui nec boni quicquam agit, nec mali: quam is qui boni aliquid agit, & malum interim non deserit, ac mortalis peccati voluntatem. Si enim prior non omnino Deo placet, non irritat saltem eum vt alter, singulis momentis.

*Sus de sorde leuat, saltem dum colligit esca,*
*Cur nunquam surgas sorde volutus homo?*

## III.

### *Quomodo optimè quadret in Hugenotas: quomodo Papa Romanus vere vniuersalis pater sit; cum bona precatione.*

SEd satis de peccatoribus: accommodemus hæc hæreticis. Illud *surgam* igitur, & ibo ad patrem, verba sunt hæretici qui abdicare hæresin, & ad Ecclesiæ Romanæ sinum & amplexum reuerti statuit: vt peregrinus, qui cum multo tempore à via aberrauit, & sectatus de via, relegit viam, & in illam reuertitur quam dimiserat. *Surgam*, credam inquit, quæ hactenus discredidi, & abiurabo hæresin. *Surgam* ex hac cathedra pestilentiæ, in qua sedi doctor erroris. *Beatus vir qui in cathedra pestilentiæ non sedit.* Psal. 1. *Et ibo ad patrem.*

Ad Papam Romanum, petitum veniam, solicitatum vt in domum Ecclesię admittar, ac in posterum inter bonos Catholicos annumerer. *Ibo* ad *patrem*, confugiam ad Papam; optime. *Surgam & ibo ad patrẽ.* Non sufficit bona credere, nisi etiam redeatur ad Ecclesiæ

ę vnionem, niſi per claues Papę, mediate vel immediate, Chriſti ouile aperiatur, aut arca Noe ad euadēdam diluuium. Fac, inquit S. Athanaſius, tot confeſſiones quot voles, nunquam tranquillitatem conſequeris conſcientię, niſi dicas cum filiis Iſrael *adeamus ad patres noſtros*, & cognoſcamus templa quæ ædificauimus, fuiſſe vera idola, ac idolorum receptacula. Maxime cum Chriſtus Ieſus, pater noſter, Eccleſiam ſponſam ſuam veram, conſtituerit matrem: ſi velimus inuenire requiem, recipere nos debemus in domum Dei, in Eccleſiam Catholicam, vt ibi reconciliemur matri ſi velimus gratiam inuenire à patre. *Athanaſ. orat. 2. contra Arrianos.*

D. Cyprian. de ſimplicitate Prælatorum.] *Non habebit Deum patrem, qui non habet Eccleſiam matrem.*

Hilarius.] *Peccator qui audierit ex Euangelio Matth. 16. & Ioan. 20. Eccleſiæ datam facultatem ligandi & ſoluendi, tenendi & remittendi peccata, intelligat ſibi ad Eccleſiam veniendum, & per Eccleſiam ad Deum & regnū cœlorum tanquam ſi peccatori dicatur, quod Paulo dictum eſt, vade in ciuitatem, illic dicetur tibi quid te oportet facere.*

*Ibo ad patrem*, ad Papam Romanum. Videte vt ſe accommodet, quam benigne det veniam, vere Papa Romanus pater eſt: ſiue potentiam ſpectes, ſiue pietatem, & bonitatem, ſiue doctrinam, ſiue annos, & antiquitatem. Pater eſt per potentiam; etiam ideo quia Sacerdos eſt. Nam etiam hodie Græci Sacerdotes appellant Pappas, & nos in Religione Sacerdotes appellamus Patres. Pater eſt per potētiam; quia ſummus eſt confeſſarius, quia omnibus abſoluere poteſt caſibus; qui magnas S. Petri habet claues, clauem autem, clauem regiam Paradiſi, qui claudit & nemo aperit: nam nemo poteſtatem eius ſibi aſſumit & aperit, non mutuatur hic aliunde claues, & nemo claudit, poſt ipſum aut contra ipſum: merito pater cum & patres appellemus quos nobis elegimus ad exoneranda peccata. Pater etiam eſt per potentiam, vtpote pater patrum, & Patriarcha. Non enim ſolum pater eſt plebis, & populi; ſed & Epiſcoporum, & Prę-

latorum

latorũ, & caput Ecclesiæ Christi. Ita enim nomen Patris cõuenit Papæ, vt nomẽ Poetæ apud Latinos Virgilio, apud Græcos Homero, apud Gallos Barthę aut Ronsardo, & nomen Regis Regi Galliæ: cui hoc nomen, vt Canonistæ quidam scribunt, conuenit pr reliquis. Nomen Papæ etiã (deriuatum à Græco papas aut à Siculo: sed postea iuxta Daneum ad Græco translatum significans patrem) in Ecclesia Catholica sine adiecto fuit in vsu ad significandum successores Petri, aut vniuersale Ecclesiæ sub Christo caput.

*S. Victor lib. 1. de offic. Eccles. cap. 43.*

*Papa Romanus* (inquit S. Victor contemporaneus S. Bernardi) *Papa dicitur quia pater patrum est, & pater vniuersalis, quia toti præsidet Ecclesiæ.*

Insuper *ibo ad patrem*, ad Papam Pater enim est pietate, ac bonitate, quę in ipso est aut ex officio esse debet, vt cum suauitate recolligat dispersos, & centesimam ouiculam errantem humeris suis referat: vt recipiat cum amplexu pœnitentes (vt paulo post faciet pater nostri Prodigi) non duriter & imperiose; quod vt denotaret noster S. Hieronymus: dixit *Episcopos patres esse, non dominos*: & fortasse ideo celebrantes Episcopi, quando populo se aduertunt, dicunt *pax vobis*: & Papa solus nec cruce, nec pedo vtitur ferrato & acuto infra, etiamsi eo vtantur omnes reliqui Episcopi; vt significet opinor minus sibi vtendum stimulo, ac rigore in filios, maxime pœnitentes.

*Curua trahit, quos recta regit, pars vltima pungit.*

*Vide Steph. Durant. de ritib. Eccles. lib. 2. cap. 9. Num. 40.*

Scriptum est de significationibus Crucis, in marmore in in Ecclesia S. Stephani Tolosæ. Fortasse & ideo pictores S. Petro claues dant, in manus; sicut S. Paulo gladium euaginatum.

Certe Papa iussus est bonus esse pater, & liberaliter dimittere: speciatim enim S. Petro dictum, cum putaret fore satis si remitteret septies, vt dimitteret septuagies septies, magno isto numero posito, pro incerto: pro toties quoties, & semper. Tot vidit domestica exempla in magistro suo cuius tenebat locum, cuius aula euntibus redeuntibus semper pate-

atebat ad misericordiam, qui reinuitauit fœminas
præhensas in adulterio, Magdalenas, peccatrices
publicas, publicanos & peccatores infames, vt se
conuerterent. Nec paruum fuit incitamentum, quod
ipse à Paparum Papa, pro fuga, pro abnegationibus,
pro execrationibus suis, misericordiam inuenerit ac
indulgentiam tantam, tam immensam, vt non tan-
tum in forma iubilei eam consecutus sit, sed ab omni
irregularitate, & inhabilitate ad talem vel talem or-
dinem, absolutus: ad maiora etiam post hoc promo-
tus, collatis ei aureis regni cælestis clauibus, caput
fratrum suorũ constitutus, & vt ita dicam, vice-Deus,
vice-Christus.

D. Gregor. hom. 21. & recitatur in decret. di. 50. cõ-
siderandum. *Hoc* (inquit) *factum est magnæ pietatis di-*
*spensatione, vt qui futurus erat pastor Ecclesiæ in sua culpa*
*disceret, qualiter aliis misereri debuisset.*

*Vide nostrũ Theat. patient. seu Codrum Euangelicũ Conc. XXVII. part. 3.*

Vt paterni reminiscantur officij, & clementię, etiã-
num Papæ optimi, maximi scribuntur; nec quicquam
haberet periculi si veteri Romanorum more agno-
minarentur Clementissimi; vt moneantur clementiã
& bonitatem ipsis debere esse perpetuam, & quasi
primam virtutum.

Inuper, *ibo ad patrem*: id est, ad Papam. Pater enim
est propter doctrinam, quam ex ipso sugimus; per
concionatores quasi mammillas, qui docere non
possunt, nisi quod ille approbauerit, nec scitur vtrum
bene doceant, nisi ad illum tanquam ad lapidem ly-
dium examinentur. *Quoniam ipse sapientiæ dux est, &*
*sapientium emendator.*

Hoc S. Paulus se feciſſe fatetur, qui decimo quarto
circiter post conuersionem anno, venit videre S.
Petrum, & conferre Euangelium: *Ne forte in va-*
*cuum currerem, aut cucurrissem.* Papa totius orbis
scolasticus est, sub quo Apostoli, Episcopi, & Do-
ctores Ecclesiæ hypodidascoli sunt. Ipsi speciatim
claues datæ sunt: *Dabo clauem domus Dei.* Claues *Isaiæ 22.*
scientiæ; *tulistis clauem scientiæ*: claues domus Da- *Lucæ 11.*
uid; *habet clauem Dauid*: claues intelligentiæ Psal-

morum

*Apoc.3.*

morum & reliquæ scripturæ; *dedit illi scientiam Sanctorum.* Claues diuinæ Bibliothecæ (vt olim Bibliothecæ Marci Aurelij Pompeiano genero eius ante mortem, cum multis instructionibus) *tibi dabo claues regni cœlorum.* Petro specialis cura demandata est pascendi verbo Dei, aut per se, aut per alios. *Pasce oues meas.* Illi dictum est, *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Papa dicere potest per Euangelium ego vos genui: sine ipsius enim authoritate iudicare non possemus qui Euãgelium scripserint, ac sine missione ipsius nemo prædicare potest Euangelium, ac denique sine expositione eius, Euangelium non est Euangelium. *Ibo* denique *ad patrem.* Ad Papam; cum senes patres nostri sint, Papæ autem fere ex grandæuis & prouectis ætate creentur, vt S. Petrus. *Antiquus dierum sedit.* Et quamuis non semper in capite Papæ niues canique senectutis fulgeant, sapientia tamen & prouidentia, quæ senum dona sunt, ibi semper suum habent domicilium: vnde & iuuenes propter maturitatem & prudentiam senes aliquando appellamus. *Senectus venerabilis est non diuturna*, &c. *Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.*

*Vide Gueuar. lib. 2. horolog. Princ. c. 18. secundum Interpretem Lat.*

*Matth.16.*

*Daniel 7.*

Atque ita quibus anima senuit bene, nomen patris merentur: sicut olim Nobiles, & Senatores Romani, patres dicti sunt.

*Ibo ad patrem meum,* Id est Papam, ad patrem cuius filius sum, etsi refractarius: ad patrem, qui mihi totus inclinatus est, etsi præter meum meritum.

Credendum enim Papas magis de errantibus curare, quam de reliquo grege, & magis in amplexus ruere cũ reuertitur hæreticus, quam si alius. O Deus bone quando, semel illam vocem ex hæreticis qualescunque sunt audiemus, maxime ex Hollandis, antiquis nostris fratribus & amicis? *Surgam & ibo ad Patrem.* Ibo ad Papam, dicam peccaui? Quando tandem ad potestatem & iurisdictionem eius redibunt, quando boni atem eius degustabunt, quando doctrinam eius irrefragabilem audient, lectiones & mandata susci pient, quando antiquitatem reuerebuntur? modo tem-

o tempus est, durantibus induciis, ac omnino suaerem tam pro salute ipsorum, quam pro honore. Non enim armis inimicorum victi, non fracti, non pacti, tam diuturnis bellis recipere fidem Catholicam, quam eiecerunt. Si dicerent modo *surgam & ibo ad patrem meum*, ibo ad Papam, tam nostrum quam reliquorum Christianorũ patrem, dicam peccaui, desiderantes recipi in sinum Ecclesiæ, numerari inter Catholicos, sicut olim ipsorum maiores. *Fac me sicut vnum ex mercenariis tuis*: reuera viderentur mihi posse gloriari se suo arbitrio ad fidem rediisse Catholicam, sicut eam suo arbitrio abiecerunt, pro tempore & annis aliquot. Et plane post Deum, ipsorum illa esset gloria, nec iactare posset Hispanus se eam armis restituisse.

O quam dies illa ipsis foret glorioſa, quam beata, & nobis etiam conterraneis ipsorum Deus bone quam iucunda? Non puto inter Catholicos quenquam adeo puerum, qui non diceret cum seniori Simeone, videte seruatorem in templum, inter brachia matris Virginis inferri, ac suis concessum amplexari: *Nunc dimittis seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mi salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentilium & gloriam plebis tuæ Israel.*

Ex hoc iam lętus moriar, si rem videam tam salutarem. Ah non videbo diem illum? si non? oculi mihi iam lachrymant, cor suspirat, ex incredibili dolore: dolor me pietatis premit torcularibus, miserantem eos qui nesciunt occasione vti tam oportuna. Ergone non videbo, non audiam, aut ex ipsis aut ex publica fama, illud *surgam & ibo ad patrem*? Si hoc videre, si audire liceret, morerer lætus instructus Ecclesiæ sacramentis. Et quem vnquam (ô Hollandia) diem habere potes aut honoratum magis, aut salutarem? videres totum mundum tuis impendi congratulationibus, Roma tibi suas mittere benedictiones, dextram tibi porrigeret Imperium, Italia te suis veneraretur officiis, ac inferiores hæ partes tecum in vete-

rem redirent amicitiam. Quicquid in eo tractu Catholicum est, depositis odiis ad tua confluueret oscula, exultaret Gallia, tota terra tripudiaret, & ageret festum. Cœlum, Deus ipse, & Angeli mirifice exultarent; cum exultent etiam super vno peccatore pœnitentiam agente. Videbo hoc opinor, & quam primum, tam pulchra, tam commoda est faciendi occasio. Tantum in hac re gloriæ, tantum salutis hominibus illis, qui (sepositā animæ salute) tantum parārunt gloriæ inter homines militares, & bellicosos. Hoc vnum complemētum esset & corona gloriæ ipsorum. Facerent enim hoc victores, liberi, spōtanei, quod demonstrarunt totius mūdi viribus, 40. fere annis, tantis exercitibus, tantis armis non potuisse extorqueri: & hac ratione quibusdam suis aduersariis, superbis, tantum facerent cordolium quantum nunquam hactenus; qui tamen de conuersione ipsorum, vt Christiani, ex altera parte gauderent. Habent exemplum beatę memoriæ Henricum magnum. Spero, videbo factum per Dei gratiam.

CON-

# CONCIO XIX.

ℵ. Ἀναστὰς πορεύσομαι πρὸς τὸν πατέρα μου καὶ ἐρῶ αὐτῷ. *Graca.*
ℵ. *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei.* *Vulgata.*
ℵ. *Surgam, proficiscar ad Patrem meum, & dicam ei.* *Syriaca.*

## ARGVMENTVM.

*Dicemus hodie*

1. *Quod Prodigus noster admodum confidens fuerit, vnico saltu recta vadens ad patrem, sine litteris, sine interceſſoribus, & vnde hæc ipsi fiducia.*
2. *Vtrum Principes recte faciant scriptis & mediatoribus tractantes subditorum negotia.*

## AVE.

### I.

*Quod Prodigus noster admodum confidens fuerit, vnico saltu recta vadens ad patrem, sine litteris, sine interceſſoribus, & vnde illi hæc fiducia?*

MALI corui malum ouum. Qualis arbor talis fructus: *neq; colligunt de ſpinis ficus* ornamentum Autumni: qualis homo talia opera, tales actiones. Quorsum hęc? Si vnquam noster Prodigus ingenij sui demonstrauit audatiam, certe audacē & confidentē se ostēdit in illo animi decreto, *ibo ad patrē*. Postea etiā magis in executione. Additur enim & surgēs venit ad patrē. Hem! quomodo puer? *surgā & ibo ad patrē*? qua fronte, quo ore, quo gestu, quo habitu in cōspectū venias, quid dices? Ibo inquit, vultu deiecto, facie pœnitenti, gestu sup- *Luca 6.*

plici, incipiã à ſuaui voce *patris*: dicã *pater*: omnis me ſermo in vitiorum meorum acculatione & execratione verſabitur, millies querulus verbum illud repetam. Promittam emendationem, vouebo, iurabo, filium me futurum paratum ad omnia, ſtatuat de me quod volet, fingat, refingat, lutum ero in manu figuli. Dicam mihi ſatis eſſe, ſi *me faciat ſicut vnum ex mercenariis ſuis*. Quo lubet applicet ſic accedam: imo ſane bene habet. Hoc tamẽ videtur debere eſſe pro extremo, & quaſi pro Achille; videris mihi primum patris gratiam melius tentaturus litteris, ac clementiam eius inclinaturus magna reuerentia, ac ſi tum benignum adferatur reſpõſum, melius facturus quã dicis. Vel forte ſollicitandus tibi eſſet ſenior frater, qui domi manſit; aut ſeruulus aliquis patri tuo intimus, qui aciem præmordeat, frangatque glaciem. Vel ex cognatis & amicis mediator quærendus, qui patris choleram & bilem mitiget, tantis & tot annorum ſceleribus ſufflaminatam. Sic patri maiorem habeas honorem, demonſtrans reuerentiam, & melius rebus tuis conſules: non erubeſcunt litteræ, & magni à magnis multum & ſæpe orari volunt: quamuis enim aliquando non inuiti dent veniam, volunt nihilominus ſollicitari à variis, à Primatibus, vt ſic vno munuſculo plures ſibi obligent, & declarent quo loco amicos habeãt: vt difficultas etiam veniæ prohibeat quominus facile à quolibet offendantur. Nõne in ipſo hoc vides Deo, qui multa non niſi ad interceſſionem Sanctorum concedit, vt eos mortalibus magis faciat honorabiles.

Liberatio Traiani ab inferno, quantam putatis authoritatem apud homines cõciliauit S. Gregorio, qui eam precibus impetrauit. A ciſtę litterę *dimiſſionis, Ægidij merito Caroli peccata remitto*. Quas pię creditur Sãctus Ægidius ab Angelo pro Carolo magno tuliſſe, cum peccatorum veniam deſperaret: quantæ fidei apud homines illum fecit Abbatem. Nonne glorioſum fuit Reginæ Heſter, tantum apud Regem Aſſuerum, vel alias Artaxerxem, maritum ſuum valuiſſe gratia

tegratia, vt sanguineum illud edictum, de Iudæorum internecione, à crudeli Aman vindictę cupiditate exortum, abolere. Et, miser adolescens, nunquam legisti quomodo Absolon, patris vt tu eiectus gratia, propter fratrem Amnon sororis sui Thamar stupratorem interfectum, exulans aula quinque circiter annis & desiderans reditum, non ausus sit ipse venire in manus patris, sed Ioab belli ducem pro intercessore primum ablegasse ad patrem, dein obtenta à Ioab venia, tandem venisse adoratum Regem, & receptum osculo? Quomodo igitur tu, sine vllo interlocutore, recta audes currere ad patrem? 2. *Reg.* 14.

Ecce tę animatum & nimis confidentem, vt fuisti semper. Aliter vero agens & expugnans quidem patrem, commodiori ratione redibis, vestitus melius, melius habitus. Pater enim bonam tuam voluntatem intelligens, forte media quędam subministrabit, vt à capite ad calcem vestitus, bonus domum redeas filius: & qui iam vix curto breuique occurres opertus centone, quem colores & scruta distinguunt, quo ignominiam ipsi facias, reuerti forte poteris, promissa indutus cyclade, meliori stola. Et qui iam tuis occurres ligno aridior & salpa, macie & fame tabidus, vix hærens pelle & ossibus, poteris paulo post recepta carne, recepto colore, melius habitus, maiori cum laude aspici. Et qui iam forte astabis innixus super baculum, dormiens inter dumeta, & syluas, aut hospitalium vmbras, redire possis in rheda, nummato marsupio, non minus spectabilis ac lætus in reditu, quam exitu.

Cur igitur non scribis prius patri, cur intercessores non aduocas? Per fidem vestram, dilectissimi, prodigus ille non videtur vobis consultus male, aut mirabili animatus fiducia? Ego quidem sic arbitror. Videamus igitur quodnam tantæ spei fundamentum, aut cur ita adornatus processerit.

Respondere possem primo, factum hoc ex ignoratia. Forte ita fuit institutus, vt nec legere sciret nec scribere: forte non parentis vitio, quasi ipse ad scho-

las eum non miserit, dederitq; operam vt proficeret, sed negligentia eius & litterarum tædio, nimium fidentis futuris opibus: forte semper ab initio primaque ætate adeo fuerit inhabilis studiis, quam asinus lyræ, porcus ad tubam, mulierculę ignauæ ad colum. Deus bone, quã multos videmus filios crassos ac indociles, à sapiẽte nasci patre! Legitur Herodes quidem Atticus, etsi homo ingeniosissimus, nulli in eloquẽtia secundus, filiũ habuisse adeo hebetem, vt prima nunquam elementa discere potuerit. Cicero etiã filiũ habuit sibi quidem cognominem, ad eloquentiã tamẽ & famam patris neutiquam accedẽtem: audentẽ libentius patinas quam chartas, magis amantem Bacchi quã musarum, & philosophiæ: vnde *bicongy* cognomen accepit. Sed nostrum Prodigum scriptorius fuisse ignarum facile crediderim: quia Herus eius non scribam non secretarium, sed vt rudem & inhabilem porcorum destinauit custodiæ. Quod seruitium si litteras nouisset, fuisset dedignatus, & potius aperuisset ludum scholulamque scriptoriam.

*Philostrat. in eius vita.*

*Bapt. Egnat.*

Credo illud satis. Nam idem etiam de magnis legimus Imperatoribus, de magno Iustiniano, qui tus ciuile redegit in corpus; de Licinio Imperatore, qui adeo fuit imperitus, vt nec propria subsignare potuerit decreta. Si roger vnde hæc tanta ipsius ignorantia, adferam præter natiuam incapaciam, studia voluptatum, quæ simul cum litteris stare non possunt.

*Non iacet in molli veneranda scientia lecto:*
*Qui mane vigilauerit ad me, inueniet me.*
*Qui studet optatam cursu contingere metam,*
*Multa tulit fecit q; puer; sudauit & alsit.*

Inde scilicet: quod scientiæ honorem & pretium ignoraret. *Ignorabat hominis opes pulcherrimas esse litteras*, nesciebat miser tãtum litteratos illitteratis præstare, quãtum homines bestiis: litteris hominem humanum fieri, imperatorem, illas esse quas Bias ardente patria, tãquam suas extulerit. Quæ ignoramus autem negligentius quærimus: cum pretium, bonitas, pulchritudo, ad inquisitionem inuitent. Forte etiam

*Cic. in Paradox.*

seculi

culi istius malo, cum omnes negotiationibus, aut agriculturæ dederẽtur: mundus enim non semper æque fuit litteratus, & forte doctior nunquam quam modo. Forte etiam quia in patria ipsius rudiores tum promouebantur magis, contemnebantur doctiores, etiam tum sicut paulo ante regnum Caroli septimi, Regis Franciæ beneficia magis dabãtur mulionibus, magnisque leonibus, quam doctis: & officia dignitatesque magis adulatoribus, & curiæ sectatoribus, quam hominibus seriis: adeo vt tum vtilius videretur & melius studere assentationib. placere, risum facere, qualicunque tragœdia, quam temporis momentum bonis litteris impendere. Asini enim portabant mysteria, asini coronabantur, vituli aurei adorabantur, vt tempore Mosis, cum sceptris & purpura.

Docti viuere debebãt doctrinę suæ gloria contẽti, satis ipsis debebat esse iucunda veritatis notitia, nihil vltra sperandũ magni Carolus septimꝰ prędicti Sixti filius in solẽni Episcoporũ concilio sanxit, vt qui plus olei studiis impendissent quam vini ebrietati, promouentur ad beneficia. Certe nihil æque ad refrigerandum, imo ad extinguẽdum studiorũ ardorẽ est accõmodum, quã videre litteras contemptas, & abiectas; videre bestiam in throno decẽ coronis coronatã, homines a. prope diuinos, regẽdis idoneos imperiis, ad asinorũ pedes cõsistere, aut ignotos iacere in angulis & museis. *Vbi malos præmia sequuntur, haud facile quis gratuito bonus est*, dicebat Philip. Orat. max. Sicut cõtra nihil æque litteras resuscitat, quã si in honore habeãtur. *Sint Mæcenates nõ deerũt Flacce Marones.* Quot fœlices Poetæ tẽporib. Augusti & Męcenatis nati sunt? quos amicitia iũgebat, & litterarũ fauor. Sub Carolo magno quot inuẽti sunt Theologi, postquã Sorbonã Parisiis, & studium Pauij instituit? tẽpore Francisci Valesij quanta doctorum scriptorum copia? quare? nisi quia magnus ille Princeps pater erat scientiarum, fautor doctorum: quia salaria instituit certis doctorib. qui publicę profiterentur scientias, & quatuor instituit professores ordinarios, qui sepultas pæne

*L. Philip. oratio in Senatu. Is fuit quem Cicero proximũ fuisse Crass. & Ant. dixit in clar. Orat.*

Græcas & Hebraicas litteras resuscitarent: quia fauebat doctis, ac inter alios Franciscum Budæum Græcum, libellorum supplicum fecit magistrum. Hoc effecit, vt nemo esset bene natus, qui studia horreret adeo vt summo iure instaurator litterarum paterarum audiat. Si igitur Prodigi tempore studia vigebant in spheristerio, credibile est satis ipsum scribendi legendique aut omnino aut pene ignarum.

Quis nouit etiam an forte edictis studia ibi non fuerint vetita, clausæque scolæ, scientiarum odio: vt sub Licinio Imperatore, qui eas pestē solet appellare, perniciemque publicam: aut ambitione & studio excellēdi plebem reliquam, quo ingenio fuit magnus Alexander, qui ægrè tulit scripta Aristotelis esse publicata, quod nimirum plebecula suo Rege non foret indoctior: aut metu, ne forte Doctorum consiliis dominio eiicerentur & tyrannide, cuius generis fuit Aristodemus quidam Aricinorum tyrannus, de quo Dionysius Halicarnasseus scribit quæ sequuntur. *Ne vel in aliorum ciuium quoquam animus fieret generosus ac masculus, dedit operam, vt effœminaretur tota vrbana iuuentutis educatio, sublatis gymnasiis, & armorum meditationibus, & mutata victus ratione, qua primum vtebantur pueri, &c.*

*Dionys. Halicar. lib. 7. antiq. Rom.*

*Vide Greg. Nazianz. orat. 47. quæ est 1. in Iulianum prope initium.*

Sic studia & litteræ liberales dictæ sunt, tanquam libero homine dignæ, merentes & iuuantes libertatem: vel etiam studio abolendi religionem, ac introducendi superstitionem & hæresim, sicut olim Iulianus Apostata, qui vt fidei Catholicæ defensores minueret, ac dialecticis gentilium faceret inferiores, introduceret Paganismum, quem perfidus à Christianismo Apostata repetierat, prohibuit Christianis humaniores litteras, artium & eloquentiæ studia, claustit scolas; vt olim Philistæi gladios & arma abstulerunt Israelitis, & Aristodemus cauit suis, dedicans gymnasia Diis, timore rebellionis. Argumentum magnum, inquit Nazianzenus, infirmitatis & soliditatis Paganismi, edictum vanissimum, quo prohiberi potuit ne argute & composite Christiani dicerent;

*Socrat. hist. Eccl. lib. 3. c. 10.*

*Dion. Halic. li. 7. ant. Ro. de Aristode.*

*Greg. Nazianz. vt supra.*

vt verum

rt verum dicerent impedire nequaquam.

Certe si nostri Prodigi tempore tales tyranni regnum tenuerunt, nihil mirum si nec natare nec litteras nouit.

Potuit etiam ante litteras inuentas vixisse, paulo ante Mosen, qui iuxta nonnullos primus Iudæos litteras docuit, vel paulo ante Abrahamum, quem Phi-loludæus putat litterarum inuētorem, vel ante diluuium temporibus Seth. Filij Adam, cuius filij scribere nouerunt, & forte scribēdi artem inuenerunt, saltem hieroglyphicis, cum Iosephus dicat ipsos inuentam ase astronomiam, duabus inscripsisse columnis, quarum altera saxea, contra aquam, altera argillosa contra ignem. (Verisimile enim Christum ex remotissima antiquitate sumpsisse parabolam, ne diffamaret hominem) atq; ideo nihil mirum si artem hanc ignorarit, ac multo minus si ignarus cum patre primum non transegerit.

*Polyd. Virg. lib. 1. de Inuent. c. 6.*

*Vide Mich. Glycam p. 2. Annal. de Seth.*

*Vide Pierii ap. dedicat. Hieros. Ioseph. lib. 1. antiquit.*

Aut si forte scriptura tum satis familiaris, nec prohibita à Principibus, forte tantillum sciuit vt cruces & vncos faceret magis Arabicos, quam litteras alicuius nobilis. Maluisset pater ipsius ciferas, & abbreuiationes exponere, quam talem Epistolam perlegere. Nullos satis firmabat characteres, nec digito in puluere, nec cultello in arboris cortice, nec penicillo in laurifoliis, nec celte in plūbi lamina, nec graphio in saxea tabula, nec stilo ferreo in marmore, nec canna vel calamo in pergameno, nec penna in charta: vere magnus Dominus in paupere oppidulo. Scriptura ipsius hominibus non fuisset gratior, quam vita Deo & Angelis. Scripsisset adeo artificiosè, vt pater ipsius, qui legere non diuinare didicerat, aut frater, aut cognatus, cuicūq; scripsisset, accersere debuisset aut Genebrardum aliquem, dicturum an forte essent litterę hebraicæ; aut Esdram an forte viderētur Chaldaicæ; aut Auerroem an Arabicę; aut Cleonardum aliquem aut magistrum meum Franciscum Carionem vtrum stylus esset Græcus; aut Zoroastrum, an forte notæ non essent astrologicæ; aut Chremonem aliquem,

*Vide Polydorum li. 2. de Inuent. cap. 8. in fine. Item Ioh. Bapt. Porta. Neap. de occultis litterarum notis cap. 1.*

aut Mercurium Trismegistum, an forte signa essent Hieroglyphica; aut aliquem Iohannem Baptistam Portã an forte esse notæ essent Arithmeticæ, & scripta mystica. Exhibitæ si fuissent Alamannis Bragmanis, Gatemantis, Cretensibus, Indis, omnes vno ore dixissent & incantationes magis esse, quam libellos supplices. Forte etiam quidam dixissent patri veneficia esse, literas diabolicas, cõiurationes, easque nihilo esse suo authore meliores. Dimisisset deniq; pater litteras nõ minus à manu sua virgines, quã Putipharæ vxoré manus Ioseph: vtinã Martinus Lutherus, aut Iohannes Caluinus, melius scribere nescissent, nec secretarios habuissent politioris manus: nemo vnquã, etsi maledictæ ipsorum hæreses ita fuissent litteris mandatæ, verbũ vllum legisset, intellexisset: atq; ita breue fuisset cum ipsis certamen. Cur igitur perderet operam, irritaretque patrem manu tam legibili, sciens quam parum hac in re posset, quanto satius totũ omitteret. Aduertite hic parentes, quanti pretij sit vt filij vestri bene scribere discant, & vos iuniores quãtum prosit, quantum obsit, multũ ac patũ in prima ætate discere. Quanti putatis Prodigus modo redimeret tempus & pecunias, in scholis bene impendisse, ac patri pulchre posse scribere. Aut si forte nouerit, has aut similes quo minus vteretur inuenit rationes. Litteræ mortua simulachra sunt, corpora siue anima: nunquam eam mouendi vim habent ac energiam, quam viua vox. Nescio quid viua verba præscriptis habeant vigoris. Non æque afficit sermo ab ore & calamo exiens. Vnde quidam nõ indoctè ait: *eosdem versus Virgilij appenuntiante, bene sonare: sine illo marcescere quasi mutos.* Multa potest præsentia *surgam* igitur, & *ibo ad patrem.* Non scribam, sed dicam, *peccaui.*

*Wolfius præfat. in suam Demosth. versionem.*

Litteræ etiam prolixæ multo dicunt minus, quam colloquium breue, & breuissimæ longiores videntur, plusque habent tædij, quam sermo protractus. Mutæ sunt, nihil replicant ad minimum responsum; sed cõtra asinus est, & reuera piscis, qui cum ipse adsit negotio, saltem semel nesciat reponere, & commutare verbum,

bum. *Surgam* igitur, *& ibo ad patrem, & dicã* sine scripto *peccaui in cœlum, peccaui in cœlum.*

Insuper litteræ non raro intercipiuntur à locorum & itinerum custodibus, etiam malitia hominum: amittuntur nonnunquam nunciorum negligentia, & nescio quis eas aliquando casus auferat. Legimus enim lupum carnis odore, quæ in sacciperio nuntij apud litteras inclusa erat, quas cõtra Dionem ad Dionysium ferebat tyrannum, accurrisse; & dormienti tabellario in sylua, cum carne simul eripuisse epistolas. Vnde & res tota Dioni innotuit. Sic & meę, cogitauit forte, si intercipiantur aut aberrent, mihi conciliabunt infamiam, & propria me damnabunt confessione; & si enim hic miser sum, & fame pereo, non tamen (Deo gratias) bona æstimatione sum exutus: nemo hic nouit quam fuerim importunus patri, quod hæreditatis partem extorserim, quod omnia mea prodegerim, etsi quidam forte suspicentur, ignorant tamen qua via: totum enim peccarum est *in regione longinqua.* Cur post bona perdita, honorem periclitabor.

*Vide Ioan. Bapt. Portã lib. 1. de occultis litterarum notis cap. 4. in fine.*

*Omnia si perdas famam seruare memento.*

Non noui arcanas fingere notas, signa Arithmetica, Hieroglyphica quibus eludam periculum. Si verbum excidat inconsideratum, corrigam illico; si quid scribam, honeste id postea negari non poterit. Quis ignorat, si Catilina cum coniuratis litteras cõspirationis non subsignassent accusari potuisse, damnari nunquam: non minus occidit calamus quã gladius. Littera scripta manet, asseruatur, exhibetur semper. Verba in ventum abeunt: & quamuis nec vitæ, nec honoris, ex litterarum interceptione foret periculum, si forte in fratris aut cognati alicuius veniant manus, quis scit an non forte omnino celaturi sint patrem, timentes si obtenta venia reuertar domum, spes suas fore vanas? fratris quidẽ, qui me perdito sperat omnia: cognatorum qui maiora sperant legata, & si vnus tantum supersit frater ex proximo hareditatem respicient: oberit ipsis commodũ meũ.

*Fratrum*

*—Fratrum quoq; gratia rara est.*
Lucan lib. 1. Pharſ.

Ouid. in Met.

*—omniſq; potestas*
*Impatiens conſortis erat.*
Idem ibid.

*Fraterno primum maduerunt ſanguine muri.*

*Surgam* igitur, & *ibo ad patrem*, ſine omni ſcripto multum enim mihi periculoſa eſt mora: nam hic *fame pereo.* Non ſerius ipſe illic adero quam quas mittam litteras: lente aliquando perferuntur, & tabellarij curſum aliquando faciunt teſtudineum, ac veniũt poſt feſtum, & quando aduenerint porrigunt litteras cum videtur: adeo vt ſi carnes eſſent aut ſaliendæ, aut fumandæ vt fit in inferiori Germania, iam ſalſæ induratæque ſatis eſui eſſent, cum traduntur.

Et quis nouit an non forte pater facturus ſit quod olim Imperator Auguſtus, quem aiunt omnibus præfectis Orientis mandaſſe vt ſi litteræ intra vigeſimum non traderentur diem à data, nullius eſſent valoris: ſignificans intra datam & tam ſeram traditionem, ſuperuenire poſſe alia Romæ negotia, quæ prioribus contraria imperare cogerent.

*Multa cadunt inter calicem ſupremaq; labra.*

Forte parum curabit litteras meus pater, quod diu datæ ſint. Etſi quam celerrimè tradantur, forte diu deliberabit, & conſultabit cum amicis de reſponſo: atque illud tum demum dabit vt volet, cum voler aut poterit. Nec mereor aliam mei curam, nec ipſe forte inueniet per quem tale quale reſponſum remittat. Erit forte conditionatum, & meum rurſum requiret reſponſum, & illud forte tertium, antequam me poſſim dare itineri. Nam litteræ nihil pariunt niſi litteras: iam annus labetur dimidius, & menſes, & interim me fames deuoratum ſepeliet. *Ego autẽ hic fame pereo:* Litteræ reuocatoriæ tum venient, quando exequiæ & funeralia mihi cantantur, vt medicamentum mortuo. *Periculum in mora eſt, Surgam igitur & ibo ad patrem meum, & dicam ei,* abſtinebo à ſcriptione.

Adhæc:

Ad hæc: de rebus meis forte loqui cum patre potero, scribere nequaquam. Ad colloquium enim ingenij promptitudo mihi aderit, ad scriptionem parum est prudentiæ. Sæpe audiui si cuius sapientiam aut stultitiam explorare voles, calcaria pedibus, aut calamum manui indas. Non ita omnem prodere voloinsaniam, vt tanti momenti negotia perscribam. Nouit pater quantum loqui, non quantillum scribe-nouí. Inconsideratum verbum simplicitati, scriptio brutalitati imputatum: si verba reuocari nõ possunt, multo minus scripta: si nocet loqui malum, male scribere vrit.

Verba sæpe tam cito euanescunt à cordibus, quam ab auribus. Scriptura verò perpetuum est contra authorem testimonium.

*Vox audita perit, littera scripta manet.*

*Surgam* igitur, & *ibo ad patrem*, & *dicam ei*, &c. Reuera, dilectissimi, Prodigus noster in tanta sua infamia, illam habuit prudentiæ vnciam, vt litterarum interceptionem, & scripturæ æternitatem timeret.

Et hæc argumenta inter cætera motiua principalia fuerunt itineris mei Romam ad Paulum Quintum, vt apud ipsum securius ore quam litteris ageré, negotia quædam publica, quæ cum ea nuntio Apostolico Bruxellis narrassem in conclaui, dixit vt opinor eisdem verbis: *scribe hæc summo Pontifici: hæc non poterunt non esse grata summo Pontifici.*

Cumque ea multis iam annis essem meditatus, resolui tandem, & dixi cum Prodigo nostro, *Surgam & ibo ad patrem, & dicam ei*: vt & feci, Deo sit laus, & gloria, gratia beneuolentiæ Pauli Quinti. Vt non plura hic glorier, sed redeam ad Prodigum. Porro, cur scribam confessionem meam dicere potuit: malo iam ore quam calamo facere, vt magis erubescam, & plus promerear: (nam non erubescunt chartæ) & vt ita securior sim in conscientia (qui enim peccatum suum confiteri ore cum possit, non vult, nisi per litteras vel per nuntium, siue ex verecundia, siue ex pigritia, etsi non incelebris Doctor opinetur confessionem per litteras *Nauar. cap. 21. num. 38.*

litteras factam, & absolutionem sic remissam esse validam, (contraria tamen mihi videtur magis vera) vt etiã mihi tutior sit honor, ne forte aut perdita scedula, aut male clausa à patre, ac ab alio inuenta, forte etiam per imprudentiam aut impatiẽtiam exhibita peccatis ita publicatis, honorem omnem perdam & æstimationem. Certe Prodigus iste bonas habuit rationes: nam reuera opinio Nauarri, & complurium aliorum, quod confessio & absolutio per scriptum sint valida, post Clementem octauum, beatæ memoriæ, vix videtur teneri posse. Nam decretum fecit de decimo nono Iulij, anni millesimi quingẽtesimi nonagesimi noni, quo illam plane abstulit, damnauit, tanquã falsam, temerariã, & scandalosam. Et magnus noster Legislator S. Franciscus, multo ante Clementem simile aliquid damnauit: cũ enim quidã ordinis eius religiosus admodum probus, & vt videbatur deuotus, adeo esset obseruãs silentij, vt sacerdoti signis tantum non verbis confiteretur. Multis annis post veniens ad conuentum eius S. Franciscus, & eruditus de conuersatione commendari; dixit aliis: scitote istũ agendi modum tentationem esse diabolicam, cum is verè confiteri non velit. Et cum generalis adueniens ad visitandum S. Franciscum, vehementer Religiosum istum commendaret: crede mihi, inquit S. Franciscus, Frater iste Spiritu ducitur maligno & decipitur. Cumque id generalis non crederet, de homine cuius tanta sanctitatis essent signa, adiecit S. Franciscus, experire, dic illi: Frater bis aut saltem semel, vnaquaque septimana tibi confitendum est. Quidam quit Frater, imposuit digitum labello, sicut Anacharsis quidam resuscitatus, nutibus & signis abnuens, vllo modo hoc facere, ne silentium suum, quod tantopere amabat, rumperet: vnde & Generalis timens scandalisare hominem, reliquit eum in pace.

*D. Bonau. c. 10. vitæ S. Francisci. Chronicum Minorum lat. lib. 12. cap. 28.*

Quid accidit? Frater ita taciturnus, exiuit ab ordine, abiecto cucullo rediit ad seculum, viuens admodum misere in habitu laico, ac postmodum inuentus sæpe fuit à S. Francisci sociis iurans per fidem suam, qui

qui non tantum otiosis, sed & necessariis abstinuerat sermonibus, malens confiteri per signa, oculis sacerdotis, quam per verba auribus, iuxta morem Ecclesiæ Catholicæ. Non igitur sufficit signis confiteri ac scripto. Quamuis concedam, si forte mutus quis sit, vt S. Iohannis Baptistæ pater, si scribere nosset, aut gestibus conceptus bene exprimere, sicuti reuera quidam gestibus artificiosissime loquūtur, teneri ipsum confiteri per litteras, ac signa, & proculdubio satisfaceret confessionis legibus. Nemo enim obligatur ad impossibile. Non dico malum esse peccata scribere, ac ea sacerdoti ex scripto recitare, vt tanto integrior fiat confessio; & forte sic accidit quod fœmina, vt scriptor quidam doctus & pius refert, tradiderit peccata sua scripta S. Basilio, supplicans vt pro remissione intercederet: quod cum fecisset, omnia peccata eius apparuerunt deleta, excepto vno quod enormitate reliqua superabat, pro quo missa est ad S. Ephrem: cumque nihil profeciisset, & rediisset ad S. Basilium, inuenit eum mortuum. Quare dedit se ad lachrymas, & chartam in S. hominis pectore extendit, vnde eam postea recipiens, vidit etiam illud peccatum vt cætera deletum: bona ista mulier ideo forte peccata scripsit, vt ea ordinatius & integrius confiteretur. Ac vt visibili litura in charta, inuisibilem in anima peccati abolitionem, virtute sacramentali tanto clarius inspiceret, adeo forte fuit scrupulosa. Quantum ad me igitur, inquit Prodigus, *Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei, &c.* Scribere enim nec necessarium, nec satis tutum. Opinor denique ideo non dici quidquam scripsisse ad patrem, vt melius significet modum agēdi peccatorum, quibus Deus hic exemplar proponit, & Ideam formamque perfectam. Quamuis enim legatur Deus aliquādo scripsisse hominibus, vt cum tabulas Mosis digito inscripsit, & in Regia Baltasari inter cœnandum tria ista arcana verba parieti *Mane, Thecel, Phares*: & legem naturæ in tabulis cordium nostrorum, & ab æterno librum vitæ qui in cæli repositus est Archiuis, de quo Moses,

*Marc. Marul. lib. 4. exempl. cap. 11.*

*Dele*

*Dele me de libro quem scripsisti.* Item patentes quasdam remissiones, vt forte cum Carolus magnus absolutionem sequentibus verbis accepit,

*Ægidij merito Caroli peccata remitto.*

Et quamuis inueniatur Dominus noster scripsisse in terra, cum deprehensa in adulterio ad mortem peteretur muliercula; vnas etiam responsorias, ad Abgarum regem Edessæ, qui ipsi per Ananiam Ierosolymam petitorias destinarat, vt habet Eusebius (transumptas ex Archiuis dicti loci & Regis) nihilominus tamen non inuenimuntur sæpe homines scripto cum Deo egisse, sed verbis, tunsionibus pectoris, gemitibus. Tanta illa maiestas est, vt vbique adsit, nec necesse habeamus tanquam absenti scribere, ac tam reuerenda est, & nos ita nihil, vt in propria persona cum tremore illam adire debeamus, non arroganter per litteras; adeo etiam sapiens est & subtilis, vt etiam gemitus nostros intelligat, videat, & præuideat cogitationes, sine voce, sine signo, sine scripto. Et qui nostri singulis momentis ad Deum essent tabularij? tam cito preces nostræ ad Deum euolant, quam litteræ: quemcunque etiam imagineris cursorem.

*Euseb. Cæsar li. 1. hist. Eccles. c. 15.*

## II.

### *Vtrum Principes recte faciant scriptis & mediatoribus tractantes subditorum negotia.*

SEd ad hanc rem quæri posset: vnde hodie Principes fere & Magnates, Papę, Imperatores, Reges, &c. velint, saltem vt plurimum, petitiones, supplicationes, grauamina, scripto proponi, & per memonalia vt aiunt Itali? Ac vtrum non facturi sint melius, si ipsimet partes loquentes audiant? Respondeo primo. Consuetudinem istam non esse ab heri & nudiustertius, sed ab Imperatore Tiberio, sub quo Christus mortuus est, inuentam & imperatam: qui ita cupiebat fieri à populo, & ipse etiam scripto respondebat. Constantino oblati sunt libelli contra Catholicos Episcopos.

*Tranquillus in vita Tyberij.*

piscopos. Reges Galliæ ab initio libellos supplices bi fecerunt præsentari, cum sederent pro tribunali diudicium (vt inquit Vincentius Lupanus) dein Cancellarius substitutus est Regi, quãtum ad dicendum ius: & tandem cum Cancellarius non omnia posset, allecti sunt octouiri, ex quibus magnus aliquando fuit Budæus, liberalitate Francisci primi, & nomen habuit magistri libellorum supplicum, quos alij appellant *à libellis*, alij *ad libellos*, plures *scriniorum magistros*, vel *Principes*. Iustinianus etiam appellauit illos *Principes sacri laterculi*. Rex etiam Assuerus, maritus Hester, sic videtur voluisse adiri, cum ipsa Regina ac sponsa eius Hester, non sine vitæ periculo personaliter supplicatum venerit pro populo suo, iam morti destinato. Forte etiam Dauid hoc modo agere incipiebat, atque ita tractare Rempublicam, cum diceret Absolon plebeculæ: *Non est qui te audiat constitutus à Rege*, & vt tanto facilius patri eriperet coronam, in via stabat, ac porta; osculans, amplectẽs, & aduocans omnes qui Regis indigebant opera: optans fieri magnus Regni Iudex, & Cancellarius, dicens, *Quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & iuste iudicem.* Videri hoc posset aliquo modo, nisi fuerit, vt opinamur, calumniæ hominis ambitiosi, qui falso obtrectabat patri, vt eum induceret in odium, & suam eximinis eius strueret magnificentiam. Et hoc de priori.

*Vincẽt. Lupan. lib. 2. de magist Franc. or tit. Magistri Request.*

*Ibid.*

Quantum ad secundum. Dico simpliciter audire ore ad os, melius fore & diuinæ legi conformius: quæ licit, *Audietis paruum & magnum.* Quæ ideo etiam præcepit vt iudices sederent in portis, ac ibi instituerent tribunalia, vt omnibus concederetur audientia. Et Dominus noster iussit non prohiberi paruulos ad accedere.

*Num. 3.*

Videtur etiam magis hac ratione satisfieti populo, qui omnia Regum verba suscipit vt oracula. Ac ideo etiam personæ dicuntur publicæ, quia scilicet aures, ora, quicquid agunt, quidquid sunt, toti mũdo com-

municant. Hoc etiam monent Apophthegmata, quę præcipiunt magnatibus, *audi & alteram partem. Audi* dicunt, non *lege*. Sic & Regibus, alteram aurem seruandam actori, alteram reo. Idem & mõstrare volunt muliercula, quæ Philippo Regi Macedonum differenti de die in diem dixit aliquando, *si tu aut non potes aut non vis, dimitte sedem alteri qui me iudicet.*

Quis scit an non forte ea de causa Midas Rex Lydiæ asininas dictus sit habere auriculas, vt significetur Regem acutissime debere audire; qua in re excellunt asini. Et admodum verisimile ideo olim pictos fuisse Iudices sine manibus, sine oculis, vt significarentur nec accipere, nec legere libellos supplices, nec planctus curare. Quid? plebi multo melius sufficit, si aspectu & alloquio honorata Regis oracula ex ore ipsius audiat, quam si videat signaturam.

Irascuntur si non crebrius se exhibeat, quam imagines in quadragesima, aut Reges Orientalis Indiæ, maxime Rex Borneij, qui nemini nisi vxori & liberis loquitur, reliquis nobilem aliquem respondere iubet, per foramen & fistulam: quod & factum Regis Catholici legato, vt Indicę habent historiæ. Et apud Persas, persona Regis sub specie Magistratus occulitur dicit Iustinus historicus. *Iust. hist. li. 1.* Ad hæc etiam, quando nolunt sublato à subditis aspici oculo, quod de Regibus Æthiopiæ dicunt, Persiæ, Turciæ, Tartariæ; nonne rogare subditi possunt, habemus Regem necne? Hoc nimis est Deum æmulari, facere se inuisibilem, inaccessum, intractabilem. Cum contra vt Dei inuisibilitas suppleretur, dati sint Reges tanquam vice-Dei, vt ea ipsi visibiliter facerent, quę non conuenit vt Deus tam familiariter agat; non expedit hominibus tam sæpe videre & audire tantam maiestatem dicebat populus Israel, cum semel tantum Deum audisset, *loquere tu nobis Moses & audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* *Exod. 20.*

Quis ignorat quantum sæpe mali subditis adferat, quod ipsorum scripta & memorialia suppriman-tur, nonnunquam alio ablegentur, nonnunquam differantur.

rantur. Nocere ipſis etiam poteſt Regibus, quod adeó ſint inacceſſi, ita ineffabiles. Miſer Burgundiæ Dux Carole, proh dolor plus habuiſſes fortunæ, plus honoris, Ante Nancæum, ſi infœlix Ciphronius, Campobachi proditoris tui ad Lotharingũ internuncius, complex proditionis, captus & in veſtigio ſuſpendio adiudicatus, permiſſus fuiſſet tibi loqui ante mortẽ: vidẽs enim Ciphronius rebus ſuis expedire, petiit per nobiles admitti ad colloquium Ducis, aperturus quę ere cõmuni eſſent: iuſſus à Duce ſignificare per alios ąuid haberet, qui opinabatur nihil quam vitam ſuã petiturum, maxime inſtãte Campobacho proditore, ne audiretur, etſi multi pro audientia intercederent. Timebat enim Campobachus accuſari apud Principem proditionis, a Ciphronio: vnde & Tribuno militum imperauit acceleratę ſupplicium, atq; ita mortuus eſt cum maximo Caroli detrimento, quod, vt ait Philippus de Comines, facile euitaſſet, ſi humanior, facilior, & ad audiẽdum Ciphroniũ fuiſſet paratior, qui ipſi omnes proditionis ciferas recalculaſſet. Negato enim aditu, tempus dedit Campobacho pertexendi quam orſus erat in Italico itinere proditionis telam, vt ſc. Ducem aut viuum traderet, aut cæſum: quod & accidit. Obtruncatus enim eſt ante Nancęũ, anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Vtinam tum vt conſueuerat antea, egiſſet. Dicit enim Cominei in Latinũ verſor, *ſuorum negotia & controuerſias cognoſcebat ipſe, & liberaliter eos audiebat.* Hæc prę verbali Principum cum ſubditis actione.

*Philip. Comin. lib. 7. hiſtor.*

Nonne ego tamen ob bonas etiã rationes ſcripto aliquando cum Principibus poſſe agi: quamuis enim præcipiat lex Diuina, *Audietis paruum vt magnum*: nõ ita rigide accipiendum, vt Iudex ſemper teneatur accommodare os, & aurem: ſed hoc ſolum, ſiue ſcripto, ſiue viua voce fiat, nõ minus in ea re fauetur pauperi, quam diuiti: ac forte etiam quod in iudiciis nõ aliter audiendus ſit dives, aliter pauper; dives ſc. loquens, & viua voce cauſam agẽs, paupere loqui nõ permiſſo, ſed ſcripto tradere ſi ąd habeat dicendũ. Quaſi dicat,

Leuit. 19. *non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis.* Si magnis apud Regem sit loquendi potestas, & paruis: si magnus scripto agit, agat & minor: *audietis*, id est tractabitis, *magnum & paruum*: sed proh dolor accidit hoc S. Iacobi, vt diuites sedeant bene, pauperes stent; toga holoserica ante forum seventilet, lacera ante ianuam aut fenestram.

Num. 3.

Iacobi primo.] *Fratres mei nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ. Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste cãdida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum qui veste preclara indutus est & dixeritis ei, tu sede hic bene: Pauperi autem dicatis, tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: Nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis Iudices cogitationum iniquarum?*

Inter rationes autem quibus putẽ scripto agi posse, ecce hanc primam. Propter varietatem nimirum idiomatum in prouinciis quibus Reges præsunt, quarum tantus nonnonquam numerus, vt singularum linguas Reges scire nequeant. Non omnes Pontifices non omnes Reges, adeo felices sunt vt Mitridates rex Ponti, qui duarum & viginti nationum linguis loquebatur. Non omnes habent tam felicem Pentecostem, vt cum Apostolis omnium linguarum donum accipiant: nec vacat ipsis, nec expedit, tempora rebus magnis necessaria, minimis discendis impendere, ac subditi sæpe linguam non callent sui Principis, vt eum alloquantur, & negotia explicent, atque ideo quod volunt scriptum porrigunt, & Principes eo respondent scriptim idiomate, quod commode alloquantur & sic vtrimque commodius scripto agitur quam voce.

D. Chrysost. apud Mich. Glycam. par. 3. Ann.

Ideo etiam ne forte Principi quidquam excidat, minus pensiculatum, quod alioqui in multiloquio, cauere impossibile; ne sic in vilipendium labatur princeps. Non aliter ad populum loquendum est Principi, aiebat quidam Græcus, quam si ageret in tragœdia. Princeps scripto respondens certiori rem

examinat

examinat iudicio, propter scriptionis moram, quã faciat respõdens ex tẽpore. Nõ omnib. æqualis est prõptitudo, & iudicandi felicitas. Magnus beatæ memoriæ Henricus Quartus mirabilis fuit ea in re, ac propepotuit omnia, magis ingenij alacritate quam lectione librorum: acute, argute, lepide, vt cum ad diruendam pyramidem staret in procinctu, ac magnæ authoritatis quidam Dominus illi diceret, Rex hæc tui amore exstructa est, amore etiam mei ait destruatur: & alter ministri tui illam erexerunt: magister, inquit, poterit ergo libere euertere. Sed vbi secundum habebimus Henricum?

*Vide consolationem P. Richeomi ad Reginam pag. 28. vsque 35.*

Illa etiam causa subest, ne inconuenienter & cum damno respondeat personę suæ, aut status, aut supplicantis: si coram agat abreptus aliquando affectu, qui animum turbet, vel effuscet rationem: non enim magis Reges, quam nos mortales, eximuntur passionibus. Si enim quis ipsum inuenerit tristem, aut iratum, aut importuniore affatu exasperet; verbale responsum adeo posset reddi seuerum, ac sæuum, vt & Regem, & sollicitantem, & totum regnum pœniteret. Respondens autem scripto, tempus habet componendi animum & moderandi responsum, subsidente cholera & effigerata bile. Quid, si qui suadebat irato recitare alphabeta, antequam quicquam ageret, vt intermedio tempore subsideret animus, credidit tantillum spatium iuuare ad extinguẽdam choleram, nonne Principis abitus in cameram, scripti relectio, de eo consultatio, apostillatio, ac subsignatio, nonne multo poterit amplius? quis dubitet? Aut si quis ipsum inueniat bonis nuntiis gaudentem, aut liberalius inuitatum, vt probabiliter in die natiuitatis constitutus erat Herodes, promittere posset dona immensa, regno præiudicãtia: forte dimidium regni, caput innocentis, vt fecit Herodes, aut dare vitam ei qui nec viuere, nec nasci debuit. Scripto vero agens, digesto quo madebat vino, remittente nonnihil immoderata lætitia, nihil etiam facturus est immoderate. Magnus Alexander nonne temulentus ad preces

Scorti, ferro & flamma vastauit Persepolim, ipse cum suis facem ferens ardentem. Lucius Quintius Flaminius Romanus, nonne caput captiuo truncauit vino & amore calidus, in gratiã Scorti? Nemo credat quãtum ad impetrandum valeat oportune vel importune veniſſe. Cum mens ſerena eſt, cõmodum eſtagere.

*Plutarch. tom. 1. vit. in Q. Flaminio.*

*Cic. de Senect.*

Virg. 4. Æn.] *Sola viri molles aditus & tempora noras.*

*—Et quæ molliſſima fandi Tempora.*

Etiam, Ne Reges, dum per otiũ vnumquemq; audiunt, loquentium eloquentia peruertantur. Facundia enim quorundã adeo mirabilis eſt, adeo neruosa, adeo incantatoria, vt nec ſerpentes magis Marſicorũ populorum carminibus, nec nautæ tinnula ſirenum harmonia ſopiãtur ac ligentur, quam corda Regum artificioſa dictione. Cultus ſermo, blanda pronuntiatio, cõmodus geſtus, appoſita actio, tormentũ quoddam ſunt auditorum & tyrannis, neſcio qua latens ſuauitate: quo populares non tãtum corporis & cordis illaqueãtur aures, ſed & Regis quo lubet ducũtur, non ſecus ac ſi manu in collum iniecta, libera in ſeruitutem abigeretur voluntas: imo vero ſunt qui tantum dicendo valent, vt etiam quæ cum iuramẽto negata ſunt, ſuauiloquio & verborum compoſitione extorqueant: non redeũt niſi partem aut pennam referant. Phiſiſtratus filius Hippocratis eloquẽtia Monarchiam Athenienſium inuaſit; quæ tãta in illo fuit, vt miſeri Athenienſes, faſcinati quaſi & dementati, libertatem quam tantopere amabant, dimitterent.

Nunquãne legiſtis quomodo ſuauiloquio dominus noſter Phariſæorum ſeruis manus ligauerit, qui ad ligandum ipſum venerant: reſpondent heris ſuis *Nunquam homo ſic locutus eſt.* Quã dicendi gratiam nõ dubito externa eius ſpecie multum fuiſſe auctam, quã ſpectatores omnes & amarent & timerent. *Vultũ habens venerabilem quem poſſent intuentes & diligere & formidare*: de eo ſcribit Lentulus ad Senatum Romanũ.

Ad idem propoſitum memini aliquãdo de magno viro legiſſe, cuius quamuis omnia mea collectanea, omnes memoriæ angulos luſtrarim, nominis recordari

dari non possum: qui tantopere vnius ex suis formidabat eloquentiam, vt diceret *omnes alij verbis mecum agere possunt, tu solum scripto.* Pyrrhus Rex adeo fertur fuisse differtus, vt quidlibet cuicunq; semel colloqueretur persuaderet. Vnde & Romani, quo ũ in negotiis magna prudentia, statuerunt ne quis ipsorum legatus ad ipsum, cum Pyrrho Rege aliter quã per interpretem ageret. Quotquot enim ad ipsum destinabantur legati, ipsius redibãt procuratores: adeo animos ipsorum dicendo commutarat. Magnates igitur subditorum voces vt scopulos declinent, cera opplẽtes auriculas, ne audiant, vt Vlyssis socij: oculos aperientes, vt postulata legant, ne carminibus Circes & verborum gratia incantati obtorto volentes nolentes rapiantur collo: forte & ideo; quia Principes omnibus quæ petuntur consentire nõ possunt: non enim omnia omnibus concedenda sunt; atque ita cum minori rubore recusant: nihil enim sentiunt chartę, nec erubescũt scripta. Et hoc commodissimum ad inuisa declinãda responsa. Sed duas etiã alias graviores arbitror subesse rationes, tutelam scilicet vitę & honoris. Vitæ quidem; ne lõgis sermonibus otiũ detur & spatium parricidę, aut sicario, vt ad arbitrium feriat: traditur enim solũ in transitu libellus supplex, nec datur tempus certum figendi ictum. Et dein mutuus sermo hinc inde aliquando indignationem concitat, libellus supplex porrectus, nõ lectus, non exasperat Regẽ, nec malo responso irritat subditũ, quod paucis alioquin sæpe fit verbis. Honoris: ne quis in faciem ipsis iniuriã faciat, & auribus ipsorũ sit grauis: quot enim Principes à subditis videmus contumeliose habitos? Imo de captiuis, cum ad colloquium admittuntur idem legimus: forices etiam Elephantem exasperant, inquit S. Basilius. Nunquid atrociorem vis, quam iste stius mulierculę, quam propositi aliquoties in Philippum Macedonæ Regem. Alexander magnus cum aliquãdo piratã ipse dãnaturus, rogasset cur infestaret maria? audiuit, & tu cur totum prædaris orbem? Ego qui parua cymbula, hic illic piscor aliquid, pirata di-

*D. Aug. lib. de ciuit. Dei ca 4. Et Nonius Marcell. ex Cicer. lib. 3. de Repub.*

ta dicor: tu vero Rex potentissimus, quia mille nauibus, & tota classe, maria nauigas & spolias, & totam tuo terram subiicis imperio. Et quia reliquis potentior es, Imperatoris nomine gloriaris. Ac si dicere voluisset; inter piraticam meam, & tuum imperium, nominis quædam nulla rei differentia est: nisi quod minus mea quam tua obsit prædatio. Vnde & Alexander, intelligēs se nihilo meliorem, ac Deo non minus pœnæ, quam ipsum hominibus reum, & potentia tantum humanis legibus exemptum, erubuit tali occursu plectere piratam, & ipsum impune dimisit. Imo vero homunciones inuenias similes auiculæ, quam Taurum appellant, quæ etsi modica sit, imitatur tamen mugitum boum; sic & illi, etsi nani & perpusilli, grandi tamen celsoque sunt corde, quod ipsum sex septem cubitos supra caput ascendit. Regibus loquūtur, & Satrapis. Homines videas qui nihil nisi vox sunt, vt de Philomela dicebat Lacedæmonius, cum illam deplumatam corpore vidisset, tam exili, cuius vocem tam sonoram tam audierat infatigatam. Homines inuenias, qui nec velint, nec possint etiā apud dominos suos tacere. Imo si ipse Deus in terris ageret, non vererentur ipsi in faciem obloqui. Alij fiducia, innocentia, alij rerum desperatione. *Heu quam timendus est, qui mori tutum putat*: ille enim vitæ alienæ dominus est, qui suam contemnit. Consuetudo igitur agendi cum magnis per scripta, non videtur improbanda, dummodo aliquando audientiam faciāt, & verba litigantium audiant: dummodo diligentes sint in respondendo, & libellos supplices non ex paxillo suspendant, vt nonnulli Aduocati causas litigantium. Alioquin enim ipsis euenire potest quod Demetrio, qui cum magnum libellorum supplicum numerum in sinum pallij collegisset, transiens pontem omnes proiecit in præterlabentem amnem. Videntes autem subditi se contemptos, odium conceperunt tam capitale, vt exercitus ad Pyrrhum Regem transfugeret, ac ipse sine vi, sine ferro regno exueretur.

*Plin. lib. 10. cap. 42.*

*Mimus Publianus.*

*Plutarch.*

Quid?

Quid? quem Deus vt vicarium ſuum inter homines collocauit, illũ ſe dedignabitur monſtrare populo; nec magis quam ipſe Deus ad audiendas eorum iuſtas querelas accommodabit aurem; ille non dedignabitur oculos aperire, vt ſupplicationes legat, nec ttes mouere digitos vt ſubſcribat ac reſpondeat? Ergone de nihilo eſt quod populus Regem voluerit? nonne ideo vt in pace contineretur ac iuſtitia? Ergo negratis, an tali de cauſa tributa præſtamus? Ergone ſtra tantus pauperum & mechanicorum ſudor, anta pars lucri mercatorum in ipſorum confertur raria? Nonne vt emantur quaſi & conducantur vt publicis negotiis ſeruiant, vt à capite à vita ſubditorum, ſuo etiam periculo mala amoliantur? Nam ſi neceſſe eſt, *bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*: vt publici ſint tam paruis quam magnis communes. Reges ſi bene ſtatum ſuum intelligant, nihil ſunt quam Reipublicæ ſerui honorarij. Antigonus Rex nonne regnum *ſplendidam appellabat ſeruitutem*? Quales ergo ſerui ſunt, qui liberaliſſime & diutiſſime ampliter habiti, nec præeſſe volunt, nec audire, nec legere, nec reſpondere.

# CONCIO XX.

*Græca.* 8. Ἀναστὰς πορεύσομαι πρὸς τὸν πατέρα μου καὶ ἐρῶ αὐτῷ
*Vulgata.* 8. *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei.*
*Syriaca.* 8. *Surgam, proficiscar ad Patrem meum, & dicam ei.*

## ARGVMENTVM.

*Dicemus hodie*
1. *Quod Prodigus noster propter intercessores ipsos, bono iure eis noluerit uti.*
2. *Quod propter personam propriam, quominus uteretur iustas habuit causas.*
3. *Quod benefecerit non uiendo, sed per secundo propter respectum patris.*

## AVE.

### I.

*Quod Prodigus noster propter intercessores ipsos, bono iure eis noluerit uti.*

QVANTO magis factum infelicis Prodigi cribro, tanto plus pollinis mundio. Quanto magis ad lapidem lydium examino, tanto magis consilium eius probo, vtipse sine præuiis litteris, recta vadat ad patrem, non aduocatis intercessoribus seruulis, non cognatis, non amicis. Imo vero, dilectissimi, multo sic egit melius, adeste si placet, intelligite rationes. Rationes ipsi fuerunt variæ, aliæ ex parte intercessorum, aliæ ex parte sua, aliæ ex parte patris. Agamus primo de iis quę ex parte intercessorum. Prima fuit magna, nec male fundata, diffidentia: nihil credebat fratri, seruis; non tam ab illis sperás auxilium ad purgandam causam satis malam, quam omnem industriam ad auertendum à benignitate patrem, ne vnquam in gratiam & ædes ipsum reciperet,

&

si ipse quam maxime redire vellet. Ingessissent pa-
ti plurima, quæ nunquam alias sciuisset, exaggeras-
sent vera, pinxissent falsa, calumniis, coloribus, facta
infecta imposuissent omnia. Atq; hæc ob oculos pro-
posuissent patri, ne potius feretrum, quam senectutis
baculum sub tectum reciperet.

Fratris ingratia satis certa, satis euidens: qui etiam
post factam transactionem exultantibus in reditu o-
mnibus, indignatus est gloriæ ac triumphi fratris, ac
cum pater ipsum lenire studeret, fratris sui spurcitias
ipsi intriuit exedendas: dicens admodum odiose, *Post-
quam filius tuus hic, qui deuorauit substãtiam suam cum
meretricibus, venit*, &c. Vbi singula fere verba acu-
leum, fel, & venenum habent.

Notate verba singula, quam belle coagmentata
sint. *Hic*, dicit monstrans digito; forte etiam infami,
(norant docti quam & cur hoc probrosum) non di-
gnatus ipsum suo nomine quod in circumcisione ac-
ceperat, Iohannis, Petri, Pauli, &c. nec fratris. *Velut
etiam hic publicanus.* Et filius tuus etiam tuum corcu-
lum, tuæ delitiæ, tui oculi, quasi solum ipsum curasset
pater, reliquis neglectis vt spuriis, & hoc secundũ. Qui
*deuorauit*, quasi lupus omnia; *deuorauit* dicit, non po-
tuit odiosius. *Patrimonio non comesto sed deuorato*, dicit
Cicero de Sallustio, & hoc tertium.

*Cic. Orat. respons. in Salust.*

Substantiã suam, Græca plus energię habent. Quę
dicunt *substantiam tuam*, vnde Arrias Montanus, & E-
rasmus, bene vertũt aliena tanquam sua: iam tuis re-
bus dominans, quasi *patre nondum mortuo, pro hærede
gessit omnia*, & hoc quartum. Græcus etiã & Arrias ex-
primũt amplius: σȣ τὸν βίον, *tuam vitam*, i. vnde tibi cõ-
mode in senectute viuẽdum erat; quo vitam tuam nõ
parum imminuit, & hoc quintum.

*Vitam tuam*, i. quod tanto sudore peperisti, tãta fa-
tigatione & vitę incommodis, & hoc sextum. Insuper
*cum meretricibus*, non cũ lepidis bellisq; hominib. nõ
cũ honestis matronis, sed cũ prostitutis, & hoc septi-
mum. *cum meretricibus*, cum obsoletarum grege, cum
integro taliũ agmine, nõ vna cõtentus, & hoc octauũ.

Ah

*Cant.8.* Ah quantum potest inuidia, *dum dura sicut infernus æmulatio!*

Quomodo igitur tali fideret fratri, quem forte sæpe inimicum expertus erat, & fecerat, irritans ipsum domi, quem stimulabat auaritia? *Quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames?* Habendi cupiditas multas seminauit inter fratres discordias.

*Fraterno primum maduerunt sanguine muri.*

Tali aqua cœmentum primorum mœnium temperatum est. Romulus enim vt solus exiguo & nascente adhuc potiretur Imperio, fratrem occidit, dicio quo prætextu transgressi valli. Sibi quisque proximus.

*Virg. lib. 3. Æneid. Lucan. Pharſ.* Terent. in Andria Act. 2. Scen. 4.] *Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet: omnes sibi malle melius, quam alteri.*

O quam paucos inueniemus cognatos, & fratres qui dicerent cum Cicerone.

Cicero Orat. in Sallust.] *Mea res familiaris multo mihi minor, quam habere dignus sum. Atque vtinam ne tanta quidem esset, quanta est, vt potius amici mei viuerent, quam ego testamentis illorum locupletior essem.*

Certe rariores sunt illi clauis aureis per viam spargis, aut pleniluniis.

Paucos inuenias fratres similes Cleomeni Lacedæmonio, qui fratri suo communicauit regnum: paucos inuenies ita religiosos, vt Dagobertus Rex Franciæ, qui fratrem Aripertum in societatē regni assumpsit, concedens ipsi Aquitaniam. Pauciores etiam similes Polluci, filio Ledæ: quem aiunt ita amasse Castorem fratrem suum, vt cum ipse immortalis esset, immortalitatem cum fratre diuideret, vt alternatim scilicet viuerent ac morerentur.

Virg. 6. Æneid.

*Fratrem Pollux alterna morte redemit.*

Contra vero vbique inuenias Etheocles & Polinices, qui mutuis pro regno conciderunt vulneribus: Caynos inuenies, æmulos fraternæ & Abelis gratiæ; & Esauos vsque ad mortem fratribus suis paternam bene-

nedictionem inuidētes. Fratres similes filiis Iacob, Iosephum natu minimum, *videntes quod à patre cunctis filiis amaretur, oderant, nec quicquam poterant ei pacifice loqui.* Genes. 37.

Atque verum est illud Poetæ, *fratrum quoq; gratia rara est.* Quantum apparet, talis fuit frater Prodigi, fratrem amans parum, diuitias nimium, sperans hæreditatem ex asse, quam non consequeretur reducto in domum & gratiam fratre. *Armatur gemina face homo pecuniæ cupidus; auaritia, vt rapiat aurum, impietate vt non videat germanum.* Ouid. lib. 1. Metam.

Dici posset de ipso vt quondam S. Leo de Tyranno dicebat Decio. D. Leo serm. in natali S. Laur. Luca. lib. 1. phars.

*Impatiens consortis erat.*

Rebus itaque sic constitutis, hinc quidem fratris inimicitiis, inde insatiabili auaritia, quis adeo stolidus vt suadeat Prodigo, talem quærere ad patrem mediatorem: hoc demum fuisset *ouem lupo committere*, conuocare auxilia, & aquam & ignem accendere.

Sed cur non adhibuit aliquem ex seruis, qui plusculum valebat gratia? habuit proculdubio cur & illis diffideret: vitam forte antea satis insocialem, cædens vnum, vulnerans alterum: aliis comminans, alios accusans, forte sæpe in causa fuit cur miseri serui fierent vlmei, cur plecterentur, coniicerentur in compedes, in carcerem eiicerentur, &c. *Pone crucem seruo* frequens ipsi erat in ore; non magis tractabilis quam ignis aut virga spinea: quidni? Cum ita patrem grauaret senem, & mansuetum, forte eum iam subuereri incipiebant, ne cerebrosus & ferreus ipsos ad necem diligeret, ac domini sui dies breuiaret: timeat multos quem multi timent; nam *quem quisque odit perisse expetit.* Iuuenal.

Ad C. Cæsarem de Rep. ordinanda apud Sallust.] *Non arbitror quemquam multis metuendum esse quin ad eum ex multis formido redeat.*

Senec.

*Timet timentes, metus in authorem redit.*

*Multis*

*Multis terribilis, caueto multos.*

Ouid.

*Multa miser timeo, quia feci multa proterue.*

Sallust. de bello Iugurth.] *Ex mala conscientia digna timere.*

Genes.] *Manus Ismahelis contra omnes, & manus omnium contra eum.*

Macrob. lib. 1. Satur. c. 11.] *Non potest amor cum timore misceri.*

Quomodo igitur pro ipso intercederent seruis? testaceis ollis cum cacabo nulla societas. Timēt impactiones, quas antea senserant. Timebant eum vt oues lupum, columbæ accipitrem, vt fulmē. Quorsum dicerent, reuocabimus turbidum istud caput; quid periclitari volumus nostrā pacem? si ipse reuertitur, ingratitudine ac duritie eius expellimur. *Qui sta bene non se muoue*, dicunt Itali: seruat locum sapiens quo sedet cōmode. Ipsumne iuuemus, pro ipso intercedamus, ipsumne conciliemus patri? absit hæc stultitia, facius tentare quidlibet, & hic *si non satis feurit instiga*, dicebat alter alteri. Vtinam discerpendus daretur nostris dentibus? *Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius vt saturemur.*

*Cicer. lib. 2. Offic. quem metuunt oderunt, quē quisq; odit perijsse expetit.*

*Terent. in And.*

*Iohan. 31.*

Psal 40.] *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.*

Citius ad fratrem eius ibimus solicitatum vt reditum eius auertat.

Nec adeo insulsus Prodigus vt non suboleret illi aliquid tale. Consciētia agitat, nec sinit bene sperare, nisi innocentem: *suus cuiq; animus ex conscientia spem præbet.* Scribit quidam Iulio Cæsari. Pub. *In malis sperare bonum nisi innocens nemo solet.* Et beneficium qui dare nescit, iniuste petit. Adire igitur seruulos, & illis committere negotia, esset oua gallo supponere. Bene igitur abstinuit ab illis, & recta se contulit ad patrem.

*Apud. Salust. Orat. ad C. Cæsarem de Rep. ordinanda.*

*Virg. 2. Æneid.*

*Cui neq; apud Danaos vsquam locus, insuper ipsi*
*Dardanidæ infensi pœnas, cum sanguine poscunt.*

Sed ponamus nec fratrem, nec seruos, ipsi adeo vt fin-

fingimus infensos, ac ipsis amicis charum.

Nihilominus dico non sine ratione potius iuit ad patrem, quam ipsorum implorauit auxilium, propter perfidiam quæ frequens est inter aulicos, Agentes, Procuratores, in peruentores suos vt illos S. Augustinus appellat: non semper agunt bona fide mediatores quod ipsis concreditur: sunt qui vtraque accipiant manu. Sæpe qui magnum in nos fauorem præferunt, & negotia promouere respondent, nihil optant nisi vt omnia eant pessum: *fronti nulla fides*, vultu difficile hominem nosse, nisi momi fenestellam in pectore habeat, & spectantes oculos ad cor admittat: nec Dij sumus, vt arcana omnia & abyssum humani cordis perscrutemur, vbi plures amphractus sunt, flexus, & reflexus, quam in quatuor simul Plinij labyrinthis. Hic montes promittit aureos, auxilia omnia, nec ferreos præstiturus, nec digitum moturus, nec pedem. Quare nihil melius quam sua per se curare. Qui dat procuratione suo equo, sæpe ipse sequi debet pedes: si oculus domini saginat equum, præsentia supplicis accelerat negotia.

*D. August. de consensu Euang. cap. 20.*

*Iuuenal.*

Bene etiam dixisse mihi videtur, *surgam*, & *ibo ad patrem, & dicam ei*, &c. Non aduocato interceßore vllo, propter potentiam aut fratris, aut seruorum, aut amicorum, aut omnium. Agentes enim quidam, etsi homines, quorum res tractant, satis diligant, ac bona fide procedant, timent tamen nonnunquam incidere in odium illorum, ad quos missi sunt: quia nimirum illi quorum causam agunt, nimio flagrant odio; & accideret nonnunquam vt importune importune bona tamen fide agentes, omnem inimicitiæ tempestatem in caput suum accerierent, quasi faueant illis pro quibus intercedunt: atque hoc sæpe torporem & teporem adfert agentibus. Nõne quidam dicunt? Nunquam mihi erit amicus, qui pro hoc aut illo me adierit. Dauid antequam esset Rex, adeo erat inuisus Sauli, vt si quis alius præter Ionathã de illo locutus fuisset bona, demonstrans

suspicio-

suspicionem de illo esse iniquam, seruitium fidele, nihil peccasse eum qui cum periculo capitis Goliam strauisset, qui tam bene de regno esset meritus, tam probe expletis officiis, proculdubio nō minus quam Ionathas incurrisset inuidiam, nec ideo fuisset meliori loco Dauid. Christus Iesus suo tempore tam fuit odiosus Iudæis; maxime Pharisæis, vt cum de vno sabbathis cæco restituto inquirerent, parentes cæci iam videntis quod res esset, profiteri ausi non fuerint, sed relegarunt eos ad ipsum cęcum, *quoniam timebant Iudæos*: conspirauerant enim vt si quis ipsum confiteretur Christum, fieret extra synagogam. Filius etiam libere quod acciderat dicens variis impetebatur maledictis: *Maledixerunt ergo ei, & dixerunt tu discipulus eius sis.* Cumque ipse medici sui Christi innocentiam regeret, appellarunt eum *in peccatis natum totum*, & eiectus est de synagoga. Historia est apud S. Iohannem. 9. capite. Quid? discipuli qui post mortem causam ipsius fouerunt, nonne lapidati sunt vt S. Stephanus, flagellati vt S. Paulus, decollati vt S. Iacobus, capti vt S. Petrus, omnes tractati pessime? Et vnde omnis illa in martyres effusa crudelitas, nisi quia pro Christo agebant, adeo ipsis inuiso, vt vel solum nomen bilē moueret? Cur Prophetæ, Elias, Esaias, S. Iohannes Baptista, tanta passi sunt? & cur nos concionatores aliquādo tam male excipimur, nisi quia pro Deo, pro virtutibus agimus, quas peccatores oderūt? In nos faba cuditur, & omne virus in concionatorem euomitur, si verbum mutiuerit.

*Ioan. 9.*

Videte cur ignaui quidam muti sint in materiis odiosis, in plausibilibus linguis loquentes Angelorum; nihil agentes, aut admodum parum pro Dei & Ecclesiæ causa, minus etiam pro conuersione peccatorum.

Quid in nos inquiunt, concitare volumus populum, principem: aliæ non desunt materiæ de quibus pulchre & sine periculo discurramus, transeant ista. Primo inquiunt, qui viuere vult, tacere debet, ac aliorum vitam omittere. *Audi, vide, tace, si vis viuere in pace,*

pace vt habet prouerbium sumptum ab Arsenio: atque ita in rebus seriis iocantur, rogantes vtrum non intelligamus gallicinium hoc, *qui viuere vult, tanat.*

Ah delicati martyres, qui nihil pro Christo, tanto amico sustinere volunt; nec vllum quidem pro amica veritate rumorem. Sed non agnoscet etiam illos coram patre: *qui me erubuerit coram hominibus, erubescam & eum coram patre meo*: tantum pro tanto; hostimentum. Qui viuere igitur volet, tacere non debet, mordendum vt viuatur. Sæpe mediatores timuerunt vbi non erat timor, ac fingunt illos, quorum causas suscipiunt, magis quam reapse sint, exosos: aut illos apud quos acturi sunt, magis implicatos & difficiliores, quam sint reuera: & panico isto terrore, & falso metu, nouit Deus quomodo supplicum aliquando negotia gerantur. Prodigus itaque hæc omnia metuens, melius ipse sibi apud patrem factus est patronus. *Panicus terror Prouerb.*

Propter prætensam etiam spem, quam quidam pro se aut suis habent, mediatores, negligentius aliquando credita procurant negotia; intelligentes enim gratiam suam apud Principes, & amicos non esse infinitam, & perpetuam, vt obtineant quidlibet, & liberalitatem Principis & amicorum esse limitatam, vt nec velint, nec possint omnia concedere, prospiciunt etiam rebus suis, aut propinquioribus amicis, ne scilicet aliquando in maioribus causis, exhausta Principis gratia indigeant. Prudenter hoc quidem iuxta seculum, vt faciant sibi cisternam necessitatis gratiarum Principis, & emittentes quasi per tubam, & epistomia fauores, vt reliquus torrens impetu de Libano ruens, aut montibus Italiæ, in se suosque copiosus veniat, & ipsi pleno impetu fruantur. Non audentes vix huc deducere riuulum & illuc, timentes ne diminutione ista, guttatim rarescentibus fauoribus arescant. Parci sunt in alios gratiæ Principum, vt ipsi prodigalius inde viuant. Quid, inquiunt aperire aditum ad Principem alteri, est seipsum excludere. Timent audire quod Esau ab Isaac, qui Iacobo benedixerat;

Geneſ. 27. xerat; *Venit germanus tuus & accepit benedictionem tuam.*

Dedi quæ habui danda; ſic nonnulli operam ſuam promittunt ad obtinendam veniam, aut lucrum, & nihil agunt, aut ita ſegniter, vt magis recuſare quam poſtulare putentur. Non inſtant ad primum contenti repulſam. *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis.* Iacob 4.

Et nonnunquam accidit vt Principes ſua ſponte ipſis dicant, cur pro te non loqueris, aut tibi propinquiori cur te non commendas? Nam hoc deterius talem admouere interceſſorem, in officio, aut beneficio, qui non loquitur niſi pro ſe, nec quicquam intendit, niſi alterum excludere, ſe inſtallare & inuehere. Miſeri homines, ita ſperatis excidunt beneficijs, quia eos applicuerunt operi, qui facti competitores, ea rogarent & obtinerent ſibi. Quot amatores prædam & matrimonia perdiderunt, quod conciliatorem hunc aut illum miſiſſent, qui rivalis factus excluſit ſocium? *Nuſquam tuta fides*, vbique fraudes. Ne igitur in tales incideret, qui ſub aliena ſuam cauſam agerent apud patrem, nec ita interceſſuri erant vt oportebat, optime dicit: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei*, &c. Virg. 4. Æn.

Fœmina ſine maſculo, ſpes ſine experimento, & labore, nihil boni gignit. Quis mea negotia fidelius curabit & ſtudioſius, quam ego? male procedunt bella, quæ per vicarios adminiſtrantur.

Sed concedamus ſimulatos non fuiſſe amicos, nō timuiſſe inimicitias pro amico, non quęſituros Principis fauorem ſibi: nonne ſocordiſſima humana eſt negligentia, torpor in negotiis, procraſtinationes, conniuentiæ? Ad hæc requiruntur potentia, ſeu opulentia, patientia, & diligentia.

Et quomodo in alienis curandis hæc non interueniant, cum cōtingant in propriis? Nam inuenias homines apud quos litteras tuas clauſas inuenias, 3. aut 4. die, poſtquam acceperint. Patrum noſtrorum temporibus Dominus de Beutiers, viſus eſt Thurinum perdere, Vide Mich. de Monte li. 2. cap. 4.

rdere, quia ſedens in conuiuio neglexerat inſpicere elationem proditionis, quam machinabantur vri, cui præerat. Saluus fuiſſet Iulius Cæſar, ſi vadens d Senatum legiſſet ſcriptum oblatum illo die quo æſus eſt. Idem dici poſſet de Archia Tyranno Thebano. Et quomodo hæc non accidant in humanis, cum frequens ſit in diuinis, quam negligenter nonnulli pro populi ſalute apud Deum orant, cuius peccata quotidie comedunt? Atque ideo conſtituetur dies repetundarum & iudicij, actum contra eos clamabunt populi bene deuorati, male conſolati.

D. Bernard.

Quomodo particulares & priuati homines de Agentium negligentia non conquerantur? cum ſæpe Reſpublicæ à tutoribus ſuis habeantur parum fideliter? quomodo humana non tractentur ſegniter, cum & diuina tam ſomnicoloſe obeantur? ſed magno Agentium malo. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter, alij negligenter.* Nec ſæpe vlla maior negligentia eſt, quam cognatorum, qui veniam ſibi facile à cognatis promittunt.

Terent. in Andr. Act. 1. Scen. 1.

*Mulier quædam abhinc triennium,*
*Ex Andro commigrauit huc vicinia.*
*Inopia, & cognatorum negligentia*
*Coacta, (Chryſis ſc. ex Andro Athenas cõmigrauit.)*

Procuratores & cognati dicunt ſæpe,

*Cras hoc fiet, idem cras fiet,* *Perſi. 5.*
*Sed cum lux altera venit,*
*Iam cras heſternum conſumpſimus.*

Cras cras & ſic nihil fit. Quos autem negotia ipſa oncernunt, melius aduigilant, intererat vero maxie Prodigi reconciliationem ſuam diligenter accuari. Nemo igitur maiorem diligentiam & ſolicitulinem illuc erat allaturus. Ideoque melius neminem uo loco mittens ipſemet vadit. *Surgam & ibo ad patrem, & dicam ei, &c.*

Ouid. ** ipſe fui.*

*Ipſe eques, ipſe pedes ſignifer* & ipſus ero* *habet Ouid.*

* *Ex quadã adolescentia meæ paranesi.*

* *Dux vero, miles ero, Duce me, me milite, solus Bella geram.*

Ecce rationes aliquas ex parte intercessorum, quæ Prodigum mouerunt iis non vti: nunc autem videamus quas habuerit rationes ex parte personæ propriæ.

## II.

### *Quod propter personam propriam quo minus vteretur iustas habuerit causas.*

NEcessitas itaque nimium vngens, periculum in proximo, mors videlicet præ foribus (*ego autem hic fame pereo*) non permiserunt euntem & redeúntem expectare nuntium, forte diu hæsurum, aut cum conditionibus reuersurum: vt ita bis ter vltro citroque cõmeandum esset. Interim ante responsum consultabit pater, examinabit testimonia, inquiret contraria, forte & falsa auditurus, & suggestiones iniquas, & quod notarij scribent respondebitur, ibunt proteplica pro duplica tabellarij, & *dum poliuntur, dum emittur annus est*, * dicit quidam alius. Interea miser Prodigus, vix ægram effiabit animam. Nimia hæc mora venter caret auribus, nec patitur sibi verba dari.

*Terent. in Heaut. Act. 2. Scen. 2.*

* *Sed est ibi sermo de mora mulierũ.*

Plaut. in Amph.] *Fames & mora bilem in nasum mouent.*

Sallust. in bello Iugurth ] *Animo cupienti nihil satis festinatur.*

Ouid. lib. 2. de Arte.

*Cum mora non tuta est totis incumbere remis,*
*Vtile, & admisso subdere calcar equo.*

Et quamuis patiẽter interea tolerare potuisset famem, creasset nihilominus aliũde periculum. Erumpunt enim quæ tanto struuntur tempore. Herus subodoratus fuisset proculdubio, aut rumoribus, aut nũtiorum discursu, & suspectum habens seruulum, corrumperet tabellariũ, examinaret secreto, aperiret litterulas, atque ita tota aperiretur scena, proderetur Prodigus. Vbique mitteret obicem aduigilans ipsi, & nuntiis.

ntiis, forte & catenaret ne volens quidem fugere ſſet, aut ſi omnino prohibere nollet reditũ, vexaret tem magis cõſtitutum in exitu (vt Pharo Iſraelem, axime loquentem de abitu, vt ſacrificaret Deo) pa- im putans ſibi honeſtum, ſi tam cito ſeruum dimit- teret, vix aſſcriptum; querulaturũ de egeſtate. Quid? Veneti dicunt, bona conſilia, quantumcunque ſe- creta, venire in lucem. Ipſe autem adeo rebus omni- bus erat deſtitutus, vt nec tabellarium ad patrẽ mit- teret, ac petituro pretium, vnde redderet non haberet: aut ſi forte tres ſeruaſſet obulos, ipſe illis in reditu, maxime ad longinquam regionem, carere non po- tuiſſet, erubeſcens extendere manum oſtiatim, igna- ros omnis opificij, nec lucraturus arte in tranſitu vi- ctum. *Fodere non valeo, mendicare erubeſco.* Neminem etiam doctius ſciebat plangere, & magis mouere mi- ſericordiam, quam qui ipſe in malo ſedeat. Qui ma- lum non ſentit, non vt oportet exprimit; ac ideo pa- rum mouet. Aliter violata loquitur Lucretia, inter a- micos, in conclaui vindictam petens, aliter in ſcena ac theatro perſona eius agens. Vera Lucretia ad quod- libet verbum palleſcit, rubeſcit, deficit, reſumit animum, nec fictas dat lachrymas, mariti & ami- corum corda flectit, armat ad Regis vltionẽ. Sup- poſita vero ploret, eiulet, ac mentitis quantum valet auditorem expugnet lachrymis, nunquam tantum poteſt quantum vera. Corda noſtra ſpecula ſunt, re- cipiunt affectus vt repræſentantur. Teſtudines con- cordes, reddentes pulſum etiam intactæ, quem red- dunt vicinæ ſi pulſentur; & Echo verba repetens au- dita.

Horatius in Arte.

*Vt ridentibus arrident, ita flentibus adſunt.*
*Humani vultus. Si vis me flere, dolendum eſt*
*Primum ipſi tibi: tunc tua me infortunia ladent.*

Cicero 2. de Orat. ] *Vt nulla materies tam facilis ad ardeſcendum eſt, quæ niſi admoto igni, ignem concipere poſſit: ſic nulla mens eſt, tum ad comprehendendam vim Oratoris parata, quæ poſſit incendi, niſi inflammatus ipſe*

*ad eam & ardens accesserit. Vt naphtha vim habeat cuiſſime igneſcendi, non tamen igneſcit, niſi vel procul viſo vel admoto igni.*

Pſal.] *Ignis à facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.*

Aliter ſe commendat Beliſarius, & poſtulat extra in aliqua ſedens proſeucha, aut ad veſtibulum mendicans Eccleſię; aliter etiam Lazarus oſtia obiens, aliter cōcionator aliquis, aut qui ipſius nomine ſtipem petit, quantumcunque affectus pauperi. Et ſi miſeros tales in medio Eccleſiæ ſuas audiamus aperire miſerias, aut permittamus vt parochiā ſemel circumambulēt ad ianuas, decem citius, quam alij quinque ſtipes inueniant, quia collector extra miſeriam, tam altum neſcit gemere, tam ſerio viuéque neſcit commēdare: miſerabilius narrat qui patitur, altius gemit, verum oſtēdit tremorem, natiuas lachrymas, aliter aures & oculos ſpectatorū afficit, impetrat quod rogat.

*Horat. in Arte.*

*Telephe vel Peleu, mala ſi mandata loquere,*
*Aut dormitabo, aut ridebo: triſtia mœſtum*
*Vultum verba decent.*

Nonne legimus in Euangelio Lazarum canibus mouiſſe miſericordiam, quia illis vicinior; adeo vt lingerent vlcera eius (videbant illi & audiebāt.) Ab hero autē, nec fruſtum panis, nec lapſas à menſa micas impetraſſe, quia ſcilicet alienis illas ſpectabat oculis, frigide narrabāt miniſtri iacere pauperē aliquē ad portam, clamantem, cantillantem: ſine vlla exaggeratione. Nonne ideo optimi Oratores, qualis Demoſthenes, tantum ſemper tribuerunt actioni, ac viuæ repræſentationi rerum? Nonne vt melius agerent ac flecterent Iudices, magni Oratores proſopopœias faciunt, finguntque perſonas miſeras & abſentes, quaſi in tribunali loqui proſtratas ante Iudicum pedes? Non enim tum iudices & auditores, tam ſibi videntur interceſſorem audire, quam veras patientium inſpicere calamitates, attendere gemitus, & ipſa oppreſſorum verba, quod vel ſolum lachrymas concitat. Nonne & ideo quidam tam valida non contenti machina,

*Vide Quint. li. 6. Inſt. c. 1.*

achina, vt magis in suam partem trahant Iudices, capitis periculum non obstet, ipsos producunt pplices, macie, pallore, squalore confectos, horro- obsitos, male tractatos, (vt olim Pilatus dicens *ec- homo*) nonnunquam & vxores, & puerulos eorum: detegunt pectus, ostendunt cicatrices, & honorata pro patria vulnerum vestigia (vt M. Antonius defendens M. Aquilium, quo stratagemate oculos expugnauit Romanorum) nonnunquam & gladios ostendant, & cruentos pugiones, quibus hostem obtruncarunt. Ostendunt ossa extracta de vulneribus, uponunt vestimenta pertusa ictibus, purpurata sanguine, defigunt vulnera, denudant corpora, vt horrida vulnerum ac violentiæ vestigia, ob oculos ponãt. *Idem lib. 2. cap. 15.*

Dici non potest quantum arietes & machinæ istæ corda audientium concutiant.

Aiunt populum Romanum in furorem pene versum, cum in pleno foro cruenta Iulij Cæsaris prætexta, post factam cędem esset exhibita. Sciebatur quidem cæsus & corpus iacebat in curia, exhibita tamen spectantium oculis sanguinea vestis, tã viuè obtruncationem repræsentauit, vt non antea cæsus, sed tum demũ cædi videretur. Quid? pinxerunt nonnulli ad animos mouẽdos quam potuerunt naturalissime suas miserias. Dicuntur id feciſſe etiam cõcionatores nonnulli, & exhibuisse in passione Domini solenne illud, *ecce homo*, quã tamen praxin non probat Quintilianus, cum hoc sit arti suæ diffidere, & existimare mutam melius locuturam imaginem, quam viuum hominem. Considerans igitur Prodigus, nunquã tam efficaciter & graphice repræsentari miserias, ab iis qui extra miseriam sunt, rectissime concluſit, *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, &c.* Faciam hæc melius præterito fratre, præteritis seruis, & cognatis, qui mala mea non sentiunt: sperauit denique facilius expugnari posse patrem per se, quam per alium. *Sueton. in vita Cæs. Appianus li. 2. de bello ciuili.* *Quintil. lib. 6. Instit. cap. 1.*

Quomodo vero hoc? Alij non nisi vna aut gemina via frangent patrẽ. Auribus forte vim faciẽtes aliquã,

oculis pene nullam. Ego vero si ipsum aggrediar, omni ipsum deturbabo sensu: expugnabo aures, non minus forte & melius quam frater; vbi enim didicerit ipse, forte ad stiuam, & aratrum, (*erat filius senior in agro*) cinerarius ad focum patris, *fili tu semper mecum*, seruiens & curans rem domi, *ecce tot annis seruio tibi*. Ego vero terras peragraui, *profectus in regionem longinquam*. Versatus cum domicellis vbi non parum eruditus sum, necessitate saltem, bene me habere, ad gratiam loqui, exprimere passiones, *cum meretricibus*. Illæ enim auiculæ sunt quæ suaui cantu, & blandis sermonibus, & vincunt aliquando & vincuntur: detinet nos, sustinent se bonis verbis. Addo etiam quod amor sæpe homines ingeniosos facit, & magis disertos quã vina. Insuper nonne hic in ministerio fui viri primatis, *adhæsit vni ciuium, primati regionis illius*: ac inter aulicos sunt qui verbi gratiam profiteantur.

*Vide supra primo sermone de seruitute peccatorum.*

Denique necessitates acuerunt mihi sæpe sensum, & fecerunt esse disertum. Melius igitur ipse percellam aures paternas, & flectam rigorem facile tantũ quantum frater. *Surgam igitur, & vadam ad patrem meum, & dicam ei*, &c Omnia fratris verba, seruorum, & cognatorum nihil nisi velitationes quædam erunt, cõtra turrim maximam S. Andreæ Mõtibus, aut contra immanem illam molem castri S. Angeli Romę: deductio vero & relatio à me facta, fulmẽ videbitur & tormentorum maiorum ictus. Oculos forte patris frater aliquantillum mouere poterit, complicans forte pro me manus, amplexans ac tenens genua, flens aut fletum fingens (vnde enim opiner ipsi meas miserias tam cordi esse, vt illi lachrymet, aut vnde ipsi tantum flendi artificium, vt instar fœminæ Crocodili lachrymas ad arbitrium habeat, vbi hoc didicisset, qui nunquam illarum visitauit scholas, quæ *vt flerent oculos studiere suos*.) Fingẽs dico lachrymas, sex septem; fletum enim continuare non poterit, non enim sine causa dictum *nihil facilius quam lachrymas inarescere*, ac nullum simulatum diuturnum: suspirium forte vnum trahet, aut alterum, hodie, & cras, & omnis cum isto ab oculis eua-

*Quint. li. 6. instit. cap. 1.*

is euaneſcet apparatus. Ego vero pro me quid non
igam, quid non tentabo? quomodo manus tollam in
cælum? quomodo paternis aduoluar pedibus? quo-
modo amplexabor? quomodo ſtringam genua? cla-
mans pleno ore, *non demittam te niſi benedixeris mihi* Geneſ. 9.
pater, non deſeram te, non ianuam, niſi receptus in
gratiam. Quomodo inundabo pedes feruentibus la-
chrymis, quomodo promiſſis extergam capillis, non
vt olim per vanitatem, non per maieſtatis ſpeciem vt
antiquitus Reges Franciæ, multo minus per ſanctita-
tem vt olim Nazarei, & Eremitę; ſed extrema inopia,
non habens vnde ſatisfaciam tonſori. Faciam omnia
pro me ego, non minus ſedulo quam Magdalena in
pleno Simonis leproſi conuiuio.

Si mane repullam patiar, reuertar ad meridiem: ſi
& tum tentabo iterũ veſperi, proſtratus ante lectum:
ſi die illo inexorabilis eſt, tentabo craſtino, dein &
perendino, & toties vrgebo importunus vt propter
importunitatem ſaltem vincã. Frater, ſerui, amici, ni-
hil niſi narrabunt vt laceris ſim veſtibus, vt attenua-
to vultu, vt fractis viribus. Ego vero paratum ex hu-
meris oſtentabo centonem, laceras veſtes, vlcera pe-
dum, ſaniem, pro purpura oſtendam ſaccum, & cili-
cia quibus operior, iam ipſis culinæ verriculis im-
mundiora: filo non ſubtiliori, quam retia ſunt piſca-
torum, aut lupulorum ſacci; pro ſubtili induſio, Flan-
dricaque tela, quæ recens quotidie me amiciebat,
iam carnem oſtendam certantem candore cum tor-
ridæ zonæ habitatoribus, aridiorem halecibus, ac
ſalpis induratis. Pro forma priori, caput opponam ſe-
micaluum, depilum, ſquammatum, cruſtatum vlceri-
bus. Hæc pro calamiſtrata coma, hæc pro criſpanti-
bus capillis. Volens nolens prominentibus manum
manũ admouebit oſſibus, quæ iam caro nulla veſtit,
coſtis quas macies fecit numerabiles, iuncturas om-
nes, iam exſtantes non minus quam dentes apro, ge-
nua vertebras, vix pelle opertas. *Dinumerauerunt oſſa
mea.*

Videbit non iam me hominem ſed phantaſma eſ-

se, si modo hoc manibus vt ego palpari possit, aut veram mortis imaginem. Et sic ad alterum transibo sensum; excipiet naribus, (sit venia verbo) pædorem fœtoremq; paupertatis meæ, & inopiæ quæ iam tam diu me obsedit: si nihil prægustarit, certe paratus lubebit prandere, oppleto exhalationibus, quos non luxus, sed indigentia spirabit: & sic certe melius patris sensus quassabuntur per me quam per vllum alium. *Surgam igitur, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, &c.*

Horat. lib. de Arte.

*Segnius irritant animos demissa per aures,*
*Quam quæ sunt oculis commissa fidelibus.*

Ex fratris verbis nihil nisi imaginari poterit quæ circa me sunt, si accesserim ego, audiet, videbit, tanget, olfaciet, gustabit. *Surgam igitur, & ibo ad patrem, & dicam ei, &c.*

Frater meus, & alius quicunque etiam propensissimus, nihil nisi rationibus mouebit intellectum: ego vero constringam, compellam voluntatem, *Surgam igitur, & ibo ad patrem, & dicam ei, &c.* Alij infimam tantum vna aut altera via profligabunt partem; auditum scilicet, & visum, ego vero omnes penetrabo sensus, loquar ad cor, per aures, per oculos, per manus, per nares, per palatum ipsius, *Surgam igitur, & ibo ad patrem meum.* Alij non dabunt nisi instructiones: ego mille vehementes suggeram passiones. *Surgam igitur, & ibo ad patrem meum, & dicam ei.* Quid? pater filium videns ita plorantem, audiens ita gementem, ita clamantem, tam humiles fundentem preces, tot intercisas suspiriis, interruptas lachrymis, audiretne centies reduplicatum *peccaui*, verbum hoc quod potentissimos mundi iratos mitigat, Sanctos etiam, & ipsum mundi Dominum, & nihil vsque misereretur?

Ouid. de Ponto.

(*Superi*) *sæpe leuant pœnas, ereptaq; lumina reddunt,*
*Cum bene peccati pœnituisse vident.*

Ventilaret pater naribus calamitatem filij, palparet

et plena manu extremæ indigentiæ officinam, nauſearet cibum tam faſtidioſo oppletus ſpectaculo, & nihil concederet miſericordiæ? nonne omnis ipſi effrueſcet ſanguis, ſi creaturam contrigerit adeo miſeram, ſuo ſanguine enatam. *Sanguis ſanguinem tetigit.* Totum ipſi corpus nunquid compaſſione deficiet? ſentiens, tangens, carnem de carne, os ex oſſibus ſuis, tot paſſionibus ſubſtratum? Ergone pater filio futurus durior, quam Iudices quidam externis, quos ſolus miſeriarum aſpectus flexit ad veniam? Ah neutiquam: pater prope nimium facilis, qui tãtopere mihi indulſit, plus ſane quam me, & illo dignum. Iamne recuſabit obſtinatus tantillum quod peto, in tanta mea neceſſitate, in re quæ tantopere ipſum deceat. Nihil peto, niſi veniam & gratiam per meum, *peccaui*: de cætero *fac me ſicut vnum ex mercenariis tuis.* Quid petere poſſem minus à patre tam opulento?

Hem, dilectiſſimi, nonne negotium ſuum belle expendit Prodigus? Nonne bono conſilio propter perſonam ſuam ipſemet recta iuit ad patrem, potius quam per mediatorẽ, quiſquis ille eſſet? Videamus iã quæ ex parte patris ipſi vt ſic ageret motiua fuerint.

## III.

### *Quod benefecerit non vtendo, ſed pro ſe eundo propter reſpectum patris.*

CVm omnia perluſtro, optimam inuenio ſententiam Prodigi. *ſurgam & ibo ad patrem.* Ipſe ego & nõ alius. Quorſum applicabo hinc inde alios, fruſtra fit per plura quod poteſt fieri per pauciora: præſtat vt ſolus illuc eam, quam vt fratris aut cognatorum requiram operam. Itane? Ita quidem exiſtimo, & hoc reſpectu patris.

* 1. Pater eius, primo vt ſenex iſta noua non facile credidiſſet, *Tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides.* Iacob ipſe decem aut vndecim filiis, bona de Ioſepho narrantibus, credere non potuit quod regnaret in Ægypto.

Genes. 45. in Ægypto. *Quo audito Iacob quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis.* Præsentia eius fidem faciebat omnibus.

* 2. Pater eius pater erat, ac proinde reliquis erga bilior. Patres etsi irati, patres tamen sunt, *eaque mor prolis.* Libentius audit filium balbutientem quam alium bene loquentem. Absolon, fili mi, Absolon, dicit Dauid, de filio si vllus vnquam natus est, perfido, proditore, fratricida, affectatore regni, patricidica voluntate, & quid non?

* 3. Pater eius Dominus erat, & caput familiæ filius autem, & serui eius ipsius subditi. Ac dominos sæpe ipsis seruis videmus multo clementiores, & melius fere cum dominis transigi posse, quam cum delegatis, tam in Ecclesiasticis quam politicis. Pontifices summi, Imperatores, Reges, suauius filum diducunt, quam vicarij ipsorum. Non recordamini, dilectissimi, quam Helias fuerit seuerus in falsos Prophetas Baal? nonne quadringentos gladio occidit? nonne duos quinquagenarios igne cœlesti absumpsit? fulminatos cœlitus, cum suis agminibus. Eliseus vt discipulus spiritus Elię sic & seueritatis, 42. pueros, qui ridebant ipsum ac illudebant senio, & calui tio, & canitiei, iussis de sylua exire vrsis, deuorare fecit omnes simul pueros. O quam seueri homines? Contra vero Moses, summus Dux Israel, dicit: *ego sequester, & medius fui inter Dominum & vos*; certe id tanto studio adcurauit, vt oraret deleri potius de libro vitæ, quam videret populum vltrice Dei manu excindi. Frater ipsius Aaron nihil fere fecit minus, quando accepto thurribulo, stans inter viuos & mortuos, iram & vindictam Domini intercidit.

Deut. 5.

In testamento nouo S. Petrus & confratres eius, vix Christi Apostoli, nonne voluerunt ignem vocare cœlitus in totam ciuitatem, solum quod recusassent suscipere Christum. Imo vero ecce qui viri, quam rigidi, quam seueri: Dauides diceres paruulos, irascentes & ardentes in auaritiam Nabal.

Sed quid dicit bonus ipsorum magister? bene ipsos repressit.

tepreſſit. Hola, hola inquit, belli filij, *neſcitis cuius ſpiritus eſtis.* S. Petrus etiam iam Chriſti Vicarius, quid fecit duobus coniugatis, quod cum mendacio pomum quaſi ſeruaſſent venturæ ſiti, & particulas quaſdam diuenditæ hæreditatis? Occidit in veſtigio Ananiam, & redeuntibus veſperæ veſpillonibus idem fecit vxori. Simonem magum deturbauit ab alto. | Videte mirabilia iſtius diſcipuli; ſed magiſter eius quantum diuerſus; liberauit fœminam in adulterio deprehēſam, egit cauſam publicæ peccatricis cōtra Simonem hoſpitem, ignoſcit omnibus pœnitētibus. *Non veni perdere ſed ſaluare.* Gratias ago Deo quod aliquoties Romam videns adeo Paulum Quintum inueni comem, humanum, benignum, vt dimidium vix ſperare auſus fuerim toties ad audientiæ cameram admiſſus, *abſque eo quod intrinſecus latet.* Magnus noſtri temporis ſcriptorum Cęſar Cardinalis Baronius (homo Papatu digniſſimus, ſi eum Dominus diutius nobis conſeruaſſet) Deus bone quam auſcultauit me benigne, quam inuitauit ad ſuam menſam? ſemper quo homines vidi maiores, vidi etiam meliores, humiliores, tractabiliores. Papæ, & maximorum illorum virorum clementia, multo maior eſt quam ſimplicis alicuius ſacerdotis. Magnus quidam vir narrauit mihi Romæ quod aliquando muliercula cum filiolo in brachiis, viuente Sixto Quinto Pōtifice, ex ordine S. Franciſci, cum ad patrem iſtum per populi turbas accedere non poſſet, ac illi ad pedes proſterni, à longe ſatis clamauit, ex media turba quaſi publice confitens, inceſtum ſecretum quem cum filio quodam ſuo commiſerat. Sanctiſſimus Pater *filius*, inquit, *ille meus eſt, à filio meo deſcendens.* O caſum execrabilem! quid fecit magnus Papa? magnus in dictis & factis omnibus, magnus in animi conceptibus: benedixit ei, & ignouit ſtatim in foro ſuo, nec aliam illi pœnitentiam inunxit, quantum memini, niſi vnum *Aue Maria.* Cumq; alij dicerēt nimis hoc eſſe parō pro peccato tā enormi; reſpōdit, non vobis videtur mulier iſta verecundiæ & ruboris ſoluiſſe ſatis, publicè confeſſa peccatum ſuum, tanto dolore

*Cant. 4.*

dolore, coram tanto populo? Vide clementiam patris patrum, simplex sacerdos laboraret satis vt imaginaretur pœnas tali peccato dignas. Addam adhuc vnum de clementia Commissarij cuiusdam Curiæ Romanæ, quod ex ore ipsius accepi: eheu iam mortuum, homo dignus longiori vita, ac amplioribus dignitatibus, propter clementiam ipsius singularem, aceruditionem: vnde & lectus est vnus ex duodecim iudicibus famosissimæ cuiusdam disputationis Romæ, Reuer. scilicet pater, frater Iohannes Herera, Cordiger Hispanus, lector Theologiæ quinque & viginti annis. Bonus igitur ille pater cum à quibusdam moneretur nimis esse benignus iis, qui ex conuentibus suis à longe ad ipsum confugerant, respondebat: miseri homines, nonne in tanto itinere satis tulerunt, & magnum nobis honorem faciunt se nobis submittentes? Bonus iste pater, ad moderandas pœnas, hæc redigebat in computum. O piam animam. Sic etiam Deus cum anima ipsius agat, si necdũ fecerit. Ite ad minorẽ aliquem prælatum cum simili offensa, non scies qua fronte te excepturus sit, *Non satis ad pœnas Tartari vnus erit.* In politicis accidit idem. Facilius aliquid impetratur à Regibus quam ab officiariis. Exemplum

3. Reg. 12. est in Roboam, filio Salomonis, qui solus, non admodum fuisset difficilis in concedenda quæ petebatur relaxatione tributorum: sed grex iuuenculorum Officiariorum, in causa fuit, vt loqueretur quod decem regni partibus vix redemit, nihil seruans quam duas ex duodecim tribubus Israel. Respondit enim: *si pater*

Matth. 18. *meus cæcidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus.* Exemplum etiam in Rege, cui quæstor decem debebat talentorum millia, quę prima petitione condonauit: idem conseruo suo centum noluit dimittere denarios, sed rapuit in carcerem, donec solueret totum. Exemplum etiam in seruis patrisfamilias, cuius seminibus ab inimico homine superseminata erant zizania: statim enim offerebant operam serui ad eradicandum, sed Herus moderatior inhibuit præcipitantiam, volens vt sinerent vsque ad messem,

tum

tum imperaturus quod facto opus.

Ah Belgium si semper cum Principe naturali tibi fuisset negotium, & non cum deputatis quibusdam zelosis, sed non secundum scientiam; non ita campi tui fuso ruberent sanguine, sederes melius quam modo, corpore minus mutilo, membris minus dispersis. Ex quo habuisti Principes naturales sereniſſimos Archiduces, nonne aduertitis vt omnia cedant melius, pluris iam fieri tuam vitam, tuum sanguinem, ibdi gladios in vaginas, non audiri vltra flammas, iaccos, laqueos. Pastores proprietarij tenerius amant gregem, quam mercenarij & commissarij. Pater dicit, quicquid accidat, seruate mihi puerum Absolon. Ioab magister militiæ tribus eum confodere ausus est lanceis pendentem ex capillis. Prodigus igitur bene facit recta conueniens summum Dominum, atque illi se prosternens. *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, &c.*

* 4. Pater ipsius corde erat generoso, & nobili: frater ingenio satis abiecto, & mechanico, serui etiã viliori. Frater ipsius labores cogitabat, lucra, auaritiam, *Erat filius senior in agro.* Pater liberalitatem, qui tam facile illi hæreditatem indulsit, & redeuntem Regio conuiuio excepit. Certum enim quo animus generosior, eo citius flecti ab ira ad veniam, & clementiam. Sicuti modica iniuria nobilia corda tanguntur. (*Superbia*, inquit Sallustius, *commune nobilitatis malum*) sic modica recognitione totum compensatur. *Sall. in bello Iugur.*

Ouid.

*Quo quisq; est maior, magis est placabilis ira:*
*Et faciles motus mens generosa capit.*

Bestiæ etiam quo generosiores & fortiores, eo magis sunt tractabiles. Leonis furor cedit, si victus victorem agnoscat. Vrsi, lupi, & ignobiliora animalia, non cessant nisi prostratum & mortuum videant, & vix mortuum relinquunt intactum; dilacerãt, dilaniant, cor & intestina.

*Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,* Ouid.

Pugna

*Pugna ſuum finem, cum iacet hoſtis, habet.*

Plin. lib. 8. hiſt. nat. cap. 16.] *Leonis tantum ex feris in ſupplices clementia, proſtratiſq; parcit? & vbi ſauit in viros potius quam in fœminas fremit in infantes non niſi in magna fame.*

Idem lib. 8. cap. 40.] *Impetus canum & ſauitia mitigatur ab homine conſidente humi.*

*At lupus, & turpes inſtant morientibus vſq;*
*Et quæcunq; minor nobilitate fera eſt.*

Sic & generoſior populus Romanus, & magnus etiam Tamerlanes egerunt. Ciuitates enim quæcunque ſe dabant ad obedientiam, tractabantur benigniſſime; rebelles vero aſpere.

*Virg. 6. Æn.*
*Romane memento.*
*Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.*
*Plin. lib. 11. de genibus. Ad hæc (ait) manus tendunt: hæc vt aras adorãt. Ineſt & aliis partibus religio: ſicut dextra oculis auerſa appetitus infide porrigitur.*
*Tuq; prior, tu parce, genus qui ducis Olympo.*
*Proijce tela manu ſanguis meus.*

Noſtro Prodigo decretum erat verbis & geſtibus humillimis, ac omni modo generoſum placare animum: ſi cor generoſum proſtrationibus in terram, & adgeniculationibus flectitur: accidam patri, volutabor in puluere? petens veniam: non enim dicitur tam benignum *peccaui*, niſi à proſtrato, & adgeniculante. Si pater mihi Leo, ignoſcet videns deiectum: *ſi reſponſio mollis frangat iram*, optima quæ didici verba dabo. Primo compellato nomine patris, quo nullum dulcius. Si placatur confeſſione & accuſatione ſui animus generoſus, imo & ipſe Deus; ſicut excuſationibus magis irritatur, *Quem pœnitet peccaſſe, pene eſt innocens*, dicam me peccaſſe contra cœlum, & ipſum offendiſſe Deum & homines, indignum nomine filij. Si promiſſa emẽdatione ac humili ſeruitute magni trahuntur ad veniam.

*Senec. in Agam. 2.*
*Obſequium amicos, veritas odium parit.*
Ouid. 2. de Arte.
*Obſequium tigreſq; domat tumidoſq; leones.*

*Terent. in And.*

Ecce dicam patri me in poſterum paratum ad pedum oſcula, ad opera quælibet manualia, *fac me ſicut vnum ex mercenariis tuis.* Cum igitur nihil omittere certum

certum sit quo nobilis animus, qualem noui esse patri, flectatur; quid mihi cum mechanico patre, cum seruis: *ibo* & faciam per me omnia. *Surgam, & ibo ad patrem, &c.*

Melius etiam accipiunt magnanimi deditionem voluntariam, & personalem delinquẽtis, quam compositiones aliorum: idque tribus saltem de causis. Primo ob honorem qui ipsis fit, per opinionem & fiduciam clementiæ ipsorum. Secundo, per honorem qui ipsis habetur à supplice tendente manus, ante refractarias, & sic agnoscente potentiam ipsorum, & animorum vim.

*Vicisti, & victum tendere palmas*
*Ausonij videre,* *Virg. 12. Æneid. vox Turni est ad Æneam.*

Dicebat Turnus Æneæ. Tertio, propter securitatem quam ipsis facimus de animi commutatione; nõ vtiam sperent tantum, quod fit quando per intercessores res peragitur. *Spes quæ differtur, affligit animam.* 1. Reg. 27.

Melius vnum accipe, quam duo accipies. Narrabatur ante septem aut octo annos quidam gubernator Metẽsis, in Lotharingia, nescio qua in re difficilis fuisse mandatis Regiis: cumque sensisset defunctum Henricum Quartum, Metas vẽturum ad inobedientiam illam castigandam, Regem ipse adiit, dicẽs: Rex venio, tibi vt obediam, & caput meum adferã: quam deditionem, & de bonitate sua fiduciam, Rex ita accepit, vt plane ei ignosceret. Fuga Dauidis ad Achis Regem Geth, ad implacabilem Saulis iram declinandam, cum 600. hominum agmine, sine vllis præuiis pactis, tantã cõciliauit ipsi apud Regẽ fidem, vt oppidulum ipsi concederet seorsim, stationi suę, imo paulo post fecit ipsum Ducem corporis sui custodiæ. 1. Reg. 28.

Nõ dico quomodo Themistocles serenauerit choeram Admeti Regis Molossiorum, alioquin capitaliter ipsi infensi, vtpote qui in causa fuerat cur Athenienses postulata ipsius recusarent: quia sine fœderibus vllis, amplexus paruulum Regis filium, se prosternebat. Non tamen inutile fuerit audire: quantum *Plut. tom. 1. vit. in Themist.*

*Calcedonius Xenocrates quum aliquando passer accipitri futuruspræda, in eius sinum se recepisset operuit, fouit q; dicens, non oportere supplicem prodere.*

profuerit eidem Themistocli tantum confisumesse de Rege Xerxe (cuius alias cladis author fuerat) videns enim se suis post tam præclara facinora exosum, recta ad amplexus ipsius abiit, sine vllis pactis. Rectenim ille magnus Persiæ, ita hoc interpretatus est, vt inter amicos eo nomine beatum se prædicaret, & sacrificiis factis, largiterque bibens, nocte insomnis tet exclamaret *Habeo Themistoclem Atheniensem*, ac postridie omnibus præsentibus amicis, salutauit eum officiosissime: miser qui venerat supplex, cum iterum pedibus eius fuisset aduolutus, accepit ducenta etiam talenta, quæ promissa erant ei, qui ipsum adduceret: dicens bono iure ista ipsi deberi, cum seipsum præsentasset.

*Idem ibid.*

Tantis deniq; ipsum cumulauit beneficiis, vt Themistocles in pleno conuiuio suis diceret, *equidem perieramus ô pueri, nisi periissemus.* Atque ita à Rege progitur quãtum ista fiducia apud magnos valeat. Deus motus est, vt ipsis Persis plane fieret inuisus. Videre etiam vult vt in se speremus, maxime cum desperatæ res sunt, verguntque in peius, sine vllis conditionibus: quia hæc tacita confessio est omnipotentiæ (qua omnibus adferre potest remedium) bonitatis (quia non dedignatur extremum ei desolatis refugium) *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te*, dicebat Rex Iosaphat, conclusus à barbaris. Vt igitur deditionem faciat gratissimam patri, dicit, *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei.* Sine pactis, sine conditionibus.

2. *Paral.* 20.

* 5. Pater ipsius fortissima indigebat ac potenti medicina, quia tã diu tantopere fuerat desolatus; tam cum adhuc esset in ædibus duro scilicet & indomito capite, quam cùm extra patriam in omni prodigalitate sua & lubricitate. Tanta, tam longa desolatio iuuari debebat vehementi consolatione; vt sic quasi resuscitaretur ab ægritudine animi in qua iacebat. *extremis morbis extrema remedia.* Certum autem est inopinata

nata ac repentina gaudia esse maiora, (*minus feriunt quæ præuidentur*) dummodo etiam non excedant: nimia enim & insperata lætitia aliquando extinguit: vt si quis videat appellere viuum, quem multum amauerit, opinatus esse mortuum. Romana quædam mulier allatis de filij morte nuntiis ab Hannibale ad Cannas, vel Trasimenum cæsi, videns eum ex improuiso sanum & saluum, vt assidebat foco emortua est. Contra tales inde tasus Romani peregre reuertentes, præmisso nuntio, vxores & filios de aduentu suo premonere solent, inquit Plutarchus. *Valer. lib. 9. cap. 12.*

Hoc est quasi temperare vinum lætitiæ iis, qui purum bibere non possunt. Patri autem Prodigi merum erat adferendum.

Si igitur Prodigus de reditu suo quicquam scripsisset, aut si de eo prius tractassent mediatores, patris illa lætitia, quæ subito recens ipsum circumfudit, quasi temperata, diuisa, & fracta fuisset, rumusculis, nuntiis quotidianis, discerptis quasi partibus; atque ita potissimam imminuissent massam, in die reditus, nec completam bono seni solidamque vno die tulisset lætitiam, pro solida longaque tristitia. Atque ideo sine prodromo ipse adfuit, antequam adesse nuntiaretur. Si alias contristauerat patrem, vt videretur moriturus dolore, dicens, *descendam ad filium meum lugens in infernum*, voluit etiam eum semel implere gaudio, vt cogeretur dicere cum Iacob, inter amplexus Iosephi, quem multis annis non visum existimabat à feris deuoratum. *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.* Voluit restituere ac renouare isto gaudio, puro, integro, inopinato, annos quos tanta afflictione abstulerat, qua canitiem & senectutem acceleraverat. Quid vultis? satisfacit miser vt potest, si nō vt debet: facit hostimentū, reddit tantū pro tanto, quantum ipsi possibile. Ecce rationes potissimas quibus mihi inductus videtur ad tam animosum consilium. *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei,* non litte- *Genes. 37.* *Genes. 46.*

ris nec interceſſoribus. Sic igitur Prodigus noſter, hoc ſuo facto, pulchre nos docet, dum proſpere agimus, meminiſſe modeſtiæ: ſi ſuperiores ſumus inferiores nõ cõtemnere, vt ſi & ipſi ex equo pedites deciderimus libere auxilia poſtulare poſſimus. *Parat ſibi aduerſis præſidia, qui afflictis commodat; iucundus ille qui miſeretur & commodat.* Pſal. 111.

Si enim Prodigus ferreus non fuiſſet, & æneus domeſticis ſeruis, inueniſſet ipſos paratos ad intercedendum apud patrem, & conciliandam gratiam. Docet & miſeros ac lapſos circumſpecte agere, non nimium fidere ſua aliis, quando ipſi ſuis intendere & vacare poſſint: propter perfidiam, puſillanimitatem, & negligentiam frequentem in interceſſoribus. Docet peccatores qui Deum offenderint aut homines, humilibus verbis facillime rediri in gratiam, ſimplici agnitione, ſine excuſationibus, ſine palliis, inclinatione capitis, delatione officiorum, & fidelii in poſterum ſeruitio. Filios vero Prodigos ſpeciatim vt tandẽ emendatione tantum parentibus gaudiũ, quantũ per vitia dolorem adferant. Et ſi Deo placeret illos illuſtrare, optime docet ſubditos, qui Principis naturale iugum excuſſerunt, ſaltum quem ſaltare deberent, ſi qua ipſis bona eſſet voluntas (vt ſpero futurum cum tempore deferueſcente cholera) redeundi ad ſinum Eccleſiæ, & ad antiqui Principis amplexus. Primum paſſum demonſtrauit, quando dixit; *Surgam*, deſeram nouum tyrannum, herum crudelem, qui ex me viuit, & vitam meam non curat: qui ſaginatur mea fame, qui meis inædificat ruinis. Deſeram ipſum, & locum, & arma eius, & quicquid primo Principi me fecit inuiſum. Secundus eſt, accedere & tradere ſe Principi offenſo, ſi non ſimpliciter, & ea qua hic fiducia, quis enim audeat? pro ſecuritate ſaltem, per legatos, per mediatores, per interpoſitionem confœderatorum vtriſque iam olim, qui meliores ſeniore Prodigi fratre, nihil æque ac reditum deſiderant, cum ſauorabilibus conditionibus, & vadimoniis. Tertius eſt, non negare peccatum in cœlum, rebellione, religionis exterminio,

nio, rapinis, sacrilegiis, templorum effractionibus, in Principem conspirationibus, sicut reuera negari non potest lapsum illum esse grauem. Quartus agnoscere se indignum nomine filij, fidelis vasalli, nisi ex gratia Principis sicut hic ex gratia patris. Quintus, submittere se non dico simpliciter ad arbitrium Principis, sed ad correctionem aliquam pœnamque, quam aut ipsi elegerint, aut boni sequestri ac arbitri statuerint *fac me sicut vnum ex mercenariis tuis.* Atque hoc ideo quia victi non sunt, nec redacti ad Prodigi nostri angustias, vt ipsis dici possit:

*Noscere hoc primum decet* — *Senec. in Troade.*
*Quid facere victor debeat, victus pati.*

Sed tenent adhuc arma manibus, vt care, & non sine sanguine constet victoria; & negari non potest etiam alteram partem aliquid deliquisse.

*Iliacos intra muros peccatur & extra.* — *Horat.*

Nemini non iucundum erit si dicant, *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, &c.* Vt Christianismus tam diuturnis ciuilibus implicatus bellis se recolligat, ne Turca interea partes indefensas abripiat, & per nostras scandat ruinas. Videant sanguinem tot fratrum, tot conterraneorum male profusum, male exhaustum, qui alioquin non parum Christi terminos promouere posset.

*Heu! quantum terræ potuit, pelagique parari,* — *Lucan. 1. Pharſ.*
*Hoc, quem ciuiles hauserunt sanguine dextræ?* (& paulo post.)
*Sub iuga iam Seres, iam barbarus isset Araxes,*
*Et, gens si qua iacet nascenti conscia Nilo.*

Ne se vicinis nimis reddant odiosos, tanquam qui armorum crepitu & strepitu, perpetuo somnum & quietem ipsorum turbent, aut gentes contentiosæ & sanguinariæ, quæ sine Marte esse nequeant, habeantur.

*Odimus accipitrem, quia viuit semper in armis,* — *Ouid.*
*Nulla enim salus bello* etiam optime adminis- *Virg. Æn.*
strato. — *Lucanus.*
*Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur.*

Religio tam ipsorum quam nostra, bellis in dies minuitur. In summa, ne videantur bella somniare, & nihil meditari quam tympana, lituos, organis & musica gratiores; ne videantur magis delectari hinnitu, fremituque hominum & equorum, quam vllo theatrali spectaculo exhibito per Roscium; ne fumus nitrati pulueris ipsis sit odoratior, quam aromata Arabiæ. *Nondum ipsis defuit hostis* omnibus communis. Turcam dico, toti infestum Christianitati, Catholicis, aliis, vera ratio ad omnibus mouendū bellum rationibus, populis, Regibus, vt sic nimia concupiscentia regnum augeat, omnium spoliis, vt aliquando de Romanis dixit Mithridates, & Arsaces Rex Persarum.

*Lucan. lib. 1. Pharsal.*

Ex Epistola Mithridatis ad Regem Arsacem inter op. Sallustij.] *Romanis cum nationibus, populis, Regibus cunctis, vna & ea vetus causa bellandi est, cupido profunda Imperij & diuitiarum.*

Ibid.] *Romani arma in omnes habent, acerrima mens, quibus victis spolia maxima sunt. Audendo & fallendo, & bella ex bellis serendo, magni facti, per hunc morem extinguunt omnia, aut occidunt.*

*Qui opulentior, is Turcarum iniuriæ est proximus.*

Habent ibi in quos arma acuant, vbi bellicis exercitiis tempus terant, vbi gladiatorum ictus magistrales ostentent, hic tam multis instituti annis. Si de opibus certatur, apud Turcam regna quæri possunt. 72. coronas habet Regias, tres Imperiales, Constantinopolitanam, Trepezuntinā, & Turcicam: ibi quisque Dux Imperator, miles Rex fieri posset. Si de religione certamen est, aut vt defendatur nostra, aut vt extinguatur aliena; in Turcam arma transferenda sunt; ille enim & ipsorum, quam Christianam dicunt, euertere nititur, & Catholicam: ante omnia Mahumetana extinguenda est. Si ad tutandam libertatem? prima in Turcam arma esse debent, omnis nobilitatis & libertatis hostem iuratum. Spero hæc omnia videre breui, nimium enim ipsis animi est, quam vt non audeant attingere nationem, quæ nostris solum

m crescit discordiis: nimium zelant religionem nam, quam vt eam Mahumetanis prædæ & oppressioni periculo exponant: nimium hactenus ostentarunt zelum, ne deuenirent in seruitutem: nimium habuerunt fortunæ, tot victoriis: nimia ipsis media sunt adalendum bellum. Collegerunt enim stantibus bellis hisce extremis magnam argenti vim, quia stantibus turbis regiones ipsorum manserunt intactæ, bellis alieno fundo incumbentibus, dilatati spoliis. Nimis actiui sunt quam vt per inducias porrectis desideant manibus, dum interim Turca insidiatur omnibus; & ipsi summa cura militem exercent, non negligent ipsum transmittere ad scholas nouas, vbi & artem suam ostentent, & noua prælia, nouaque stratagemata perdiscant. Faxit Deus vt breui videam.

*Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum suum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Isai. 55.

# CONCIO XXI.

*Græca.* 8. Ἀναστὰς πορεύσομαι πρὸς τὸν πατέρα μου, καὶ ἐρῶ αὐτῷ.
*Vulgata.* 8. *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei.*
*Syriaca.* 8. *Surgam, proficiscar ad Patrem meum, & dicam ei.*

## ARGVMENTVM.

*Tractabimus hodie*

1. *Vtrũ liceat peccatoribus, aliquo ad Deum intercessore vti, & quis ille sit.*
2. *Quod licita vtilisq; sit defunctorum sanctorum ad Deum intercessio*
3. *Quæ in contrarium argumẽta fieri possint, & quomodo ea sint soluenda.*

## AVE.

### I.

*Vtrum liceat peccatoribus aliquo ad Deum intercessore vti, & quis illi esse debeat.*

QVIA sæpe & diximus, & dicimus, & dicemus in posterum, quod Prodigus iste eiusq; opera, statum nobis repræsentẽt peccatoris; & quia in ipso commendauimus quod aliis omnibus omissis mediatoribus, recta ad patrem suum contenderit: videri possent alicui, qui hic Scotizare, ac plusculum argutari velit, rectius facturi homines maxime peccatores, quãdo peccatorum suorum veniam, aut arcendis malis gratiam Dei implorant, si recta ad thronum Diuinæ misericordiæ accurrant, nullius q; sancti intercessiones expectent; imo sic non solum facturi rectius, sed etiam sine Dei offensa ipsorum operam non posse adhibere. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ.* Recta, recta, cum insigni fiducia. *Recta ad. ibam ipsum patrem, dicens; Pater noster qui es in cœlis. Nemo Di-*

*Hebr. 4.*

*no Diuorum illo citius audit, aut libentius donat quod petitur.* Totus quasi tempestate obrutus, recta cucurri ad patrem, dicens, *Pater noster qui es in cœlis.*

Neminem habet inter Sanctos qui nos exaudiat citius, qui libentius postulata concedat. Sic in Dialogo de Naufrago, Erasmus Adolphum suum introducit loquentem. *In circuitu impij ambulant*, hęrent in circuitu Dei, & circumspectant ipsius Sanctos. *Erasmus colloquio de naufragio.*

Sed hoc dicere antiquissimi erroris est, quem quõdam Eustachius quidam peperit, Vigilantius Gallus fouit, ac nostris temporibus Martinus Lutherus, Oecolampadius, & Caluinus ab inferis resuscitarunt, ac miser Erasmus, quod eadem senserit, quampluribus per colloquia sua fecit suspicionem. Quia igitur hic error egregiè impius, pater est plurium aliorum, aliquid illi hodie dandum est temporis, vt doceamus pessime esse fundatum.

Principio itaque notandum, quod aduersarij in eo nobiscum cõsentiant, quod nimirum possimus, imo & debeamus, communem omnibus habere intercessorem Iesum Christum, Mediatorem Dei & hominum, communem in cœlo Angelis, ac beatis spiritibus; & in terra viuentibus, iustis & peccatoribus; communem vtriq; testamento veteri & nouo, quem Pater cœlestis donauit nobis; cuius ductu liberè possimus ad ipsum accedere, comparere in conspectu eius, securiores certioresque nos exaudiri, eo vtentes Aduocato, cui nihil Iudex recusare possit; nobisque constet, preces & supplicationes nostras recte apud patrem institui, vtpote ab ipso prius bene cribratas ac perpurgatas, vt nulla nobis oratio fiat in peccatum, interueniente illo qui (cum ipsa sit sapientia) nihil Patri, quam quod æquissimum est, proponet.

Quãdo consideramus ex parte vna terribilem Dei maiestatem, ex altera indignitatem nostram; fieri nõ potest quin refugiamus longissimè, ac intermittamus preces: sed magnus ille Mediator noster Christus Iesus iungit se nobis, ac medium interponit, vt commutet thronum terribilis gloriæ, in thronum gratiæ;

sicut admonet nos Apostolus, vt audeamus apparere ei, & cum bona spe ac fiducia diuinæ misericordiæ, gratiæ, atque auxilij oportuni. *Hebr.4.* *Adeamus ergo ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus, in auxilio opportuno.*

Diuinam maiestatem læsimus cum filio Prodigo peccando in cœlum, siue vsq; ad cœlum, i. peccata admisimus, quæ nihil nisi vindictam in cœlum clamant: adeo vt illorum horrore nullum reditum cum Deo in gratiam per nos ipsos audeamus sperare. Iesus Christus illic est, vt nostram causam agat, pacem nobis à Patre impetret, eumque nobis reddat propitium. *Si quis peccauerit* (inquit S. Ioannes) *1.Ioan.2.* *Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Quis illo Aduocatus melior qui sapientissimus est? Nam Iesus Christus ipsa est sapientia, & armarium sapientiæ ac scientiæ Dei. Quis illo Aduocatus melior, quis eloquentior? Nam Iesus Christus ipsum verbum est, *Sapient.1.* *Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.* Quis illo Aduocatus melior? qui Iudici intimus est, ac familiarissimus? Nam Christus Iesus filius est vnicus, & dilectissimus, ipsumque cor nostri Iudicis. Quis illo Aduocatus melior, qui semper Iudici adest, sedet enim in dextera Dei patris. *1.Ioan.2.* *Aduocatum habemus apud Patrem: est in corde Patris.* Quis illo Aduocatus melior, qui nulla vnquam caussa cecidit? Nam Christus Iesus semper à Patre exauditus est, *Pater ego sciebam quia semper me audis.* Quis illo Aduocatus melior, qui clientis partes fouet, non tam lucri spe quam charitatis, consanguinitatis, & societatis affectu? Sed Christus Iesus est *Emanuel, nobiscum Deus.* Nobiscum igitur est, & totus pro nobis, amore illo quo nos complectitur, vt caput membra, Rex subditos, vt parens ossa de ossibus suis, vt frater fratrem sibique iunctos. *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum*, charitatem suam erga nos demonstrans, & mutuam fraternitatem. Quis illo Aduocatus melior, qui parti suæ benignam addixit sententiam,

& quæ-

t quæcunque promisit potens est & facere. Iesus Christus vero promisit se f. &urum quidquid per ipsum postulauerimus. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam.* Ioan.14. Quis illo Aduocatus melior, qui compatitur afflictis, ac ipse vt hoc possit, miserias suscipit? Iesus Christus verò ex us quæ in mortali vita passus est, compassionem didicit. *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absq; peccato.* Hebr.4.

Hebr. 2.] *In eo in quo passus est & ipse, & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari.*

Virg. 2 Æneid.

*Non ignara mali miseris succurrere disco.*

Quis tandem illo Aduocatus melior, qui omnia pro Deo facit, ac pro labore suo nihil quærit, nisi Dei gloriam, ac suam & clientum suorum salutem? Iesus Christus autem solum hoc præ oculis habet. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam, vt glorificetur Pater.* Ioan.14. Idcirco faciam, vt Pater glorificetur in Filio, & bonitate ac satisfactione eius.

*Turpe reos euitâ miseros defendere lingua,*
*Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis*: inquit ille. Quem illo igitur meliorem optemus Aduocatum?

Certum est inde à mundi exordio neminem huc vsque exauditum, in vllo, nisi per fidem & gratiam huius Mediatoris. Quid verò putatis fuisse causæ, quod in lege Mosaica statueret Deus, vt summus Pōtif. x, cui soli legitimum erat in sancta sanctorum ingredi, ferret humeris nomina duodecim tribuū Israel, & totidem in pectorali lapides pretiosos, populus verò staret à longè, vt supplicationes suas sacerdotis illius ore porrigeret. Nonne vt figura ac ceremonia illa ind caretur lōgè nos à facie Domini submotos; & quod mediatore indigeamus, q pro nobis vultui eius appareat, qui nobis sanctus fiat Christophorus, qui nos humeris portet, in pectore circumferat; vt eius gratia exaudiamur. *Verus ille currus Israel & auriga*

*eius*

*eius* est. Omnes igitur etiam Iudæi hoc tenuere principium. Ea solum est differentia quod Iudæi, & quicunque ante aduentum Domini nostri Iesu Christi & passionem eius exauditi sunt, exauditi sint per merita Messiæ, quem venturum credebant, sicut adhuc credunt: nos autem exaudiamur per merita Messiæ, qui iam venit, mortuus est, & resurrexit pro nobis. Solus enim interpres & os nostrum est quo loquimur ad Patrem; solus oculus quo videmus Patrem, solus dextra qua exigua nostra, nosque ipsos Patri offerimus. Quo sublato nec nos, nec Sancti, nec ipsi Angeli accessum habent ad patrem. Qui nisi fuisset optimo iure diceremus omnes, *Domine hominem non habeo*, qui scilicet mea promoueat. Ecce rationem cur semper Ecclesia preces suas concludat *per Dominum nostrum Iesum Christum*, &c. quasi hoc aut illud quod petimus, in gratiam filij tui Iesu Christi Domini nostri benignus concede. *Per quem*, inquit, vt mediatorem. *Maiestatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes.*

Humani hoc etiam moris est, vt parentes in gratiam filiorum suorum nonnunquam aliquibus concedant veniam; sicut & contra filij in gratiam parentum.

*Plutarch. in Themist. tom. 1. vitarum.*

Refert vt rem certam Plutarchus, quod suorum inuidia profugus olim Themistocles, ac in potestatem Admeti Regis Molossensium se permittens, complexus brachiis filium Regis, ita se ante ipsum abiecerit, cui plurimum suffragatur quod hoc supplicandi genus Molossij existiment efficacissimum, ac pene repulsæ securum. In gratiam etiam parentum non nihil aliquando remitti, in Nino exemplum est antiquissimum, ac grauissimum: qui vt primus Assyriorum Rex, sic & primus idololatriæ fuit author. Fertur enim ad Beli parentis sui defuncti statuam, eos primitus instituisse honores qui soli Deo debentur, ac imperasse vt Beli effigiem omnes pariter colerent, sub nomine Iouis Babylonij, ac ibidem rei impunitatem consequerentur, qui ad hoc confugissent asylum; fortissima sa-

ne ad

ne ad idololatriam illecebra. Frequentissimum etiã est tertio alicui gratiam facere, in fauorem alicuius quem impensè amamus, si hic pro eo interueniat. At Iesus Christus, filius Dei vnicus, ac dilectissimus, gaudium omne, ac æterni Patris anima, *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui*, vt testatus est tam in transfiguratione quã in baptismo eius coram toto mundo Pater. Ergone mirum quod apud patrem tantum gratia valeat, vt ad fauorem ac interceſſionem ipsius obtineamus omnia quæ per ipsum petimus? In hoc igitur cum aduersariis conuenimus, quod etsi recta & vno quasi saltu ad Deum patrem inferre nos possimus, exẽplo Prodigi; facere nihilominus oporteat aliquid, quod non fecerit ipse, vt saltem insinuemur & præsentemur Deo, per Christum Iesum Mediatorem nostrum (vt paruus Beniamin ad Ioseph adductus est) & allegare merita eius, ac dicere, *Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum*, hoc aut illud nobis concede, *Ecce homo, ecce homo*. Aut potius orare Christum Iesum, vt causſam nostram suscipiat, ac apud Patrem se interponat. Non quasi Christus Iesus flexis genibus abiectas obeat supplicationes; ex Apostolo enim discimus quod appareat vultui Dei pro nobis, ac cupiat mortis suæ pretium, quæ perpetui valoris est interceſſio, huic aut illi speciatim prodesse. *Matth. 13.*

In hoc autem dissidemus: quod nos Catholici admittamus & commendemus Sanctorum & Sanctarũ inuocationes, qui in cælis beati sunt, ac ibidem de perfectione sua exultant, vt nobis quasi honoratiores aulici opitulentur, ac causſas nostras apud Deum agant.

Hoc aduersarij nostri neutiquam tolerant; sed accusant insuper nos quasi quilibet nostrum ad arbitriũ suum Deos extraneos & idola sibi procudat: quasi interceſſionis officium Christo detractũ, transferamus ad ipsius famulos; quasi de fide, diligentia atque industria primi nostri Aduocati diffidamus, Præsidis libellorum supplicum, maximè supra omnes affabilis.

Ecce

Ecce noſtrum diſſidium. Quod vt dirimerent aduerſarij noſtri via facti, tantum fuderunt ſanguinem, ita humi raptarunt imagines, tot ſubruerũt monaſteria, tot templa, tam magnifica, tam auguſta, monumenta pietatis maiorum noſtrorum, *veterum decora illa parentum.*

## II.

### *Licitum eſſe ac expedientiſſimum inuocare Sanctos defunctos pro nobis.*

CVm igitur honor hic nobis de idololatria periclitetur, ac furti accuſemur, plagiatus, ſacrilegij, & cum Sanctorũ, fideliũ Chriſti miniſtrorũ intereſſit, qui modo in cœlis triumphant, quos, quaſi magiſtri honorem zelantes, debitis exuerũt honoribus, ac noſtra etiam damna miſceantur, ne fraudemur tot tantiſque corporis & animæ ſubſidiis, ac ſolatiis, quæ nobis a Sanctorũ manu proueniunt: ne etiã noſtrum ſilentium diaboli intento fiat oportunũ, qui ſentiens Sanctorum cultum & inuocationes tãtopere ſuis obeſſe conatibus, nihil quærit niſi illum penitus auferre; atque ipſum aduerſæ etiam parti ſit damnoſum, qui legentes forte vel audientes hinc poſſent capere fructum; ad ſcopulum hunc aliquantiſper nobis ſubſiſtendum eſt, vt ius noſtrum, ac miſerrime deceptorum oſtẽdam errorem. Quos obſecro fraterne in nomine Domini, & per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui veniet iudicare viuos & mortuos, ad lucem tam ſplendidam aperire oculos, & aures ad veritatem tam fundatam. Incipiamus ergo cũ omni claritate, abſque omni maledicto, quod ab omni, maxime a Religionis diſceptatione ſubmouendum eſt.

Si Sancti inuocandi non ſunt, cur quęſo ipſe Deus apparens Abimelech Regi poſt raptam ſpecioſiſſimã illam Sarã, vxorem Abrahæ, mandauit vt reconciliaretur Abrahæ, reddita ipſi vxore ſua intacta atque intemerata, *& orabit pro te & viues*? Et cur Abrahamo orante retraxit flagellum Deus, à Rege, Regina, omnique

*Gen. 30.*

nique eius domo, vt clausi rursum fœtarent vteri?

Cur mandauit Deus amicis Iob vt illum acciperēt intercessorem, quem diuersimode inter disputādum offenderant? *Iob seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia?* Ac orante pro illis Iob, cur quęso dimisit? Quare omnis populus vadit ad Samuelem, rogans ne cesset orare pro illis Dominum, vt ex vnguibus hostium eriperentur. *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philistinorum.* Quare rogat Moysen Pharao post singulas plagas, vt pro se Deum oret, vt amoueat flagella, promittens libertatem populo? Quare Saul non expleto Domini mandato, de delendo ad internecionem Amalec, cum ex Samuele intellexit ideo se reprobatum, seque ac posteros regno priuandos dixit Prophetæ: *Nunc porta quæso peccatum meum, & reuertere mecum vt adorem Dominum.* Quare seniores Bethuliæ, Regiæ isti ac Heroinæ fœminæ Iudith dicunt: *ora pro nobis, mulier enim sancta es?* Quare in captiuitate Babylonis viuente adhuc Ieremia Propheta, qui reliqui erant in terra Iuda rogabant, vt misericordia motus intercederet ad Dominum, pro reliquiis Israel.

*Iob.42.*

*1. Reg.7. Exod. 8. 9. 10.*

*1. Reg.15.*

*Iudith.8.*

Ierem.10.] *Cadat in conspectu tuo oratio nostra, & ora pro nobis ad Dominum Deum tuum, pro vniuersis reliquiis istis, &c.* quod & fecit.

Quare toties S. Paulus, qui vobis non minus quam nobis in ore est, toties ac tam instanter exigit preces Christianorum, tam Romanorum quam Colossensium, & Thessalonicensium? Quare suadet Sanctus Iacobus *Orate pro inuicem vt saluemini*? Cur magnus ille S. Anthonius, ab omnibus obuiis sacerdotibus captabat benedictionem? Quare in omni gēte instituti sunt sacerdotes, quare & Vestales, nisi vt quælibet suū deprecarentur Iouē, Deosq; minores pro populo, pro Regibus, pro incolumitate Reipublicæ, ac, iuxta magnorum sententiā, pro statu Imperij Romani? Quare adhuc turmatim ad Martyrū ergastula curritur, vt ibi deuotissime ipsis cōmendemur? *Apost. & Mart. adhuc in cor-*

*Iacob.5.*

D. Hieron. ep. ad Ripar. *in corpore constituti possunt orare pro cæteris*, dicit S. Hieronymus. Si seniores Iudæorum aliquid apud Christum valuerunt, vt sanitatẽ reciperet æger Centurionis seruulus? Quare minus valebunt in paradiso Sancti pro peccatoribus implorati? Deũ profecto, charissimi, parum, parum inquam habemus ciuilem, atque humanum, si quod terreni Reges in gratiam familiarium suorum faciunt, qui aulas ipsorum sectantur, quando intercedunt ac postulãt aliquid pro aliis, tantundem Sanctis ac virtute abundantibus in cœlo deneget? Si decertasse pro temporalibus aliquid inter homines pollet, certe pro cœlo desudasse apud piissimum Deum plus pollere debet. Non sane, non adeo inhumanus est Deus, vt nihil Sanctis suis permittat.

Psal. 144. *Voluntatem timentium se faciet*, inquit Propheta, *& deprecationem eorum exaudiet*. Plus & multo plus possunt cœlestis Curiæ sectatores. Quia in terra adeo ipsi seruiere fideliter, sanctam eius faciendo voluntatem, abnegantes suam; facit iam rursus ipsorum voluntatem Deus in recompensam.

Verum est, inquiunt, ac libenter admittimus viuos implorari ac deprecari pro peccatoribus, multumq; Prodigo conferre: sed de Sanctis hinc euocatis negãt aduersarij. Hoc idem est quod negauit Vigilantius, quodque in Commentariis super Isaiam Oecolampadius, sed Dormitantius ille potius in hoc quam Vigilantius, nec illuminatus satis, aut Dei domum illuminans Oecolampadius, infœlices vterque veritatis doctores. Videamus num ipsis scripturæ contradicãt, nobisque consentiant. Nonne dicit Scriptura quod Iacob vicinus morti, benedictionem dederit filio suo

Gen. 48. Ioseph, adiiciens post alia: *Inuocetur super eos nomen meum, nomina quoq; patrum meorũ Abraham & Isaac.* Desiderabat igitur suam post mortem maiorumque suorum iam defunctorum nomen inuocari, quorum corpora quidem dormierant, animæ vero semper coram Deo viuebant.

Quoties Moyses, & qui ipsum sequebantur probi, Deum placare aut exorare aliquid voluerũt, suis diffi-

ſi meritis, ſemper trium illorum Patriarcharum Abraham, Iſaac, Iacob, qui amiciſſimi acceptiſſimique Deo erant, allegabant nomina, nonnunquam etiam nomen Dauid, vt in Pſalmo trigeſimo primo: *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* Et: *Propter Dauid ſeruũ tuum non auertas faciem Chriſti tui.*

Iſraelitæ in Babylone capti, nonne orant exaudiri preces mortuorum ſuorum? imo & filiorum iſtorum qui peccauerant? Baruch 3. *Domine omnipotens Deus Iſrael, audi nunc orationem mortuorum Iſrael, & filiorum ipſorum qui peccauerunt ante te.*

Et Machabæorum libri, nonne docent poſt mortem Oniam Iudæ Machabæo apparuiſſe, cum altero quem ipſi digito demonſtrabat, dicens, 2. Machab. 15. *Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael. Hic eſt qui multum orat pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate, Ieremias Propheta Domini?*

*Vide Euſeb. li. 12. de præpar. Euang. cap. 1. & lib. 13. cap. 7. Pſal. 118.*

Ac citans eundem locum Euſebius Caſareenſis, concludit inde rationi conſentaneum eſſe, honorari à Chriſtianis Sanctos, tanquam Deo intimos, ac inuocari, vtpote quorum gratia plurima nobis præſtentur beneficia diuinitus.

Et quid Dauid voluit, dicens: *Particeps ego ſum omnium timentium eum: omnium, omnium*: tam mortuorum quam viuentium.

Et quid ſibi volunt iſta verba? *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.* Omnis Sanctus, inquit, vtique tam in corpore quam extra conſtitutus.

*2. Pet. 1.*

Quid deniq; S. Petrus, promittens poſt vitam crebro meminiſſe eorum? *dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum.*

Taceo Conciliorum auctoritatem, omnium Patrum conſenſum, tam Græcorum quam Latinorum, qui non tantum verbis & ſcriptis, ſed factis etiam, & exemplis quæ docemus aſſeruerunt: adeo vt vix aperire ac libros ipſos inſpicere contingat, quin confeſtim illa incurrant in oculos. Sufficiet mihi hoc loco vnam attuliſſe ex S. Hieronymo ſententiam, perſpicuam plane ac irrefragabilem.

D. Hieron. lib. aduersus Vigilant.] *Dicis in libello tuo quod dum viuimus mutuo orare possumus, postquam autem mortui fuerimus nullius sit pro alio exaudienda oratio, præsertim cum Martyres vltionem sui sanguinis obsecrantes impetrare nequiuerũt. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quãdo de se adhuc debẽt esse solliciti, quãto magis post victorias coronas, & triũphos? Vnde vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorũ impetrat à Deo veniam. Et Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo, persecutoribus veniam deprecatur. Et postquã cum Domino esse cœperint minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex, sibi dicit in naui animas condonatas: & postquã resolutus esse cœperit cum Christo tunc ora clausurus est: & pro iis qui in toto orbe ad suum Euangeliũ crediderunt mutire non poterit: meliorque erit Vigilantius canis viuens, quam ille leo mortuus? Recte hoc de Ecclesiaste proponeret si Paulum in spiritu mortuum confiterer.*

Exod. 32. Act. 7. Act. 27. Eccles. 9.

Pulchra ac neruosa S. Patris sententia, quę pro exẽplo seruiat. Et S. Petrus, nonne ad S. Agatham mammillam eius curaturus venit in carcerem? & orans S. Agatham B. Lucia, nonne responsum accepit, quid à me petis quod ipsa poteris præstare continuo matri tuæ, post exantlatum iam martyrium?

Nec Romana solum eam fidem tenet Ecclesia, sed antiqua etiam, vt supra demonstrauimus, synagoga; vt nullus iam relinquatur obiectionibus locus.

Scribit Rabbi Salomon Iacobum iccirco noluisse vxorem suam sanctissimam fœminam Rachel, sepeliri in Hebron, sed in Bethleem; vt oraret pro posteris, cum Nabuchodonosor direpta Ierosolyma transmigraret eo in Babylonem: quod & fecit, *plorans filios suos*, quod nihil aliud est, quam pro iis interpellans.

*S. Ephraem de laudibus Ioseph.*

Ac S. Ephraem ait Iosephum Madianitis vẽditum, cum ad maternum sepulchrum peruenisset, S. sc. Rachelis, plorasse largiter, ac impensè, fauorem auxiliaque eius inibi deprecatũ, quæ & sensit. Iosephus magnus ille rerum Iudaicarum scriptor, & ipse Iudæus, aliique nonnulli, ex 4. Reg. c. 2. & 2. Paralip. c. 21. deducunt

*Ioseph. lib. 2. antiq. cap. 2. & author lib. Sedorollam cap. 17.*

cunt manifeste, quod septimo postquam raptus est in cœlum anno, literas miserit Helias ad Ioram, quibus eum acerrime redarguit, quod societatē cum infidelibus inierit Israelitis, ac ipsi regnoq; proximo impendentem ab irato Deo denūciat ruinam. Imo & hodie dum mortuorum suorum corpora Iudæi condunt, Angelos paradisi custodes, & Abraham, Isaac, Iacob, Saram, alioſque inuocant, quorum sepulta sunt corpora in cauerna duplici Hebron, vt videlicet subueniant defunctis ipsorum, ac paradisum aduenientibus pandant. *Angeli pacis exite*, inquiunt, *occurrite, aperite portas paradisi. Patres qui dormitis in Hebron aperite illi portas horti Eden, &c.*

Sed quibus quæso inducti rationibus? fortissimis sane ac prægnantissimis. Primo. Quia certum est hominem eundem, sanctum, post mortem multo meliorem, Deoque aceptiorem esse, quam dum adhuc viueret.

Si ergo Sancti in carne constituti, cum minus apud Deum gratia & familiaritate pollerent, minusque essent perfecti hoc potuerunt, multo sane plus ipsorum valebit gratia, quādo soluti corpore, purgatiores, ardentius & constantius Deum amantes, plura vicissim ab ipso bona quam in hoc mundo recipiunt. *Secundo.* Quia maior ipsis proximorū charitas est modo, quā antea. In patria enim ac in paradiso perfecta est & cōsummata, in via autē initiū eius nōdum perfectū. Hic homines erant humano quodā modo proximos diligētes, ibi Seraphim sunt; hic vernus quasi caritatis tepor est, ibi dierū canicularium ardor. Certūque est quo quis alterum magis diligit, tāto magis amici miseriis tangitur, fortiusq; vt inde extrahatur allaborat, si ergo dum frigus adhuc circumstabat vicinum, pro suis orauerint, cū tota iam æstas exæstuat, putātur facturi minus? *Tertio.* Quia dupliciter, aut tripliciter nobis sunt obligati. *Primo.* Tanquā eiusdem corporis commembris, per Sāctorum communionem quā in symbolo nostro credimus. Sicut enim ciuis ciuem, frater fratrem, iuuare tenetur, ac patiente læsoque membro

vno compatiuntur reliqua: sic & Sancti in paradiſo mihi debent opitulari, quia non minus quam ipſi ciuitatis Dei ciuis ſum, Chriſti membrum; etſi non æque bonum, membrum tamen.

Secundo. Quia in paradiſo Sancti etiam ſunt, qui multis illuc annis nondum peruenissent; niſi adiuti Eccleſiæ militantis precibus.

*Hoſtimentum* ergo faciendum eſt, vt nimirum, maxime cum in triumphante Eccleſia facultates copioſe ſuppetant, reddant par pari. Si militãs Eccleſia promouit ad triumphãtem eos qui erant in Purgatorio, cur minus iuuabit triumphans militantem, vt obtenta victoria ad eundem cum ipſa triumphum educatur? *Non occidetur quiſquam in die hac, quia hodie fecit Dominus ſalutem in Iſrael*, dicebat Saul parta de Ammonitis victoria. Contra magna fuit Pincernæ Pharaonis ingratitudo, qui Ioſephi, à quo redemtionis prædictione in carcere fuerat conſolatus, poſtquam inde exierat obliuiſcebatur. Eadem Sanctorum eſſet inhumanitas, ſi in gaudiis conſtituti eorum non recordarentur, quorum in pœnis experti ſint ſolatia.

1. Reg. 11.

*Tertia* Ratio. Ex decoro.

Æquum ac conueniens vtique eſt, vt qui emerſerunt ex fluctibus, ac vias decurrerũt periculoſas, cum in portu ſteterint, alioſque viderint nauem aſcendere ſoluturos, aut iiſdem afflictari ſcopulis, conſilio ſaltem ac adhortationibus, & quæ tempora ferunt ſuccurrant mediis, vt periculum idem euadant, ac communem gratiæ & ſalutis portum teneant. Certe qui iam ſui ſuperarunt pericula, noſtra non deſpiciũt naufragia. *Sancti enim de ſalute ſua ſecuri, de noſtra ſolliciti ſunt*, inquit Cyprian.

*Cypr. ſerm. de mortalitate.*

Omnino enim decorum eſt, vt infirmiores à fortioribus, quos aliqua ratione contingunt, adiuuentur. *Nam & tauris*, inquit Cicero, *natura datum eſt, vt pro vitulis contra leones ſumma vi impetuq; contendant*: ſic ij qui valent opibus, atque id facere poſſunt, ad ſeruandum genus humanum natura incitantur.

*Cic. lib. 3. de finibus.*

* *Quarto.* Quia Saluator noſter in futuro ſeculo dicet,

cet, homines Angelis futuros similes. Sed quis ignorat quod *Angelis suis mandauit Deus de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis*? Quod pro nobis orent Angeli, quod preces nostras Deo offerant, faciantque acceptiores. Negari non potest S. Ioannem vidisse in Apocalypsi quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores, prosternentes se ante Agnum, habentes citharas & phialas suas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. *Psal. 90.* *Apoc 5.*

Quod idē alias Angelū viderit ascendentē ab Altari, habentem thuribulum aureum, cui data sunt incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum super Altari aureo, quod est ante thronum Dei. Et inde ascendit fumus incensi, orationes Sanctorum, in conspectu Dei, de manu Angeli. Si negari non potest Angelum bona Tobiæ opera, cum sepeliret mortuos, proinde & preces eius præsentasse Domino. *Apoc. 8.*

Tob. 12. vox est Angeli.] *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam* Domino. Optime sequitur, ꝙ beati auxiliis viuorum intēdant.

Negari denique non potest Sanctos melioris conditionis esse quam damnatos: negare enim illis infinito maiorem esse gratiam, quam perditis illis hominibus est cœlum terræ, paradisum inferno miscere, & omnia in antiquum chaos refundere.

Dominus autem noster retulit alias diuitis animā, iacentem in flammis, ac voluptates suas, & erga Lazarum immisericordiam male luentem, orasse ex inferno Abraham, pro fratribus suis adhuc superstitibus, vt admonerentur cauere sibi eius exemplo, ne simili supplicio aliquando inuoluerentur. *Luc. 16.*

Faciunt igitur Sancti in paradiso tantundem, tam in genere quam speciatim etiam pro suis. Quid? in ipsis Paganorum scriptis, quoties Iuno introducitur Iouem orans pro Carthagine, Venus pro Troia, pro Ænea, pro Romanis, pro suo Iulio Cæsare? Omnia plena istis. *Vide Ouid. 15. Metam. in fine.*

Ecce tibi meas rationes, eaſdem autem & Eccleſiæ, quibus adſtruo interceſſionem Sanctorum. Et nihil vel ex ipſorum vel ex noſtra parte, eſt quod nos inde vt Prodigum deterreat? non quod ipſos aliquando offenderimus: (nõ enim mortui ſũt niſi omnia inimicis ſuis cõdonarent) & ſic cum orant Martyres *Vindica Domine ſanguinem noſtrum qui effuſus eſt*, non ſimpliciter orant perſecutores ſuos, quam cõuerti, & corpora ſua reſuſcitari: & ſi viuẽtes adhuc inter tormenta, pro tortoribus ſuis orarunt, proculdubio id iã multo facient amplius. Non aliqua ipſorum prohibet auaritia (noſtra enim gloria ipſorum beatitudinem non minuet ſed augebit:) nõ ſuſpicio infidelitatis ac diffidentiæ: (nam apud ipſos omnis ſinceritas:) non quod ſibi in aliquo timeant: (Dei enim opes vtendo non extenuantur vt Regum; & Sancti impetrantes aliquid vni, viam non occludunt alteri:) nõ indignatio quam formident, orantes pro imminentibus: (confirmati enim ſunt in gratia, nec vnquam poſſunt excidere) nõ diffidentia diligentiæ ac ſedulitatis ipſorum: (nullam enim aliam habent curam quam vt pro nobis in ſua gloria orent) nõ quod ſperare poſſimus nos ipſos melius cauſſam noſtram acturos, (melius enim norunt qua ratione Dei miſericordia obtinearur quam vllus mortalium.) Ad Sanctos igitur, ad Sanctos dilectiſſimi Catholici, ad Sãctos in neceſſitate & precio-

Apoc. 6.

## III.

### *Quæ argumenta in contrarium fieri poſſint, & quomodo ſoluenda.*

ADuerſarij igitur vt populo facilius imponãt, aliquas etiam in aciem educũt rationes; ſed reuera ita inſulſas, ita inueriſimiles, vt nihil æque. Audite eas obſecro, & prima, non dubito, fronte auerſabimini. Puto quod & ipſi intus & in corde eas reiiciant: faxit Deus vt publice tandem deteſtentur.

Dicunt igitur primo. Sanctos noſtras preces ac neceſſita-

cessitates ignorare; ac ideo frustra eos inuocari. *Quis nobis reuelauit* (inquit infœlix Caluinus) *tam longas Sanctis esse aures, vt ad nostra verba dependeant? tam illos acutum videre, vt nostras necessitates inspiciant?* Timet bonus vir ne Sanctos nostros vt Midas pingamus auritos, aut oculatos vndique tanquam Argos: adeo in Sanctos religiosus est, adeo formidat in Ecclesia imagines aliquas tolerare ridiculas: male enim nugatur in re tam seria. *Calvin. lib. 3. Inst. cap. 20. §. 24.*

Respõdeo. Nos nihil incõuenientis tribuere Sanctis, nec Midæ auriculas, nec Argi oculos, nec visum Lyncei, vt ex tam lõginquo corporales nostras necessitates videant. Negamus enim ipsis vsque ad corporum resurrectionẽ corporeas aures, & oculos; spiritus modo sunt, & excorpores, excepto Domino nostro Iesu Christo, B. Virgine, & verisimiliter illis qui cũ Christo resurrexerunt, & ascenderũt in cœlum. Dicimus tamẽ spiritus illos audire nostras preces, videre necessitates, sed Angelico modo; quando sc. intellectus ipsorũ comprehẽdit, cognoscit, cogitat nostras miserias ac inuocationes. Possunt autem illas intelligere diuersis modis. Primo. Angelorũ euntium & redeuntiũ perpetuis internunciis, qui ascendunt & descẽdunt per scalam Iacob, versantes inter nos, & reuertentes in cœlũ, vt ibi nostra Deo exhibeant, ac mãdata ipsius ad nos perferant, quid sc. fieri quid non fieri velit. Vt ego hic in vestra Namurcensi præsens ciuitate, pedem non mouens, possum pleraque scire quæ Montibus, in vrbe nostra geruntur, aut consistens in Burgundia, quid per bonam partem Galliæ accidat, per tabellarios, veredarios, internuncios, transeuntes, &c. Sic & Sancti, ciues cœli, facile quid hic infra agatur cognoscere possunt, ex Angelis, qui vt perpetui cursores vltro citroque commeant. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* *Psal. 103.*

Quid? Quare nõ credamus narrare Angelos Sãctis, qui ipsis in cœlo vt supplemẽta permisti sunt legionũ ac cohortium, quid hic apud nos geratur, cum toties annunciarint & annuncient nobis, quæ aguntur in

cœlis. Nonne cœli cursor ac veredarius fuit Angelus, qui per transitum indicauit Abrahæ quid in Trinitatis arcano consilio esset constitutum, de excidio Sodomæ, de generatione Isaac filij sui, de posteris eius, quæque ipsis essent euentura? Nonne nuncij fuerunt cœli, qui dixerunt Isaiæ Messiam ex Virgine nasciturum, Danieli tempus reuelarunt natiuitatis, ac ipsi Virgini Reginæ cœli electionem in matrem?

*Gen.*18.

*Daniel.*9.

Imo vero, dilectissimi, semper deuoti illi peregrini in medio nostrum sunt, ac agunt, spectatores calamitatis, auditores gemituum nostrorum & precum, testes lacrymarum oculati, auriti suspiriorum, redeuntes in cœlum, & fungentes legatione sua, referunt amicis & conciuibus suis nostram hic indigentiam, ac miseriam, vt pro nobis quod possunt, fideliter apud Deum intercedant. Singulariter vero Angeli qui ad custodiam nostri destinati sunt, vt nos in manibus suis portent, ne offendamus, vt maiores filij fratercu-

*D. Amb. lib. de viduit. & ser.* 77.

los suos minores. *Angeli Martyres, isti sunt nostri præsules, & speculatores vitæ, actuumque*, inquit S. Ambrosius.

Secundo. Ex relatione tot millium animarum, quę quotidie in cœlum euolant, traiecto huius mundi

*D. Augustl. lib. de cura pro mort. ca.* 15.

tempestuoso ac procelloso mari, inquit Augustinus. Dubitandum enim non est, quin sicut Angeli inter se familiaria sua habent colloquia, alterq; alterum illuminat ac instruit, sic & beatas animas inter se conferre de Dei gloria, de sua, de nostra salute, de similibus negotiis: non quidem vocaliter sicut nos, sed inexplicabili quodam modo suas sibi mutuo cogitationes manifestantes, ac voluntates. Nunquamne legistis

*Matth.*17.

quomodo in monte Thabor Moyses & Elias apparuerint tribus discipulis, loquentes cum Iesu mysteria passionis, in die transfigurationis? Non legistis colloquium Abrahæ cum diuite Epulone? Animæ igitur hinc recedentes ac sanctæ, sanctos certiores faciunt de iis quæ circa nos sunt, de votis, lachrymis, precibusque nostris.

Potest etiam notitia hæc ab ipsorum subtilitate pro-

proficiſci, tum quia ſemper gratia illuſtrantur, tum quia curis multis rerum temporalium ibi non diſtrahuntur, nec grauantur ac obſidentur diutius lutea terreaque hac corporis maſſa, ſubditi inediæ, ſiti, ſomno, morti; ac proinde alacerrimi ſunt, vt nihil cogitent niſi Dei gloriam, proximorum ſalutem, vt bene argumententur ac augurentur futura ex præſentibus & præteritis, ac omnia clare peruideant.

Inſuper: dicunt aliqui quod præſentiſſimam eorum habeant memoriam, quæ in vita vnquam experti ſunt, ſiue deſiderabilia ea ſint, ſiue deteſtabilia.

Omnia hæc bona. Sed ecce potiſſimum medium quo Sancti miſerias ac preces noſtras ediſcãt, hoc eſt, quod videntes clare Deum, facie ad faciem, tanquam in nitidiſſimo terſiſſimoque ſpeculo, videant omnia noſtra, quantum ſcilicet ad beatitudinis ipſorum conſummationem conferunt. Sic diuerſis locis S Auguſtinus, & poſt, & ante illum alij Eccleſiæ doctores complures. *D. Aug. in Pſal. 108. li. de cura pro mort. ca. 15. & 16.*

D. Aug. lib. 9. ciuit. cap. 22.] *Angeli boni* (itaque & Sancti & beati) *certius etiam temporalia & mutabilia iſta nouerunt, quia eorum principales cauſſas in Dei verbo cõſpiciunt, per quod factus eſt mundus, quibus cauſſis quædam probantur, quædam reprobantur, cum ordinantur.*

D. Dionyſ. Areopag. lib. de cœleſt. Hierarch.] *Quid eſt quod Sancti in cœlis non videant, in quo perfectæ rerum omnium ideæ conſpiciuntur?*

D. Greg. lib. 12. moral. c. 13.] *Quia ſanctæ animæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid quod ignorent.*

Idem lib. 4. Dial. cap. 33.] *Quia omnes communi claritate Deum conſpiciunt, quid eſt quod ibi neſciant vbi ſcientem omnia ſciunt?* Quidni? Si enim Prophetæ videre potuerunt abſentia, intelligere non exiſtentia, præuidere futura, quamuis graui hoc corpore carcerati, mortalitatis veſte amicti, quia nimirum in illis habitabat Deus? Quid abſurdum videtur ſi Sancti in cœlo corporis hac mole exſoluti, & obſtaculis exuti, noſtras neceſſitates preceſque intelligant, cum Deus ibi

sit omnia in ipsis? Quod Prophetæ absentia viderint,
4. Reg. 5. clarũ est in Propheta Elizæo, q lõgissime distãs quid Rex Syriæ in conclaui ac secreto cõcluderet percallebat, ac famuli sui Giezi videbat auaritiã ac simoniam.

Actor. 5. Videmus in S. Petro, quod Ananiæ & Sapphiræ de pretio agri fraudatã partẽ non ignorauerit. Isaias tot centenis annis præuidit Christum vt leprosum in passione sua deformandum, quod non nisi multo post ipsum tẽpore impletũ est. Moyses duobus fere annorũ millibus post creationem refert Dei in opere ipso, & cũ Adamo, ac Eua habita colloquia: dialogũ serpẽtis & Euæ, opera Abelis, Enos, Noe, Abrahã, adeo accurate, adeo particulatim, adeo certò, quasi omnium oculatus & auritus esset testis, ac omnib. ipse interfuisset. D. Aug. l. 20. ciuit. c. 22. ] *Si hæc Prophetæ necdum facta nosse potuerunt, per hoc, quod erat Deus, quantulumcunque erat, in eorum mortalium mentibus; quomodo immortales Sancti, iam facta tunc nescient, cum Deus erit omnia in omnibus.* Qui in nouissimo die in vno ictu oculi, omnia simul omnibus manifestabit, peccata omnia quæ fuerunt, sunt, & erũt vnquam, vt videamus æquitatem iudicij eius; sufficiens non est modicum quid miseriarũ & precum nostrarum Sãctis exbiberet.

Quid ipsi etiam pagani beatos suos post mortem omnia videre arbitrati sunt. Cic. in somnio Scipionis, nonne introducit seniorem Scipionem, agnominatũ Africanum, despiciẽtem ex sublimi stellatoque loco, pulcro & nitẽti totum terrę globum, & maxime triũphalem Romam, victamq; Carthaginem? Vt naphta igni accenso & flammanti admota statim etiam accenditur, & flammat, sic animæ nostræ accedentes ad Deũ, omnia videntẽ, statim diuinæ ac omniscię fiũt.

Imo vero (inquiunt) Sancti si in paradiso essent, viderẽt omnia; sed non sunt illic, nescio vbi fœlicem illam horam expectantes vsque ad extremũ iudicij diẽ: nam tum primum (tollunt enim homines illi particulare post mortem cuiusque iudicium) cuique locus ac gradus pro merito suo assignabitur.

*Vide nostrũ orbis terrorẽ de iudicio particulari.*

Ah miseri homines, qui ita errorem errori inædificant,

tant, mendacium fulcientes mẽdacio. Sunt, ô miseri, sunt in paradiso, habitãtque in cœlo iam animæ ipsorum, vident ibi Deũ (infœlices) vident Deum: nisi impudenter omnium Ecclesię Doctorum auctoritatem inficiari velitis, qui hoc docẽt: & vos in Christum Iesum aliquam accersere iniustitiam.

D. Aug. tract. in Euang. Ioan.] *Requiem, quæ continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisq; cum moritur.*

Iustinus Martyr. q. 75. à Gentibus posita.] *Post animi à corpore excessum statim fit bonorum malorumque distinctio. Ducuntur enim ad ea loca quæ eis digna sunt, ab Angelis, bonorum quidem animi in paradisum, vbi consuetudo est & affectus Angelorum & Archangelorum, visio etiam conseruatoris Christi.*

D. Basil. lib. de spiritu San. ad Amphilochium.] *An non extremi stuporis est, Sãctos fateri cum Christo non esse.*

Plato in suo Phædone nobiscum sentit, Cicero & omnes qui recte sunt philosophati, Herculem, Romulum, &c. in cœlo collocant, quamprimum à corpore exeunt, quia hic bene vixerunt.

Scipio Africanus apud Cic. in somnio Scipionis] *Ea vita* (proba scilicet) *via est in cœlum, & in hunc cœtum eorum qui iam vixerunt & corpore laxati illum incolunt locum, quem vides, (erat autem is splẽdidissimo colore inter flammas elucens circulus) quem vos, vt à Graijs accepistis, orbem lacteum nuncupatis, ex quo omnia mihi contemplanti &c.*

Cic. parad. 11.] *Quibus tandem gradibus Romulus ascendit in cœlum? ipsne quæ isti bona appellant? an rebus gestis atq; virtutibus?*

Ouid. lib. 5. Metamorph. Vox Iouis ad Venerem de anima cæsi Iulij Cæsaris.

*Hanc animam interea cæso de corpore raptam,*
*Faciubar, vt semper Capitolia nostra, forumq;*
*Diuus ab excelsa prospectet Iulius æde.*

Senec. in Hercule Oetæo Act. 5. Vox Herculis ad Alcmenam matrem.

*Iam parce mater questibus: manes semel,*
*Vmbrasq;*

*Vmbrasq; vidi: quidquid in nobis tui*
*Mortale fuerat, ignis iniectus tulit:*
*Paterna cœlo pars data est; flammis tua.*

Quis non Poëtarum, sic in Epitaphiis bonorum, vt ego nuper in Germani mei Nicolai?

*Ossa Neomagum; mentem Æther; cetera Monte*
*Accipiunt, Batauo carcere dum morior.*
*Omnes Poëtæ bonorum animas cœlo locamus.*

Quid? Nostri Sancti iam non sint in paradiso? Nec iam ergo morientes melioris conditionis sunt, quam olim sub lege Moysis Iudęi, ante mortem illam Christi vitalem? nihil igitur per eam nobis accessit.

Regnabũt igitur plures in cœlo mortui sub Moyse, quã Christiani mortui sub Christo. Certi sumus plures sub Moyse mortuos, resuscitatos in resurrectione Christi. *Multa corpora Sanctorum surrexerunt.* Et pie credimus illos cum Christo in cœlum ascendisse, cum Patribus illuc vsque in Limbo detentis, ad decorem triumphi, & in signum efficaciæ passionis & resurrectionis Dominicæ: *Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem.* Et Sanctos sub Christo mortuos, anima saltem in cœlis esse negabimus? Et iamsi non credantur corpore cum illo ascendisse in cœlum, excepta B. Virgine, quamuis & de ea nonnulli dubitarint: saltem quoad animas Sanctos ibi esse nunquam dubitandum.

Quę apparentia, fœliciores facere illos, qui sub lege seruitutis vixerint, quam eos qui sub lege gratię, & libertatis? quod illi faciunt qui Sanctos nostros negant adhuc videre faciem Domini. Cur tantopere antiqui Patres desiderassent aduentum Christi, & mortem eius, si ea nihil erant futuri meliores? Est Deum iniquum facere, & suis contrarium legibus. Maxima enim esset iniustitia, & in cœlum clamans, tot animarum millia, tot annorum seculis, ad corporum scilicet resurrectionem vsque fraudare sua mercede.

*Clamitat in cœlum merces detenta laborum.*

Aliud præcipiunt diuinæ leges, dari statim mercedem.

lem. *Non morabitur apud te merces operarij tui vsq; ma-* *Leuit. 19.*
ne. Est Deum magis fingere seuerum quam misericor-
lem: nihil tamē æque clamamus, quam Deum vt mi-
em Principem, pluribus gratiam facere quam iusti-
iam; paratum ad veniam, tardum ad pœnam.

*Est piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox.* *Ouid.*

Est contra exemplum quod ipse nobis proposuit Christus in vineæ parabola, de sua ad solutionem promtitudine. *Vespere autem dixit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios & redde illis mercedem suam.* *Matth. 20.*

Sunt igitur in cœlo & vident Deum, vident, cognoscunt in illo nostras miserias, nostras preces, & proinde non est vanum eos inuocare.

Sed infœlices homines, negant etiam ipsos nobis quicquam impetrare posse, qui nihil impetrant sibi. Quod sibi nihil impetrent probant, quia tot centenis annis clamant Martyres; *Vindica, vindica Domine sanguinem nostrum, qui effusus est*, nec tamen adhuc vindicati sunt.

Talis olim fuit obiectio Vigilātij, vt refert S. Hieronymus. Respondeo illos exauditos iuxta petitionem: vna enim vindicta quam petunt, conuersio est persecutorum, quæ iam diu mille locis completa Ierosolymis, Romæ, &c. Sin autem pœnas illorum postulent, ita postulare intelligendi sunt, sicut, & quando placet Deo; propter maximam ipsorum & voluntatis Dei per charitatem vnionem. *D. Hieron. adu. Vigilant.*

Dicunt etiam abstinere ipsos à negotiis, quibus dum viuerent nunquam se miscuerunt: quasi ideo nobis nihil prodesse. Erasmus introducit Antonium quendam (forte dicens per alium quod per se non audebat; si ita est, ô miserum Erasmum cum omni sua scientia! Sed vix credam de viro tam singulari, qui extra iram non parum mihi videtur conscientiosus) dicentem (post narrationem Adolphi sui, quomodo nautæ quidā vicini naufragio, cecinerint suum *salue Regina*; appellantes Virginem matrem, *stellam maris*, portum salutis) *quid illi cum mari, qua nunquam opinor, naui-* *Eras. in collo. de naufragio.*

*nauigauit.* Et in alio colloquio introducit B. Virginē, querulantem tot, tam variis, & impertinētibus se sollicitari negotiis. *Itane ego, sola, & mulier, & virgo dabo operam, nauigantibus, belligerantibus, negotiantibus, ludentibus aleam, nubentibus, parturientibus, satrapis, Regibus, agricolis? Atqui quod dixi minimum est præ iis quæ patior:* quibus significare videtur frustra Sanctos quosdam inuocari, partim quia in vita negotia ista non magis intellexerint, partim quod pares non sint tot tamque negotiis, partim (vt idem insinuat in naufragio Erasmus) propter viæ in cœlo inter Deum & Sanctos distantiam. *Quia spatiosum est cœlum si cui Deo commēdaro meam salutem, puta S. Petro, qui a proximus ostium prius quam ille conueniat Deum, prius quam exponat causam, ego iam periero.*

*Idem colloq. de peregrinatione religionis ergo.*

Tria igitur ex ipsorum sententia Sanctorū opitulationes impediūt, ignorātia, negotiorū multitudo, & distantia nimia. Respōdeo ignorantiā posse hic habere locum in Sanctis dum viuunt: non enim omnes medicinæ periti sunt, sicut S. Lucas, & S. Cosmus & Damianus; aut iuris, vt S. Iuo; aut nauigationis, vt S. Petrus; aut concionatoriæ, vt S. Paulus; aut militiæ, vt S. Georgius. S. Mauritius, S. Sebastianus; translati vero in cœlum, coniuncti Deo nihil ignorant; minimus in Paradiso Sanctus, magis omnium herbarum virtutes nouit, quā aut Plinius aut Dioscorides; melius callet medicinā quam Hyppocrates, aut Galenus; imo melius quam Æsculapius, vel Apollo. Minima in cœlo muliercula melius nouit omnes belli artes, quā illa vnquā Penthesilea, aut Amazon, imo quā Alexander, & Mars ipse, & sic de cæteris. Idque ideo quia vident, quia legūt, omnia in magna Dei Vaticana bibliotheca, & Deum habent doctorem in omni scibili. Si quis ergo à Deipara virgine in mari petit auxilium, non timendum ipsam nihil intelligere, quia ibi nunquam forte fuerit; si à S. Sebastiano qui forte concionatus est nunquam, gratiam in cōcione; non opinandū est nihil inde subsequi: aut si à S. Paulo, qui medicus non erat, vt morbos curet; quod (vt ipsis videtur) rogandus solus

solus esset S Cosmas aut Damianus: non desperãdum remedium ob ipsius in tali arte ignorantiam. Quia ignorantia illa in profundum diuinę scientiæ immersa, in Deo facti sunt omniscij, non qui ex omnibus sciunt aliquid, & latine dicuntur *scioli*: sed vera, reali, ac solida scientia. Si enim Sancti subuenire non possent mortalibus, nisi in negotiis quæ ipsi hic in terris percalluerint, & tractarint: nulli modo essent Sancti, qui nouos nostros morbos, quales ipsorum tempore nunquam fuerunt, intelligerent; & in paucis tantum pauci nobis essent inuocandi. Inuocandus esset in infirmitate Sanctus solum Cosmas, & Damianus, aut si quis alius medicinam in vita exercuit, aut similibus quibus nos subiacuit morbis. In processibus nemo inuocandus præter S. Iuonem, & si quis alius istius classis in cœlo. Sic & in aliis. Non B. Virgo, non alij, qui in vita nihil sciuerunt opificij quam amare & seruire Deo. Videmus nihilominus & palpamus, qui nũquam medicam exercuerint, precibus morbos depellere; qui nautæ non fuerint vt S. Nicolaus, nauigantibus & periclitantibus in mari adesse; qui arma non tractarint, iuuare prælia; vt temporibus Alphonsi S. Iacobus in bello Hispanico, contra Saracenos & barbaros; qui in carcere nunquam fuerint, vt B. Virgo, relaxare catenas; qui peregrinati non fuerint, errantem in viam reducere; qui Codicem, Bartolũ, & Baldum non viderint, miserorum causas coram iudice tutari; & B. Virginem Mariam, quæ omnia experta nõ sit, omnis generis mortalibus asylum esse, & commune refugium. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Quæ in vita parem non habuit in cœlo, in miraculorum operatione non habet secundum. Illa Bethsabee, cui Salomon suus promisit nihil negare. *Prouerb. 31.*

Alij particulas quasdam, & micas diuinæ gratiæ, & guttas misericordiæ super nos distillant: sed Deipara virgo, diducit copiam & flumina. Sacerdotes illi supplicant in casula, Reges in purpura, diuites in pompa, pauperes in cẽtone, capti in catenis, liberi in prospe-

prosperitatibus, omnis status, omnis sexus, omnis ætas eam non frustra implorat: totus mundus testatur, Patres nostri, nos, nostra posteritas, plena sunt scripta Catholicorum. Videatur tantum Lipsius amicus meus in Aspri-colle in Diua Hallensi: videatur pater Ioannes Bonifacius, societatis Iesu de miraculis Dominæ Montis ferrati, cuius pridem Lugduni, dedicatus Henrico Quarto Regi Galliæ & Nauarræ, & similes. Parietes Ecclesiæ, sacella, beneficiorum ipsius onerata monumentis idem declarant: permitto vt aduersarij nostri dicant quod volunt, si vnquam B. Virgo deuote inuocata ipsis defuerit.

Ignorantia igitur aut inexperientia rerum huius vitæ, quæ hic in Sanctis esse potuit, nihil obstat quominus omnis generis auxilia ab ipsis speremus: illa enim, iam mutato statu, in omni scientiam transit.

Imo vero, quando inuocamus Sanctum non rogamus vt naturali via & arte, sed vt supernaturali & miraculose nos iuuet. Quando inuoco S. Nicolaum in naufragio, non rogo vt veniat, clauum teneat, rudentes ac vela laxet, aut sicut Typhis aliquis, versatusque Nauclerus admoueat manus: sed vt superata natura, & arte, ac humanis viribus, ipse supernaturaliter iuuet & roget vt summam manum Deus immittat. Quãdo oro B. Virginem, vt inter milites, inter latrones saluum mihi faciat conductum, non volo vt arcum sumat, hastam vibret, arma moueat, ad defensionem meam, ad offensam & læsionem alterius, quæ omnia humana natura & ars suppeditant, sed vt miraculose subueniat: quod vt fiat, nihil opus artes militares nosse, militem fuisse; & sic de cęteris necessitatibus, in quibus Sanctos inuocamus.

Imploro denique beneuolentiam alicuius Sancti, & potentiam Dei: non oro vt Sanctus propriis mihi subueniat viribus, & de suo ex propria pharetra, nihil mutuatus: sed oro vt apud Deum agat pro me, qui possit in hoc vel isto subuenire. Quando intercedimus autem, vt alius quis hoc aut istud agat, nihil necesse vt intercedens opus intelligat. Possum facile

rogare

rogare aduocatum de Monte, amicum meum, vt causam amici periclitatis suscipiat, etsi ego iura non calleam, & constitutiones, magis quam linguam Turcicam.

Quare miser Erasmus (sed non est Erasmus qui ista effutiit, arbitror homini isti plus fuisse mentis) grauiter hallucinatur, putans male inuocari B. Virginem à naufrago, quia ipsa nunquam Maria nauigauit.

Quantum vero ad negotiorum multitudinem, quam isti adferunt, vt, quod omnes quibus dētes dolent confugiant ad sanctam Apolloniam, classiarij ad S. Nicolaum, peste infecti ad S. Rochum, aut S. Sebastianum, milites ad S. Georgium, aut S. Mauritium, Hispani ad S. Iacobum Compostellanum, laborantes in puerperio ad S. Annam, aut S. Margaretam, studiosi Athenses ad S. Nicolaum, alij ad S. Hieronymum, alij ad S. Catharinam, alij ad S. Thomam Aquinatē, ciues ad S. suum tutelarem, Parisienses ad S. Genouefam, Montenses ad S. Waldrum, vos ad S. Aldegundem, ac eiusdem regionis homines quique ad suum patronum, & totus mundus ad B. Virginem, illa nos à Sanctorum inuocatione impedire nihil debent, quasi tot rebus implicati, omnibus vacare non possint magis quam artificiosissimus quidam pictor, aut Apelles simul depingere omnes vnius ciuitatis ciues, aut Aduocatus quidam, etsi peritissimus, industria, fide, diligentia, gratia pollens nihil petens, nihil accipiēs, (sed quæso vbi talis Phœnix) ad quem totus concurreret mundus, nobiles, diuites, pauperes, ignobiles, offerentes caussas, orantes auxilia & tutelam, qui si singulis seruire posset, non posset tamen omnibus: hoc de Sanctis absolute negamus.

Id enim esset de Sanctis tanquam adhuc mortalibus loqui, non vt immortalibus iam, & beatis, in quo statu vigorem quendam habent homines, & actiuitatem plus quam humanam, similem valde diuinæ, ad expedienda ferme infinita negotia, sine tempore, sine molestia. Quis dubitet? *si enim erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem* Isaiæ 30.

*dierum, in die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit.*

Cur non credamus Sanctos in paradiso intellectu fore multo agiliori, acutiori, fortiori, omnib. facultatibus ipsorum duplicatis, & auctis: vt facile, integre, & cõmode expediãt negotia quæ ipsis cõmendantur?

Quid? credimusne Iulios Cæsares fuisse Romę, qui diuersi argumenti epistolas quatuor simul dictarent? qui iuxta Plin. legere, dictare, audire simul possent? O homines maiores homine! Et non credimus cœlum modo habere homines, adeo ingeniosos, adeo expeditiuos, vt plurib⁹ in necessitatib. subuenire possint, quam nos in terra grauati crassa carneaque corporis massa? Credite, dilectissimi, vix manũ quis vertat, dũ in cœlo gerũtur quę in terra vix mille annis expedias: tum ob Aduocatorum actiuitatem, tum ob viuaciam Iudicis, qui intelligit antequam os aperiant.

Psalm.] *Antequam clament, ego exaudiam.*

Intellectus noster dũ hic in obscuris latemus vallibus mortalis vitę, comparatione illius quẽ in lucidissima & beata possidebimus immortalitate, vespertilionis oculus est cõparatus Aquilis; Tigridis cursus, volatus hirũdinis, cõparatus reptioni limacũ; celeritas cudẽdi pressorum, cum tarditate scribẽtium manu.

Vt enim vespertiliones ad perspicaciã aquilæ cęcas affirmes, limaces dicas nõ se mouere magis quam agrorum limites, si cõpares pernicitati Tigridis aut hirundinis, scriptorẽ nihil agere cõparatum operibus cudẽtium (impressor enim folia plura vno die procudet, quam expeditissimus in Gallia scriptor vno mẽse scribet paginas) sic Sãcti vno oculi ictu, intercedentes in cœlo, plus expediunt operis quã nos mortales integro anno. Sicut etiam cristallina specula vna hora plures facies naturalius repræsentabunt, quam penicilli Michaelis Angeli, aut Apellis etiam expeditissimi: sic Sancti in cœlo vno momento plures Deo supplicationes exhibent, quam nos hic annis centum. Alius etiam ibi intimandi aliquid Iudici modus est. Hic enim aliud post aliud explicamus, & sic successione

quadam

quadam vsque ad extremum, labitur interea non parum tẽporis, & suspendũt aliquando causam patroni. In cœlo vero infinita causarũ millia Deus simul intelligit, cõceptus, volũtates, desideria, sine tẽporis decursu, Deus omnia simul videt in ipsis, vt nos ciuitatem vnã, aut orbem in tabula geographica; vt in claro speculo simul videmus repræsẽtari oculos, nares, aures, os, centũ capillorũ millia; vel vt signaculũ Regis Hispanię, regnorũ pluriũ cõtinẽs insignia, in molli cera omnia simul exhibet; vel vt typographꝰ, formã habẽs dispositã in qua simul 11. linguæ misceãtur (vt in nouis Calepinis) facit vt obiecta charta vnica pressura omnes recipiat, magis etiã legibiles quã in ipso originali: sic mille interceſſiones diuersæ, in mille diuersis negotiis, quæ colligũtur in intellectu & volũtate Sãctorum, per supplicationes nostras quasi per cõpositionem, simul à Deo perfecte cognoscuntur in prima voluntate Sanctorũ. Mortales Iudices modicũ quid recipiũt, & quasi guttatim ex anguſtis vasculis: Deus vero Sanctorũ volũtates simul intelligit, quasi profusum aperto labro vinũ. Multitudo igitur negotiorũ, & supplicantiũ, prætexi iure non potest à reformatis, quo minus SS. inuocemus, desperata ideo negotiorũ expeditione. Distantia vero quid? Nego etiã illã quicquã obesse: nam in medio est SS. *nõ lõge est ab vnoquoq; nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus, &c.* *Act. 17.*

*Prope est à te Deus, tecum est, intus est*, inquit Seneca. *Senec. lib. 5. epist. 41.*

*Bona mens sine Deo nulla est*, dicit alius.

*Deo qui vbiq; est* (inquit S. Augustꝰ.) *neq; ĩe per loca propinquamus, neq; ab illo per loca remouemur.* Et hæc quidẽ dum adhuc in corpore mortales sumus; quãto magis cum erimus immortales in cœlo: si cœlum multo quam est amplius, nemo Sanctus socio suo à Deo est remotior: non S. Petrus, etiam si Erasmus ipsi stationem ad ianuam assignauerit, quia dicitur clauiger cœli. Sed vt Anaxagoras dicebat, *vndiq; ad inferos tantundem est viæ.*

Sic dico de Deo; tantũ distat ab vno quã ab altero. Quod Sanctus vnus altero dicatur esse altior, ac Deo

vicinior: id principaliter est quia plus recipit gloriæ, gaudij: mensa ibi orbicularis est, non habet caput & caudam, quantum ad sedilia, sed quantum ad seruitia & mensuram gloriæ, quæ alia est in Virgine matre, alia in Magdalena peccatrice. Et quamuis S. Petro dictum sit: *tibi dabo claues regni cœlorum*: Non ideo dictum est vt in cœlo localiter fiat ostiarius; sed quia data est ipsi hic potestas intromittendi in Ecclesiam, per baptismum, per pœnitentiam, per absolutionem & remissionem peccati, ac eadem via aperuit cœlum, quod patet iustificatis.

*Matth.* 16.

Intromisit etiam in cœlum: id est, in intellectum scripturarum, & mysteriorum Ecclesiæ, legitima eorum expositione quæ inspirabatur ipsi diuinitus; post mortem vero illo modo non amplius est ianitor, claues & potestas eius manserunt in terra, in manu Papę successoris, atque illę traditione deueniunt in posteros, vsque ad mundi finem. Vbi autem nihil clausum, quid opus ianitore qui portam aperiat? In paradiso autem, *portæ non claudentur per diem*: non igitur impeditur ibi S. Petrus, non ideo à Deo longius abest, non est periculum vt quis in mari pereat antequam ipse ad Deum oratum vadat; nugæ sunt, crassæque blasphemiæ.

*Apoc.* 21.

Et quid si S. Petrus ex officio assideret portæ, non ideo abesset à Deo longius: quia Deus vbique est æqualiter: si vero in hac quam in illa cœli parte esset magis, locum certe ad ianuam throno suo statueret, & sic apud S. Petrum: impleturus legem suam, quæ vult Iudices sedere in vrbium portis. Non igitur nimia distantia, non actionum varietas, non ignorantia vlla, retardare nos debent ab inuocatione Sanctorum.

Imo dicere possent (miseri homines) hoc est turbare ipsorum quietem, non excitādi sunt qui tam suauiter dormiunt, non sunt grauandi & onerandi nostris sarcinis, qui tam diu olim sudarunt sub suis: *Adiuro vos filiæ Ierusalem, per capreas ceruosq; camporum, ne suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectam, quoadipsa velit.*

*Cant.* 2.

Et

Et clamamus plenis buccis, *requiem æternam dona eis Domine:* da ipsis quietem longiorem illa Simonidis, sine fine mansuram. *Nasonis molliter ossa cubent. Amodo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Apoc. 14. Et Christus in mysterio dicit Marthæ: *Maria optimam partem elegit* (contemplationem Dei pacificam) *quæ non auferetur ab ea*, hic in terris, multo minus in cœlis:

Virg. 3. Æneid.

*Quid miserum Ænea laceras? iam parce sepulto,*
*Parce pias scelerare manes.*

Virg. 4. Æneid.

*Scilicet is superis labor est; ea cura quietos*
*Sollicitat.*

Inuoca eos, suscita, tuis intrica negotiis, nihil agent inquit Caluinus, *non rumpent quietem vt his illis se distrahant curis terrenis.* Miser Caluine; hoc nimis est agere Epicureum, facere Sanctos quales olim Epicurus Deos, qui nihil curent, quos nec sua nec aliena tangunt. *Caluinus l. 3 Instit. cap. 20. §. 24.*

Cicero de natura Deorum.] *Epicurus nihil curare Deos, nec sui, nec alieni, sed monogrammos & nihil agentes dfirmat.*

Seruius in illud Virg. Æneid. 4. *Ea cura quietos sollicitat*, sic ait.] *Cic. in lib. de natura Deorum, triplicem ponit opinionem, non esse Deos: cuius author apud Athenas exustus est. Esse & nihil curare, vt Epicurei. Esse & curare, vt Stoici.*

Nimium hoc repugnat S. Cypriano: *de sua securi, de nostra sunt salute solliciti.* Nimium repugnat charitati. Quibus enim bene est, misereri debent infœlicium; qui liberati sunt, reminisci iacentis in carcere Iosephi; qui equo sedent, iuuare peditem. Nimium hoc repugnat Scripturę, & rationi, vt diues epulo damnatus in tormentis de fratrum sit salute sollicitus, Sancti vero fratres in miseria negligant.

Ignoratne miser Caluinus sollicitudines quasdam & occupationes virtuosas, carere molestia? Prouidentia Diuina, turbaturne in suo sabbatho ac quiete, sudauitne in creatione? Angeli vltro citroque com-

*Matth.18.* meantes in circuitu noſtro, tãquam conſiliarij & tu-
*Geneſ.19.* tores, nocte & die ſtãtes ſuper muros Ieruſalẽ, dantes
*Iſaiæ 62.* ſignum quando eſt periculum, accendẽtes Sodomã,
*Tob.5.* deducẽtes Tobiam, turbaruntne quietẽ? Quid igitur SS. de nobis cura moleſta eſt? Labores & occupationes plurimæ ſunt, quę authorẽ non fatigant ſed recreant. Arbitramini Deũ & Chriſtũ Ieſum, cõſeruationi mũdi intentum, hęc ſine oblectamẽto, cũ laſſitudine facere? *Nã pater meus vſq; modo operatur & ego operor.* Et
*Ioan.5.* vos parẽtes curatis liberos ſine voluptate? Paſſerculi, hirũdines, colũbæ, turtures, vicini noſtri tecti, ab ortu vſq; ad occaſũ captãtes culices, muſcas, & alia prædãtes animalcula magnitudine ſua digna, deferentes illa in nidum, modo huic modo illi pullo bonorũ hęredi. videturne vobis hac ſolicitudine & cura fatigari & affligi? Voluptas quam capiunt ex cantillationibus agnoſcitur, & querulationibus ſi ſpolientur nido, ſi à diurno prohibeãtur exercitio, ſi cogãtur ad vacuũ redire nidum, & otiũ; quẽ iterũ reędificãt, nouis implẽt ouis. Sol ſuas ſemitas nocte decurrit ac die, & radioſum corpus vt ſoculã ab oriente in occidentẽ, à nobis ad Antipodas deportat: luna laternam ſuam ſingulis circumgirat noctibus. *Cunctis diebus terræ ſemenũ & meſſis, frigus & æſtas, æſtas & hyems, nox & dies nõ requieſcet.* Quãdo venerint ad terminum, nunquid feſſi ſubſiſtunt? Ridens ac nugãs dicit quidam, *ſoliſq; labores*, ſi
*Geneſ.8.* labores pro fatigatione, nõ pro ecclypſi aut curſu accipias. Saltator quãuis ſubſiliat, tripudiet, ac lubricet orbem, queriturne de laſſitudine, caretne voluptate? Venator veſtigata fera, laxans canes, & ipſe inſequẽs, vt Dedalus quis volare videatur, aut volantẽ equitare Pegaſum, queriturne de laſſitudine & moleſtia? Adã in innocẽtia operãs terrã, in horto Eden, in paradiſo
*Geneſ.2.* voluptatis, (*poſuit Deus Adã in paradiſo voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum.*) Fluereтne ſudore, traheretne anhelitũ, frãgeretne corpus, alienareq; mẽtem à cogitationibus diuinis? Non vacaret opere, viueret tamen in indolentia, ſine moleſtia; & non tantum ſinę dolore, ſed etiam cum voluptate. Iucundũ audire hac

de re

dere Barthã, Syrenẽ gallicã ita hac de re cantillantẽ.

G. Sal. Barthas in suo Eden 1. die 2. hebdomadis.]

*Terra Edem futura fertilis, in qua docta tantũ poneres homo argumenta industriæ: quam exerceret prosuaui magis exercitio, quam pro reditu annuo. Breuiter. Labor futurus erat iucũdus, amœnum exercitium, molestia qualis fere saltantium: quamuis enim tremulum is iactet corpus, agitet mẽbra, versetq; pedes, à mane in vsque vesperam; sub noctẽ tamen nouus incipit, etsi ruptus prope, nunquam saltandi satur. Qualis & venator vestigatus latibulis fera, bene cornuto in campum ruente ceruo, solutos ad cursum instigat canes, clamoribus stimulat, celeratque gradum, non lassus lassatum quadrupedem recenti mutans equo. Sed quia in ipsorum lætitia mixta vanitas, & sudor & fatigatio: comparabo melius Angelicis laboribus, quibus nullum vnquã otium; aut Solaribus, qui sine molestia noctes dieſq; spatiosum decurrunt cœlum.*

Quid? nõne homines inuenias, ita certis exercitiis deditos, vt si cessare iubeantur, nullum ipsis purgatorium futurum sit grauius. Dicitur Turanius aliquãdo à Cæsaris procuratione ætatis causa, cum iam nonagenarius esset, absolutus, composuisse se in lectum, ac planctũ & næniasindixisse familiæ, perinde ac si fuisset mortuus: nec tranquillari potuit, nisi priori restitueretur curæ. Liceat mihi dicere sine iactãtia vt animum ad studia addam iunioribus. Dico sæpe inter meos, adeo mihi iucundum immorari & immori libris, quærere, relegere, scribere, componere, corrigere, *Cæl. lib. 6. Marcel. lib. 16.*

*In lecto, in foro, in mensa semper vt semper viuam,*
*Versans in discursibus, & natans in chartis.* *Bartas 1. die prima hebd.*

Vt si (quod auertat Deus) aut in arctum carcerẽ, ac breues damnandus essem gyaras, cum libris & studij facultate; aut permitterer mihi liber, agens, vadẽs ad arbitrium, prohibitus tamẽ à libris & studiis: præeligerem carcerem cum studio, quam sine libris libertatem, nisi carcer tamen adferret mihi ignominiam. Qui me vt Siculus Tyrannus, aut Phalaris torquere vult, subtrahat tantum libros, & arceat à studiis. *Sophocles.*

*Mihi otium sine litteris mors fuerit, & viui hominis sepultura: ego tum viuum cadauer, aut viuum sepulchrum.*

Quod tantis supersim aduersitatibus, tantis fortunæ fluctibus, viuus, vegetus, pilo, vultuque iuuenculo, accedens tamen ad senium, inter tot itinera, & agitationes, & maleuolentias, post Deum, musis tribuo, studiis, ac litteris: quæ dulcedine sua sopiuerunt, & incantarunt mea mala, & me inter mille voluptates honestas, mihi ac posteris vtiles enutriuerunt: vtiles cum elaborarem; vtiles etiam modo, quia iucundum præteritos recognoscere labores; vtiles & aliis post meam mortem, adeo vt ipsi qui me tãtopere oppressérunt (Deus nouit causas cur & quomodo) pro eo quod me enecarent, & viuum ante diem sepelirent, auxerint mihi vitam, vltra quam putabar victurus; alacrior & maior ipsis (volente Deo) viuam in scriptis mortuus; loquar, concionabor, euangelizabo mortuus, magis quam viuus; cum contra ipsis cum morte extinguantur omnia. *Periit memoria ipsorum cum sonitu: perierunt quasi non fuerint.* Det Deus vt ego & ipsi, viuamus semper beati in cœlo: Amen. Non potuissem igitur viuere extra illos labores, pœna fuisset maxima carere iucundis studiorum & scriptionum pœnis, inter tot cruces & afflictiones.

*Psal. 9.* *Eccl. 44.*

Quid? nonne homines inuenias, quibus sine labore vita grauis, qui sine litibus durare non possint, negotiis maxime molestis, maxime sumtuosis? Certe D. de Nouë agnominatus brachium ferreum, refert de quodam cui volupe erat totum mundum incessare litibus; cui Rex quidam Galliæ hoc plane inhibuit: sed respondit illi, se 40. & amplius habere lites, & quandoquidem ita iuberetur, dimissurum omnes, seruaret tantum sex pro recreatione, ad fallendum tempus.

*De Nouë 13. dis. militari.*

Cur igitur inuerisimile SS. in cœlo oblectari causarum coram Deo actionibus, cur non habeant quasi vitam & lusum post Dei visionem iucundissimum? Hoc gaudium accidentale supra essentiale? adeo vt si regium istud charitatis exercitium ipsis non permitteretur, putarẽt ideo se minus fœlices, gaudium suum obfu-

obfuscari, si verbulũ pro amicis loqui prohiberentur. Quilibet Beatorum dicit nobis, *eum esse quæstum, in animum induxi, quam maxime seruire vestris commodis. Regia crede mihi, res est succurrere lapsis.* *Terent. in prol. Heautont.*

Negare subsidium quod sine inquietudine præstare possis, est hominem non vt in cœlo, sed vt in terris vrit meriri: *ex illa facultate moderari, non quæ nunc est, sedquæ olim fuit*; id est dicere, beatitudine in qua modo sunt, postea nihil exaltari, nihil augeri. Est negare contra scripturas, & expressa Domini verba, homines gloria similes futuros Angelis.

Quod si hæc non negamus, affirmandum tam diuersis negotiis, Sanctorum tranquillitatem nihil turbari. Sunt enim Angeli quibus integra incumbunt regna, vt Angelus regni Persarum, imo quibus maior pars mundi, vt S. Michaeli tota incumbit Ecclesia; & tamen hanc curam sine inquietudine administrant. *Daniel 13.*

*Non sunt* (inquit Augustinus) *difficiles labores amanti. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur.* *D. August. de viduitate.*

Imo vero si pro tot gentibus intercedere turbat beatorum quietem, multo magis beatissima Christi anima turbabitur, quam vlla alia: quia illa omnium tam in generali quam in particulari mediatrix est; hoc autem dici non potest, ergo nec illud. Vnde sequitur; Domini Caluinistæ & fratres in Christo, cur adeo quæso pij estis in Sanctos vt tantopere caueatis ipsorum in hac re molestiam? Si viuis aliquantulum in miseriis dicantur assistere, ac rursus ita estis impij in SS qui sunt in purgatorio, quos iuuare non vultis vt citius in requiem suam introeant, nec ipsi pro talibus orantes, nec permittentes vt orent alij. Certe nõ hic pij estis, & hic impij; sed impij vtrobique. Non enim admittitis vt illi qui supra in cœlis sunt, illos qui infra ipsos in terra agunt, iuuent, & pariter prohibetis nos, qui in terra sunt, iuuare fideles defunctos, qui infra terram purgantur. Obsecro vos nolite tam esse crudeles, sinite vt charitas quæ nunquam excidit, exerceatur inter Catholicos; vt beati nos iuuent, nos

iterum alter alterum; imo & charitatem nostram extendamus in purgatorium.

Bene quidem (dices) sed hoc est Christo facere iniuriam vnici Mediatoris Dei & hominũ vsurpare officium. Respondeo. Negare nos nõ posse, Christum Iesum, vt inquit S. Iohan. nos habere Aduocatũ in cœlis: sed illum simpliciter vnum esse, hoc negamus. Vnicum quidem concedimus Redemptorem, non vnicum intercessorem: in hoc enim Angelos & homines admittit socios. Aut vnicus etiã est, quia nullus talis qualis ipse mediator est. Ipse enim vt radix viuificat, & dat gratiam intercessionibus aliorum: ideo semper *per Dominum nostrum Iesum Christum*, claudit preces Ecclesia. Vnicus etiam, quia solus plus potest alijs singulis, & omnibus: Phœnix est vnicus in mediationis actiuitate, non vnicus in intercedendi opere.

2. Iohan. 2.

Respõderi fere posset hic, vt S. Greg. ad quæst. quomodo Christus dilectionẽ vocauerit suum mandatũ, quasi illud solum præceperit, qui tam multa præcepit.

D. Greg. hom. 27. in Euang. ] *Præcepta Dominica & multa sunt, & vnum: multa per diuersitatem operis, vnum in radice dilectionis. Similiter* igitur, *mediatores & multi sunt & vnus; multi, per diuersitatem operis, & intercessionis; vnus in radice exauditionis.*

Quid? Caluinus ipse Apostolos dicit eiusdẽ gloriæ socios, & Sacerdotes veteres appellat mediatores inter Deum & populum. Imo sane maiorem ipsi honorem habemus quam Caluinus. Christũ enim nõ tantum mediatorem facimus, vt reuera est: sed etiã beneficij collatorẽ. Nam ab ipso auxilia postulamus quãdo vtimur intercessione B. Virginis, & SS. vt sc. ea nobis concedat per passionis suæ merita, in gratiam intercedentium; aut oramus ipsum talibus intercessoribus agere apud patrem amplius, quod alioquin per se facit: *Acer, & ad palmæ per se cursurus honores,*

*Si tamen horteris, fortius ibit equus.*

Vter in aula honoratior est, quem miser oras apud Regem tantum intercedere: an qui rogatur tanquam potens, & regni particeps, ipsi iuuare: potestatẽ habẽs

vita

tæ & necis, vt olim vel bini cõsules, apud Romanos, vel Triũviri? Opinor quod posterior. Vter magis honorat Regẽ, qui recta vadit à Rege petitum delicti veniam; aut qui reueritus eius faciẽ præmittit alios magis spectatos pro se rogatũ? nonne posterior? Nos vero quantum aliquãdo Deo per peccata inuisi sumus? rectane igitur ibimus ad maiestatẽ diuinam, ad Christum, quem toties crucifiximus? Iucũdus sc. ipsi futurus noster aspectus. Loquar *ad Dominũ meũ, cum sim* Genes. 17.
*terra & cinis: factus sum tanquam nihilum ante te.*

Matth. 8.] *Domine non sum dignus vt intres, &c.*

Luc. 5.] *Exi à me Domine, quia homo peccator ego sum.*

Neutiquã: nõ præsumã saltem solus accedere, tam indignus: ibo per medios Sanctorũ choros, quæram Virginem matrẽ, eosq; qui apud Deum gratia pollẽt, mẽdicabo auxilia, obsecrabo vt mea procurẽt, vt me deducãt, vt pro me & mecũ orent. Nonne satis audax facinus post tot sordes Virginẽ adire Virginum? Insinuabo me apud inferiorẽ, apud Magdalenã, apud humilem S. Franciscũ. Nonne hæc in Dei redundãt gloriam? Elephas tanto apparet maior, quãto illi minus animalculum componis: Dei maiestas tanto apparet maior, quãto te minorem feceris. Sic intelligebat B. Virgo suũ *magnificat anima mea Dominũ*: i. quo me deprimo magis, tãto magis Dei maiestatem extollo. Et hic honor Sanctorũ redit in Deum, à quo acceperunt tantum posse. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui* Psal. 138.
*Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Psal. 149. *Gloria hæc est omnibus sanctis eius.* Hester 6. *Sic honorabitur, quem Rex voluerit honorare.* Si in hac vita honori est, bonos pro bonis intercedere (*ad aliquem Sanctorũ conuertere*, inquit Iob, *pro hac orabit ad te omnis Sanctus* Iob. 5.
*tempore oportuno.*) Vt Iob oret pro amicis, Apostoli pro Chananea, Pharisæi pro Centurione, &c. nonne à cœlo magis honori est, vt idẽ faciãt? Quis dubitat sactos in paradiso Deo esse chariores, quia ipsũ ardẽtius, cõstantius, & gloriosius modo diligũt? Si hic qui nobiles fuerunt, ibi iã magni domini sunt: Principes, cognati, fratres, participes coronæ. Non igitur iniu- Psal. 31.

riam

riam Christo facimus inuocantes Sanctos vt pro nobis intercędant.

Catholicus quidam, disputationis gratia, respondit mihi nonnunquam mittere Sanctos ad Deum pro nobis, esset exponere ipsos nonnunquam rubori, si videlicet postulata non impetrent: non enim scimus quid cõcessurus sit Dominus. Sed respondi ipsi quod modo non esset ex illa parte Sanctis periculum: vident enim in Deo quid decreuerit nullo modo concedere, & quæ sub conditione, ne frustra intercedãt. Quare, supposito nõ oraturos ipsos ea, quæ sciunt non impetrabilia, sed tantum quæ sciunt sub conditione impetrari posse, periculum nullum est confusionis & repulsæ. Si vero orent atque impetrent, cum gloria redeunt. Videte, dilectissimi, quomodo Sanctorum intercessionem adstruxerim: vtamur ergo illa, nec adeamus Deum, vt Prodigus patrem, sine intercessore vllo: sed imploremus viuos, & mortuos, Angelos etiam, vt apud Saluatorem nostrum Christum Iesum, pro nobis intercedant, vt dignetur nos aliquando ad gloriam deducere æternam. Quod nobis

concedat Pater, & Filius, &
Spiritus Sanctus.
Amen.

CON-

# CONCIO XXII.

Καὶ ἐρῶ αὐτῷ, πάτερ, ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανον, καὶ ἐνώπιόν σου? 9. Καὶ οὐκέτι εἰμὶ ἄξιος κληθῆναι υἱός σου. ποίησόν με ὡς ἕνα τῶν μισθίων σου. — Græca.

1. Et dicam ei. Pater peccaui in cœlum, & coram te. 9. Iam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut vnum de mercenariis tuis. — Vulgata.

1. Et dicam ei. Pater mi, peccaui in cœlum, & coram te: 9. neque sum dignus qui vocer filius tuus: fac me vt vnum ex mercenariis tuis. — Syriaca.

## ARGVMENTVM.

Dicemus hodie
1. Quæ fuerit confessio Prodigi, & quæ debeat esse nostra.
2. Quod male faciant qui in confessione, de omnibus à Sacerdote interrogari volunt.

## AVE MARIA.

### I.

### Quæ fuerit confessio Prodigi, & quæ debeat esse nostra.

HVc vsque, dilectissimi, Prodigi nostri tædium, attritionem, contritionem audiuimus: audiamus & confitendi propositum. Nam post contritionem, aut saltem attritionem, sequi debet confessio: ita tamen vt non pro semper comes sit indiuidua, nisi quantum ad desiderium seu votum ac propositum eam faciendi tempore & loco, vel quando confitenti præceptum obligat, iuxta Concilium Tridentinum.

Concilium Trident. sess. 14. cap. 4.] *Contritio habet confessionem annexam in voto.*

Psal.

*Definitio cõtritionis.*

Psal. 31.] *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino.*

Votum enim & cõfitendi propositum tantum valet, vt scholæ doceant contritionem (i. perfectum dolorem de peccato admisso, propter Deũ summe dilectum; cũ proposito oportunè confitendi, & abstinẽdi in posterum) posse maximo totius mundi peccatori (accedentibus Christi Domini nostri meritis) veniã & remissionem obtinere, & restituere in gratiã: adeo vt si subito non confessus moreretur, (non habens scilicet confitendi potestatẽ) sine omnibus etiam aliis sacramentis, de salute eius nihil foret dubitandum: imo sic etiam ad diuinã mensam accedi posset, si desit Cõfessarij copia. Tali enim casu verum est dicere, Deum

*Definitio attritionis*

sacramentis nõ alligasse gratiam. Non prodest tamẽ votum, & cõfitendi propositum, quo minus damnaretur qui cũ attritione moreretur solum (quę est contritio imperfecta, dolor de peccato admisso sed non propter Deum summe dilectum, sed propter timorẽ pœnarũ, vel horrorẽ ipsius peccati, aut simile aliquã causam.) Resolutio magni momenti: atque ideo veræ cõtritionis formulam ex authore quodã incerto, nõ tamen indocto, in gratiam vestram huc transtuli. Do-

*Formula confessionis.*
*Actus fidei.*
*Actus charitatis.*
*Actus contritionis.*

*mine mi Iesu Christe, Deus vere & homo, creator & redemptor meus, quia tu es qui es, & quia te amo pra omnibus, pœnitet me ex toto corde quod vnquã te offenderim, ac propono firmiter nunquã peccare in posterũ, fugere omnes peccati occasiones, confiteri, pœnitentiã facere iniunctam; restituere, satisfacere, si quid cuiquam debeo, & per tui amorẽ ignosco omnibus inimicis meis, & offero tibi in satisfactionem peccatorum meorum afflictiones meas, & omnem vitam. Et sicut humillime tibi supplico, sic etiam de bonitate*

*Actus spei.*

*& misericordia tua infinita cõfido, quod peccata mea mihi ignoscas per merita pretiosissimæ passionis & mortis tuæ, quodq; gratiam mihi daturus sis, vt me emendem, & in finem vsq; perseuerem. Amen.*

*Vide F. Ludou. Vivaldum de mõte regali, lib. de verit. cõtritionis c. 2.*

Vtinam singulis momentis essemus tales: sed difficillimum est habere eam semper veram & completã, quinque partibus quas in ea Doctores requirunt, numsque

nusque in hac mortali vita admodum de ea incerti. Certo equidem præcipua eius comes desiderũ est, totum & firmum tempore suo cõfitendi propositum. Ecce monstrauit nobis viam Prodigus, dicens, *dicam ei, pater peccaui in cœlum & coram te; dicam ei,* & confitebor peccata mea.

Fatẽdum tamen Prodigum historice de sacramentali, Euangelica & Catholica confessione non loqui, de qua hic agimus: sed de ea quæ virtus quædam est, qua quis in corde non solum seipsum accusat, sed exterius etiam verbis coram Deo, & proximo: virtus inquam quæ ad veniam valet plurimum. *Peccati vel sola confessio hominibus sæpe saluti fuit*, inquit S. Nazianzenus. *Dic prior peccata tua, vt iustificeris*, dicit Scriptura. Sic confessus Publicanus descendit iustificatus præ Pharisæo in domum. *D. Naziãz. epist. ad Vitalianum.*

Prou. 24.] *Qui abscõdit scelera sua, nõ dirigetur in terra. Qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

1. Ioan. 1.] *Si confiteamur peccata nostra: fidelis est, & iustus (Dominus) vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Prouerb. 18.] *Iustus prior est accusator sui.*

Fatendum hoc omnino, & fatemur libenter. Primo enim, quomodo loqueretur de ea quæ tum nondum erat instituta, ac proinde non necessaria? Secundo. Quia filius non erat sacerdotis. vt S. Iohannes Baptista: si enim fuisset talis, nõ tacuisset Euãgelista. Dicit enim de naturali patre, *Surgam & ibo ad patrem, & dicam ei, pater peccaui, &c.* Ad faciẽdam autem Catholicè confessionẽ adeundus est proprius sacerdos, non quilibet alius, vt nugantur nonnulli. Non diaconus, multo minus laicus, quamuis Caluinus locum istum Iacobi illuc trahere nitatur, *confitemini alterutrum peccata vestra*: nisi forte accipiamus confessionem protestatione quadam mutua indignitatis vel detectione impedimentorum, tentationum, inclinationum, &c. ad aliorum quærenda consilia. *Iacob. 5.*

Tertio. Etiamsi pater fuisset presbyter, non fuisset tamen

tamen sacerdos nouæ legis, qui in cœna vltima fuerunt instituti, & soli remittunt peccata sacramentaliter.

*Vide Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. & can. 6. Calu. lib. 3. Instit. ca. 4. nu. 18.*

Quarto. Quia in confessione Christiana specificanda sunt peccata, exprimendæ circumstantiæ, saltem quæ speciem mutãt, aut multum aggrauant: numerus etiam, quoties, & quoties, etiam iuxta ipsummet Caluinum. Noster autem Prodigus historicè in genere tantum dicit, *peccaui in cœlum*: non quomodo, aut quoties. Confessio igitur quam proposuit, & postea perfecit, non sacramentalis, sed moralis tantum erat, aut politica, ad pacem & reconciliationem: qualem faceret rediturus in gratiam qui alium offendit, frater fratri, vxor marito, subditus superiori, &c. ad restaurandam labefactatam nonnihil amicitiam: quales etiam offensæ inter amantes accidunt, *amantium iræ amoris redintegratio.*

*Terent. in Andr.*

Publicani vero pro quibus hic Christus loquebatur, dici possent, loqui de alia confessionis specie, quæ non parum referat sacramẽtalem. Primum quia proponunt eam facere & faciunt sacerdoti proprio, & summo sacerdoti legis Euangelicæ, summo Pontifici, nimirum Christo. De eo enim intelligunt quando dicunt, *ibo ad patrem meum, & dicam ei, peccaui.*

Secundo. Quia hoc faciunt spe absolutionis à peccatis, & salutis animæ; sicuti eam accipiebant plenissime, non solum ciuili aut morali aliqua reconciliatione ad bonum temporale. Nihilominus tamen per omnia sacramentalis dici non potest: quia nimis generalis est, sine vlla distinctione generum & specierũ, sine expressione numeri, durationis, grauitatis, (vt milites faciunt festinantes ad prælium:) potest tamen aliquid sacramentale dici, ad sacramentum aliquod pertinens, nimirum ad Baptismum quem accipiunt adulti: quia tales generalem aliquam vitæ suæ confessionem faciunt, ante Baptismum, non minus Christi quam S. Iohannis.

Certè de S. Iohannis baptismo traditur formula, quod audientes clamorem pœnitentiæ, minas, vitæ auste-

austeritatem, confitentes baptizati sunt.

Matth. 3.] *Exibat ad eum Ierosolyma & omnis Iudea, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua.*

Marc. 1.] *Egrediebatur ad eum omnis Iudea regio, & Ierosolymitæ vniuersi, & baptizabãtur ab illo, confitentes peccatã sua*: quæ verba *confitentes sc. peccata sua*, Erasmus Vatablus etiam Castalion ipse & Munsterus, & alius quidam suspectus, vt vbique habent nobiscum, miro censensu.

*Confitentes peccatã sua*, vel ipso facto; recipiendo nimirum Baptismum S. Iohannis, qui dicitur Baptismus pœnitentiæ: nam illum recipere erat se peccatorem profiteri, pœnitere, & velle emendare, iuxta Doctorem Hessels (*Confitentes*, inquit, *peccata sua*) *grauiter se in Deum peccasse vitæ correctionem, & de commissis pœnitentiam profitentes.* *Matth. 3. Act. 19.* *Ioan. Hessel. in 3. c. Matt.*

Sebast. Munsterus annotat. ad illud, confitentes peccata sua. *Nullus baptizabatur à Ioanne nisi qui se peccatorem agnoscebat, & fatebatur se opus habere redẽptione Christi. Venerat enim Ioannes prædicare pœnitentiam, & indicare Christum, per cuius fidem homin: remittuntur peccata*: aut etiam verbis expressis, enuntiantes peccata sua omnia, aut saltem quot poterãt (cuius opinionis videtur fuisse Hugo Cardinalis; qui ad verba ista *confitentes peccata sua*, adiicit, *tam mortalia, quam venialia*, vel confitentes in genere peccatores se esse, & indigere gratia Dei. *Hugo Card. in c. 3. Matt.*

Quantum ad Baptismum Christi, etiam illi antiquitus præmissa est aliqua confessio: vt patet ex Actis Apostolorum, vbi dicitur: *multi credentium (Ephes sc.) veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos.* *Act. 19.*

D. Gregor. Nazian. orat. 40. in sanctum Baptisma.] *Ne peccatum tuum cõfiteri graueris, sciens quo pacto Ioannes baptizauerit: vt per huius vitæ pudorem, futuri sæculi pudorem ignominiamq; fugias, (nam hoc quoq; sempiterni illius supplicij pars est) ac perspicuum facias, te seriò atq; ex animo peccatum odisse, dum illud tanquam cõtumelia dignum traducis, ac velut ludibrio exponis, de eoq; triumphũ*

*agit*: vbi in margine additum est *confitebantur baptizãdi*. Potest etiam confessio publicanorum dici aliquid sacramentale; quia sacramentali confessioni aliquo modo similis est. Sacramẽtum tamen dici non potest, quia nullum sacramentũ præcedere potest baptismũ, sacramẽtorum ianuam. Pro conclusione igitur, qualiscunq; fuerit, & quomodocunq, appelleturilla confessio, vtilissima tamen publicanis & Prodigo, optimeque docet qualis nostra sacramentalis esse debeat. Repetamus eam paulo altius, & videbimus. *Dicam ei*, inquit, i. non tãtum non negabo male me vixisse, nec tacebo mutus, nihil negans, nihil confitens, si quid pater mihi proponat; non finam me accusari, multo minus probationibus, cõuinci nec expectabo donec interroger & examiner; sed sine quæstionib. sine tortura absque aliorum conuictione, & examine, ipse quid fecerim dicam, accusabo me primus & libens.

*Psalm. 31.*

*Dicam ei, dixi confitebor aduersum me iniustitiam meã.*

*Tres confessionis Christiana conditiones.*

In qua bella nouaque expositione notate tres confessionis Christianæ conditiones: libertatem, præmeditationem, integritatem, libertatem: oportet enim vt alacriter candidoque animo confiteamur, vt lubentes, non vt facinorosi in iudiciis, & suspendiosi; qui nihil fatentur nisi extortum fidiculis. Putantes infœlicem linguam quæ perdit herum: nam vt aiunt

*Paulus in l. 1. de confess.*

iurisperiti, *Confessus in iure, id est in loco, vbi ius redditur, pro iudicato est: quia quodammodo sua sententia damnatur.*

Vt confiteamur non seruili excõmunicationis, aut alterius pœnæ timore, ne videamur scilicet Hugenothæ, aut parum Catholici, frigidi, ineurij salutis, aut compulsi ab Ecclesia, aut superioribus: sed simpliciter ex amore Dei, desiderio cum ipsõ redeũdi in gratiam, & detestatione peccati. Non vt quidam qui nũquam confiterentur, si nunquam veniret Pascha, aut si nunquam mandaret Ecclesia; homines qui magis timent Pascha propter confessionem, quam amant propter redemptionem.

Non placet Deo extortum seruitium (*tarde dare & dicere*)

dicere) *nolentis est*, inquit Seneca: (in bonis) multum celeritas fecit, multum abstulit mora.

Præmeditatio etiam, id est, examen sufficiens præteritæ vitæ, iuxta qualitatem pœnitentis, & bonam ipsius voluntatem; qua optat saltem sufficienter à Cõfessario interrogari, ipsique respondere: hæc enim bona voluntas magnam partem diligentię requisitę ad examen compensat. Dicendum igitur & faciedum cum Rege Ezechia: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Illuc omnẽ applicabo solertiam, vt indagem ac perlustrem omnia peccata mea, in conscientia quæ est pro mille testibus, omnia memoriæ versabo folia, antiquas chartas, scrinia, & archiua animæ, omnes conscientiæ meæ angulos, & illa colligam in fasciculum, omnes notulas, omnia peccatorum meorum documenta, tanquã in re summi momenti. *Est enim*, inquit quidam Doctor, *quædam rationum supputatio, quæ accuratius à nobis exercenda est, quam à mercatoribus suarum negotiationum ratio solet.*

*Vide Nauar. c. 9. num 13. Manual. Isaiæ 38.*

*Isid. Clarius tom. 1. orat. 14.*

Et reuera tanti momenti est præmittere confessioni bonum examen conscientię, vt si peccator propter indebitum examen peccatũ aliquod oblitus sit, nulla fiat confessio, ac iteranda non minus quam si aliquid dictum celasset. Certe Prodigus docet nos examen facere antequam adeamus sacerdotem, per illud *dicam ei.* Verba enim ista sonant quod velit præparare ista, quæ in aditu patris dicturus est. Quid? non dares computum decem millium talẽtorum, sub pœna alicuius membri si male subduxisses rationes, & præsumes reddere computum vitæ sub pæna animæ æterna? si tuo delicto aliquid omiseris verbum aut factum, non bene primũ recollectus? Non loqueris imparatus Regi de rebus familiaribus, ne forte aliquid memoriæ excidat, & tu ad vice-Deũ de salute animæ locuturus, auspicaberis sermonem nõ præmeditatũ? Antonij, Cicerones, Pericles, Demosthenes, pulpita non ascenderunt nisi parati, & (Deus bone) qui homines, quæ ingenia? *Alio tempore vult Antonius cogitare*

*Cic. de Anto. li. 2. de orat. Plut. de Pericle & Demosth. tom. 1. moral. vt pueri nutriendi.*

*quid dicat, alio dicere,* inquit Cicero. Pericles ad dicendam ex tempore euocatus sententiam, respondit necdum meditatus sum. Demosthenes necdum paratus sum: & tu ires homuncio modici ingenij, curtæ memoriæ, de salutis tuæ concionaturus negotiis, primo dicturus quæ primo occurrerint, vt nouus Gorgias, quicquid venerit in buccam? neutiquam, dilectissimi, ad talem locum præmeditatò tantum & præparatò accedendum est. Faciamus saltem vt apiculæ, si tantum amemus puritatem animę nostrę, quantum ipsę munditiem aluearium: dicuntur illæ omnes sordes in vnum colligere locum, ac inde eiicere foras. Sic & nos omnia peccata colligamus in memoriæ angulum, & per confessionem euerramus in focum, aut sterquilinium: memoria sit nobis pro Notario, *signa sti quasi in sacculo delicta mea.* Illa sit nobis nomenclator, seruet cathalogum peccatorum, inde recitentur bono ordine, & nominatim: *longa belli præparatio, celerem facit victoriam,* inquit Seneca. *Diu apparandum est bellum, vt vincas celerius*, ait Publius. Sic bene præexaminata conscientia ante confessionem, facit eam perfectam, validam, viuidam: iuuat contra peccata, præterita & ventura.

*Iob* 14.

Integritas etiam in confessione Deus bone quam necessaria? vt nihil omittatur, nec peccati species, nec locus, nec modus, nec occasio, nec circumstatię aliæ necessariæ. Prodigus hoc se voluisse facere demonstrat per *dicam ei.* Hoc enim est hominis cogitantis quid dicturus, quid taciturus sit; quam longè, quam latè, vt nihil desit. Ac nos confiteri debemus ad istum modum. *Effunde* (inquit Ieremias) *sicut aquam cor tuum, ante conspectum Domini Dei tui.* Qua effusione Albertus magnus integritatem, de qua loquimur, significari putat. Nō enim quasi guttatim, & per partes, vel fragmentis quód fecimus, quod commisimus dicere debemus; sed quicquid recogitare possumus simul, vni sacerdoti, vt omnis quasi extra amphoram fundatur aqua, ne quicquam intus coloris, candoris, aut nigroris maneat; lactis aut atramenti effusi: (qui color

*Thren. 2. Alb. Mag. in parad. animæ cap. 40. edit. Plant.*

color maneret, si quis occasiones peccandi, & irritamenta ac prouocationes, velut in gula aut fornicatione taceret) ne quicquam pinguedinis intus maneat, aut sedimenti; vt cum oleum aut sanguinem ex vase diffundimus: quæ manent intus, cum quis peccatum quidem dicit, quantitatem tacet, durationem & delectationem: (sunt enim peccata quorum voluptas rationem plane absorbet & aufert:) nec odor vllus remaneat, vt cum vinum effunditur aut acetum (quod accidit si peccatum confitens, taceat quis infamiam & scandalum oblatum aliis.) Qui igitur bene integreque confiteri volet, dicat omnia, *antecedentia, & subsequentia: percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, & clausum, & nouissimum in Israel: & mundabo reliquias domus Ieroboam, sicut mundari solet fimus vsq; ad purum.* 3. Reg. 14.

Homo rectus dicet quicquid peccauit in verbis: *nam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij*: dicet & malas cogitationes, quoniam illæ in extremo iudicio examinabuntur: *in cogitationibus impij interrogatio erit.* Demonstrabit cor, nudabit vsque ad fundum, quasi fenestellã Momi haberet in pectore, vt cum venerit Dominus visitatum corda, oculatior Argo, cum lucidioribus quam Diogenes laternis, media luce quærens hominem: *Ego Deus scrutans corda & renes: scrutabor Ierusalem in lucernis*: nihil inueniat quod offendat. Homo bonus, cor magis quam vultum confessario & Iudici spirituali aperit, vt dicere possit. *Ego te intus & in cute noui.* Atque ipse cum Dauide Deo respondere, *Domine probasti me & cognouisti me*, sedens in sacro confessionis tribunali. *Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam:* negligentiam, diligentiam, & affectus meos: *Intellexisti cogitationes meas de longe, semitam & funiculum meum inuestigasti: & omnes vias meas praeuidisti, quia nõ est sermo in lingua mea*: vt nõ possim quicquam gloriari aut excusare. *Ecce Domine tu cognouisti omnia*, iam generalibus iam particularibus cõfessionibus, *nouissima*, infantię, *& antiqua* senectutis: *tu formasti* Matth. 12. Psal. 7. Psal. 138.

*masti me & posuisti super me manum tuam*: absoluens me & benedicens mihi : *mirabilis facta est scientia tua ex me:* quia tibi semper integerrime, & libentissime meas feci confessiones. Sic agunt homines de salute solliciti. Quidni ? nam si infirmus medico celes morbi partem , aut causas principales, sanaberis nunquam, etiamsi ipsa sanitas te sanum velit: sic in cõfessione vnum voluntarie subticens peccatum, remissionem non consequeris. Imaginamini hominem plane concisum, sed obuolutis opertisque omnino vulneribus, qualis olim descendens ex Ierusalem in Iericho, (percussum sagittis vt S. Sebastianus, hispidum aculeatum totum.) Quid proderit ipsi monstrare decem aut duodecim, si tegat vnum: reliqua curare quid iuuat si vnum negligat. Vnus enim ictus, sufficit necando hominem.

*Lucæ 10.*

D. Gregor. Nis. Epis. Mytile.] *Sicut in corporali medela vnum est quidem institutum medicinæ, sanare tum qui laborat, variũ autem est curationis genus; & pro morborum varietate, disciplina & medicina adplicatur: ita cũ multa sit in morbo quoq; animæ affectionũ varietas, multiformis quoque necessario fuerit medica curatio ad affectionis rationem medicinam exercens.*

Quid iuuat si præsidiarij duas, tresue murorũ ruinas oppleant, si vnum hosti relinquant aditum. Sic nihil iuuat tria dicere peccata mortalia, si quartum taceatur : solum enim voluntariè suppressum , satis est ad introducendum integrum agmen , & impediendum sacramenti effectum. *Modicum fermenti totam massam corrumpit*: modicum celati argenti Ananiam perdidit, & vxorem.

*Galat. 5.*

Iacob. 2.] *Quicunq; totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.*

Deus vult ignoscere, vult & sanare, aut totum aut nihil: *aut nihil, aut Cæsar. Totum hominem sanum fecit in sabbatho.* Cum Dominus noster sanaret dæmoniacum , surdum & mutum , tribus eum simul liberauit malis : pepulit diabolum , & hoc vnum: restituit auditum , secundum : & loquelam, & hoc tertium,

*Ioan. 7.*

tertium. Insuper & iustificauit animam, & hoc quartum. Ex muliere obsessa septem dæmonia eiecit, non quinque aut sex tantum: ex alio legionem integram, vt nec vnum relinqueret: & putatur nunquam curasse corpus, nisi simul iustificaret animam. Vnde sæpe post redditam sanitatem dicebat, *Vade & noli amplius peccare*; non vt monstraret solum peccata morborum esse causas, sed se animas simul iustificare, nec dimidium curare hominem: *Dei perfecta sunt opera. Legionem dæmonum* (inquit S. Augustinus) *ab alio eiiciens, nullum reliquit de omnibus, qui liberatum possideret: ostendens quod etsi peccata sint mille, oportet de omnibus pœnitere.*

*D. Aug. lib. de vera & fals. pœnitēt. tom. 4. 69.*

Nihil vult seruari ex Amalech, sed omnia cædi, etiam bestias. Animæ regnum in pace stare non potest, si vnus ibi turbator sit. Sat vnus proditor toti exercitui: non satis mundata est domus, in qua sordes quasdam transit negligentia ancillæ. Remiges vno compediti pede, nonne æque prohibentur fugere, atque si singulis catenarentur membris? Sic quos Diabolus vnius peccati laqueo stringit, non minus in potestate habet, trahitque in baratrum, quam si mille peccatis essent constricti.

Nauis quæ vnam tantum notabilem habet rimam, perit tandem non minus quam perfusa vndique: etsi enim non tam cito pereat, perit tamen. Quid iuuat exteriores aperire fenestras, si interiores relinquantur clausæ, arceantque solem? Noluit Deus vllum Iebuseum, Pherezeum, aliumue infidelem populo suo in promissa terra misceri. Noluit infantes excidio Amalechitarum eximi; patietur ne vnum mortale peccatum in confessione superesse? *Quædam impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus & iustitia est, dimidiam sperare veniam*, inquit S. Augustinus.

*Apud Mag. lib. 4. sent. dist. 15. §. F.*

Irritamentum Dauidis est, præscindere dimidias legatorum vestes, & barbas. Peccata confessa, vnius mortalis volũtaria suppressione quasi non con-

fessa habentur: quia Deus neminem seruat inuitum, *Inuitum qui seruat, idem facit occidenti.* Nec potest de potentia ordinaria dimidiam dare veniam: implicat enim contradictionem, eundem simul in gratia esse, & non esse: tollunt hæc se mutuo, peccatorem esse & iustum, ciuem esse cœli & titionem inferni. Quod contingeret, si Deus iustificaret cõfitentem, & damnaret peccatum prudenter celantem.

Item absolutio medicina est, libera & voluntaria, quæ non agit nisi in subiectum dispositum. Quid dixi esse tanquam non confessa? imo & peius. Absoluentes enim reuerà non absolutum, in peiorem statum redigunt hominem quam fuit ante confessionem. Miser enim homo, qui cum decem peccatis ad Confessariũ accessit, redit cum vnius atque alterius additamẽto, vt iam vndecim habeat vel duodecim, hypocrisin sc. & sacrilegium, profanatis & indignè susceptis sacramentis. *Hypocrisin iungunt sacrilegio,* inquit Erasmus de talibus. Fortè illos notauit Dominus per istos ex quibus exiens spiritus malignus, nec alibi inueniens requiem, reuertitur ad domum, vt videtur, non reuera, ornatam, & adducit septem nequiores, & habitant ibi, *Et sic fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*: id est, recedit à Cõfessario oneratior peccatis quam accesserat.

*Erasmus in sua Exomol.*

*Luca* 11.

Doctor quidam Parisiensis scribere ausus est, accipiunt pro absolutione excommunicationem, maledictionem pro benedictione, vt verum fiat illud Prophetæ, *maledicam benedictionibus vestris.* Mirum homines illos non tantum saltem timere Deum, Sacramenta, & Ministros eius ludificare & recipere maledictionem pro benedictione, quantum Iacob iuuenis adhuc, suadente Rebecca vt induens personam Esau, anticiparet benedictionem: *Mater,* inquit, *si attrectauerit me pater meus, & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam pro benedictione maledictionem super me.* Non habentes matrem suam Ecclesiam pro se spondentem, sicut Iacob ac suscipientem in se istam maledictionem.

*Genes.* 27.

Ego

Ego quidem excommunicatos illos dicere non ausim, non inueniens hoc in vllo Canone, cum nec ob baptismi, nec ob communionis susceptionem indignam quis sit excommunicatus, etsi hoc faciant cum summo periculo corporis, & animæ: Adfero exemplum.

Matrona quædam maritata, commissum adulterium præ verecundia, vndecim annis in confessione subticuit. Accidit vt interea duo fratres prædicatores, quorum alter pœnitentiarius erat Papæ, illac transirent, ac subsisterent ad celebrandum sacrum. Mulier hoc intelligēs statuit alteri istorum peccatum, quod aperire ausa non fuerat, confiteri: confessa etiam est absoluto sacro. Socius igitur Confessarij, secedens aliquantulum & constitutus in oratione, videbat ad singula mulieris puncta, magnum ipsi ex ore decidere bufonem, qui exibat de Ecclesia; & hoc ita continuari vsque ad vigesimum. Cōfessarius postquam ad virtutem & pietatem ipsam hortatus est, integrè confessam ratus absoluit. Socius autem omnes illas venenatas bestias, iterum vidit in os ipsius irrepere, & vnam nouam reliquis multo maiorem, retulitque socio suo quod viderat, extra Ecclesiam.

*Guil. Pepin. tract. 1. in Confit. c. 13. Spec. Exēpl. dist. 9. c. 31. ex Scala parad.*

Qui statim coniecit, bufones peccata fuisse mortalia, exeuntia per confessionem, vnum vero pudore suppressum, indignam reddidisse absolutione, atque ita rediisse peccata priora, & insuper abusum Sacramenti. Boni Patres redeuntes vt ipsam conuerterent, inuenerūt mortuam & suffocatam. Triduo post miserrima fœmina ipsi draconi insidens apparuit, dixitque: Serui Dei, nolite timere, infœlix illa mulier sum, alteri vestrum nuper confessa, sed vnum subticui pudore adulterium, quod nulli vnquam detegere volui: cumque esset in extimis labiis, iterum rubore subticui, & nouum peccatum addidi, & propter hoc silentium pœnis infernalibus adiudicata sum. Alterum etiam, etsi terribilius; non minus tamen credibile, nisi bonorum scriptorum fidem velimus vocare in dubium.

*Ex litteris Indicis anni 1590.*

Anno 1590. accidit patri Iacobo Saminiego præfecto missionis Itatensis, res mira, & digna notatu: omnium vrbis incolarum confirmata testimoniis, vt nulla sit dubitandi ratio. Puella quædam annorum circiter sexdecim in Itatensi ciuitate matronæ cuidam cohabitabat, bello capta nomine Catharina: libertas & morum dissolutio crescebat cum ætate, quamuis ab hera sua sæpius moneretur, ad tantam malitiam vt secretis permixta fornicationibus, non omitteret tamen frequentare confessionis Sacramẽtum, semper celans hoc peccatum, ne quod erat, meretrix haberetur. Puella igitur hæc primo Augusti in morbum incidens vocauit Sacerdotem, vt ei confiteretur; non tamen confessa est integrè, nec illa nec aliis nouem vicibus durãte morbo. Recedentem in præsentia etiam aliarum ancillarum ridebat Sacerdotem post tergũ his ac similibus verbis, nihil habeo quod agam, nisi vt peccata confitear? adiiciens nescio quæ inhonesta: quibus offensæ eius sociæ & scandalizatæ indicarunt herę, quę bono iure dictam Catharinam increpuit; tãdem minas in preces vertens, rogabat sibi indicaret quid id esset, quod indicare Confessario nollet. Ipsa impudens liberè confessa totam veritatem, dicebat: quoties in morbo patrem vocaui ad aperiendam conscientiam, vidi ad sinistram eius nigellum Æthiopem, suggerentẽ ne peccata ista, vtpote leuia & nullius momẽti indicarem Confessario, maximè cũ Cõfessarius inde habere me posset pro inhonesta; ad dextera Mariam Magdalenã, vt totũ liberè profiterer hortantẽ. Hera reuocauit Patrẽ, indicauit negotiũ; qui frustra omnib' modis eam laborauit ad confessionem inducere: imo quo instabat magis, resistebat obstinatior, adeò vt nec benedictũ nomen Iesu proferre dignaretur. Alias etiã cum pater in crucis imaginẽ ipsi cõtemplandam exhiberet, morté & passionẽ D. nostri Iesu Christi, cum multa cõtemptim dixit cholera? scio ista satis, quid vultis me facere? vt cõuertaris ad Deum, inquit hera, qui peccata tibi ignoscet si ea cũ dolore cõfitearis. Quæso, inquit Catharina, finite

finite me: & quam primum hera inde abscessit, rediit iterum ad verba obscœna, atque ita dies aliquot continuauit; donec iterum nocte quadam aduocata hera, & ancillis dixit, torqueor & arctor vehementer, ob confessiones falsatas, acita vsque ad medium noctis obriguit vt putaretur mortua, & cogitarent de sepultura: sed rediens ad se, reuocato Sacerdote, egit vt prius: tribus horis post, paulo antequam expiraret, cum ancillę monerent ipsam crucem arripere manu, & benedictas candelas, inuocare nomen Iesu, respondit: Quis iste Iesus? non noui ipsum. Et volutans se ad lectuli spondam, sicque assidens audiebatur cum quodam loqui, quem non viderent. Alia vero famula, quæ in eodem ægra decumbebat cubiculo, instantissime rogabat dominam in alium deportari locum, quod spectra quædam videret, nigrosque spiritus valde horribiles. Nocte ista qua infœlix efflauit animam, tota pædoribus oppleta est domus: adeo vt in liberum aerē coacti sint exponere cadauer. Heræ frater brachiis è lecto detractus est: Alia famula inter scapulas quasi pede percussa, aliquot diebus ostendit insignia: equus quidam ingenio admodum tractabili & miti, eadem nocte quasi rabidus cœpit furere, vehementer calcitrās in parietes: idem fecerunt canes, currētes cum vlulatu & strepitu terribili per plateas. Corpore humato, famula quædā ingrediens in cubiculum, sensit, neminem vidēs, in se coniici ollam: alia ancilla à pluribus visa est rapi pede, inuiso trahente: 7. Octobris, cū ancilla quædā ex vestiū arca vestimenta acciperet, apparuit Catharina capiēs amphorā; cūque ingereret iniecta est amphora in parietē, tanto impetu, vt in mille particulas dissiliret. Postridie cum imago chartacea crucis illic esset affixa, magna vi in partes 3. ex pariete lacerata est. Eodē die cū hera in horto cœnaret, dimidia tegula omnē cœnā euertit, ac eodē infāti quadrienis clamare cœpit filiolus, mater, mater, Catharina me suffocat: cum q; ex collo eius suspēsę essent Sanctorū reliquæ, liberat⁹ est à periculo. Hæc cōpulerūt dominā mutare ædes, & diuertere ad quandā

suam

ſuam cognatam, relictis pro cuſtodia ędium ancillis. Decimo die eiuſdem mẽſis vna ex ædium cuſtodibus audiuit ſe ter à Catharina compellari; cumque in pedes ſe coniiceret, monuerunt aliæ vt inuocato Dei nomine, & accenſa candela conſecrata, audacter regrederetur: quod & fecit, duabus quę animatiores videbantur, ſociata. Dixit ipſi defuncta, vt ſola manens ablegaret alias, & deponeret candelam benedictam, qua torquebatur. Catharina toto corpore emiſit flãmas, cum incredibili fœtore: ardebãt caput & pedes, cincta quaſi ignea zona, octo aut decem digitos lata promiſſaque in terram, quæ pœna videbatur eſſe incontinentiæ ipſius. Ancilla tam terribili ſpectaculo pallere cœpit, & tremere: dixitque defuncta; accede quoties te vocaui? Reſpondit ancilla: bone Ieſu, quæ non timeat te videns? Dum hæc diceret, vidit puerulum veniẽtem in niueis, qui redanimabat ipſam, monens vt reſumpto ſpiritu diligenter notaret, quæ ex Catharina audiret, eaque publicaret aliis. Tum Catharina ſic exorſa eſt: ſcias me damnatam, & grauiſſimis affligi pœnis, quia coram ſacerdote leuiſſima tantum confeſſa ſum, multiloquia, inclinationes ad choleram, & ſimilia; tacebam verò fornicationes, & conſueta cum quibuſdam adoleſcentibus commercia. Vnde diſcite bene confiteri, nihil ſubticere; hæc monere iuſſa ſum, & compulſa indicare. Dato tum ad Aue Maria ſigno, in angulum ſe recepit, & euanuit. Et Angelus (putabat enim ancilla puerulum illum fuiſſe Angelum) vt conuocatis domeſticis quæ acciderant enarraret, ei imperauit.

Videte quibus exemplis Diuina prouidentia nouos illos Peruanos populos inſtituat, ſincerè ſacramento pœnitentię vti: in quo alioquin non parua difficultas.

*Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.*

Vt vero integram faciatis confeſſionem, media quædam vobis offero, quibus examina veſtra inuenem, vt tectiſſima etiam deprehendatis peccata. Attendite.

Pri-

Primo libellum in manus sumite, ex illis qui agũt de cõfessione facienda, vt Hortulum animæ, Granatensem, Brunum, Artiam, Augerum, &c legite, relegite, notate singula in quibus deliquisse vos putatis, vt postea in confessione proponatis.

Secundo. Cogitate statum in quo sitis, aut fueritis; vtrum virgo natura an voto, vtrum vidua an coniugata.

Tertio Ætatem præsentem ac præteritam.

Quarto. Aduersa & prospera quomodo tuleritis.

Quinto. Officium, opificium, exercitium.

Sexto. Societatem quam habueritis virorum aut fœminarum, &c.

Septimo. Loca in quibus fueritis.

*Hic fuit, hic iacuit, thalamo dormiuimus illo.*

Et certè multum valet locorum recogitatio; cum illi qui memoriæ artem docent, primum loca fingãt, in quibus rerum imagines & similitudines collocent, quarum volũt meminisse; nisi plane oblitus sim, quod olim me docuit magister Lambertus Schenckelius.

Octauo. Tempora; vt bella, pacem, solennitates, dies feriatos, examinate singula, vbi forte Deum offenderitis, vel proximum corde, ore, opere. Qui hoc facit, nec tamẽ recordatur magis quam qui magnos hausus ex obliuioso Lethes flumine biberit, aut qui videns se in speculo, retrahẽs inde oculum obliuiscitur qualis fuerit, vt inquit S. Iacobus, ille tum ad iuuandam memoriam cui diffidit, in chartam sua conficiat: quæ notauit in prædictis libellis, quæ recogitauit quasi ex locis communibus, in quibus peccatorum summa reposita erat, recolligat in breuem scedã, breuiter notis arithmeticis si possit, vel hieroglyphicis, obscure, ne quis forte inspiciens intelligat cathalogum, idque sub tertia persona, ipse hoc fecit, ille hoc dixit, tali tempore, ter, quater, &c. Propter perdita fortunarum, honoris, vitæ etiam, si peccatorum horum chirographa in manus maleuolorum inciderent. Feci id ego aliquoties iuuenis & senex; vidi & sacerdotem qui ita mihi confitebatur; faciat qui volet,

let, bonum arbitror remedium memoriæ.

Denique vt melius compleatur confessio, & explicetur conscientia, bonum est si cribrari, ventilari, examinari, interrogari a prudente & experto te facias Confessario, qui vt sacer quidam Rhadamantus omnia profiteri compellat. Nam Rhadamantus, inquit quidam, *Castigatq; auditq; dolos subigitq; fatiri*

*Quæ quis apud superos furto latatus inani*
*Distulit in seram commissa piacula mortem.*

Sicut etiam Minos iuxta Virgilium.

*Quæsitor Minos vrnam mouet: ille silentum*
*Conciliumq; vocat, vitasq; & crimina discit.*

Vt sic examinemini, vt Legati ab externis ad quos mittuntur Regibus.

*Reges dicuntur multis vrgere cubullis.*

Imo non tantum oportet esse paratum ad hoc tolerandum & respõdendam omnem veritatem, quam peccati detectio requirit: sed desiderãdum etiam est, & rogandus vt faciat Confessarius, cum ipse prius feceris quod possis, vt iuuet, examinet, quãtum iudicat expedire: & sic corde vndiq; aperto detectis peccatis, orare vt quantum possibile in confessione, illa penitus eradicet. Facietis locum ornatiorẽ pretiosis meritis & passioni Domini nostri, vnde peccata exeunt, & replebimini benedictionibus. Gratiæ aura in animæ vasculum intrat, vnde salsa effunduntur peccata, sicut aer in vasa vnde liquor extrahitur. Non vult ingredi in locum nisi prius planè dirutum, incedere vult per ruinas, & calcare colla inimicorum. *Iter faciteaqui ascendit super occasum, (& occisum.)*

## I I.

### *Quod male faciant qui in confessione, de omnibus à Sacerdote interrogari volunt.*

QVamuis autem hęc meticulosis & scrupulosioribus suadeam; non possum tamen non vehementer redarguere pigros quosdam, & in salutis

suæ

suæ cura desidiosos, qui nihil aut parum præparati, quamprimum ad confessarij pedes assederint, statim cantillant, *Pater iuua me, interroga me, redige mihi in memoriam:* Hoc enim indicium est euidens, quod non vt boni Christiani, iuxta timoratorum hominum consilia, quotidie vesperi debite se recolligant.

*Non prius in dulcem declines lumina somnum,*
*Omnia quam longè reputaueris acta diei.*

Imo quod dignati non sint antequam se exhiberēt Sacerdoti vllam facere recapitulationem, aut saltem valde exiguam vitæ suæ, post extremam confessionem: si enim bene præmeditati essent, facile sine hæsitantia & titubatione proferrent. Nam bene præmeditatum ex parte dictum est.

*Rem bene præuisam verba haud inuita sequentur.*

Et quid hoc est, quam tacitè fateri exiguam contritionem, & peccati dolorem. Nam in materia quæ nos torquet, facile omnes nimis diserti sumus; si quid enim molesti accidit, si quid cor pungit, nimis statim parata est lingua, interpres mentis, nimis exaggerat quicquid graue patitur.

Horat. in Arte.

*Format enim natura prius nos intus ad omnem,*
*Fortunarum habitum iuuat, aut impellit ad irā:*
*Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit:*
*Post effert animi motus interprete lingua.*

Psal. 75.] *Cogitatio hominis confitetur tibi. Et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.*

Quid hoc est aliud quam petere impossibilia? *quis enim* hominum *scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?*

Quid hoc est aliud, quam velle sacerdotes auditores & iudices facere diuinos, vt coniiciant quid boni homines cogitarint, dixerint, vel fecerint: vt accusatores fiamus, imponentes iam hunc casum, iam alterum; vt patroni ipsorum fiamus, & quasi culpabiles ipsorum confiteamur nomine. Non sumus quod nos esse putatis, aut facere vultis, quando dicitis *iuua me, interroga me, &c. Dauus sum non Oedipus* (ad sphyn-

sphyngis ænigmata.) Non sum Prophetæ, nec filius Prophetæ, vt cogitationes vestras videam, & quæ clã culũ agitis. Non possumus dicere quod Iosephus fratribus, *An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?* Heliszei non sumus, vt statim videre possimus an in absentia sitis Giezi, accipientes argentum & vestes à Naaman, pretium lepræ, recusatum ab Hero: cum insigni eius contumelia rursum negantes aliquid acceptum, in præiudicium Naaman, suppressa eius liberalitate. Non sumus de genere Ahię Prophetæ in Sylo, vt cognoscamus statim vxorem Ieroboã, aliena latentem veste, ex consilio mariti, vt tanto liberius ignota cum Propheta ageret: quam, etsi præsenio nihil videret, agnouit statim in introitu, dicẽs: *Ingredere vxor Ieroboam, quare aliam te esse simulas?* Non sumus Danieles, qui non tantum Nabuchodonosoris, vt Iosephus Pharaonis, in Babylone interpretatus est somnia; sed cùm ille etiam esset oblitus, atque à Magis ac Ariolis mortis minis interpositis exquireret, ei reduxit somnium & interpretationem in memoriam. Non sumus tanti quantus Christus, qui Samaritanæ, de qua nihil vnquam audierat, quinque enarrauit viros, eumque quem tum habebat virum eius non esse; vitæ insuper totius ordinem. Vnde *abiit mulier in ciuitatem, & dicit illis hominibus: venite, & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci, numquid ipse est Christus?*

Genes. 44. 4. Reg. 5. 3. Reg. 14. Ezech. 18. Daniel 2. Genes. 41. Ioan. 4.

Non sumus tales Prophetæ, non scimus quid absentibus nobis geratur: nec hoc à nobis Deus exigit. Mittimus quidem aut poni facimus aliquid in conscientia vestra, vt Ioseph scyphum in sacco iuniorũ; vt videamus quid in animæ fundo lateat. Officium nostrum est sedere, iudicare, cognoscere, punire secundum allegata: non examinare, extorquere per vim: ex gratia est, & charitate si id nonnunquam facimus. Quid? Vultis nos grauare vltra quã teneamur, exonerare vos iis ad quæ tenemini, vnum opprimere omnium clitellis? quomodo miser sacerdos solus ferret onus in vos omnes partitum? Vultis vt vobis dicamus

Genes. 44.

nus, quæ solus nouit Deus? nam corda ille solus inspicit: Angeli nec boni nec mali ad secreta illa penetrant. *Sermo quem tu quæris Rex, grauis est: nec reperietur quisquam qui indicet illum in cõspectu Regis: exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conuersatio*, dicebant Diuini Nabuchodonosori, cum peteret vt narrarent somnium quod sibi exciderat. *Dic somnium seruis tuis, & interpretationem eius indicabimus.* Eodem modo dicat peccator quid fecerit, quid cogitauerit, & nos de eo dabimus sententiã, absolutionem, & satisfaciendi modum. Hos terminos nostrum officium non egreditur. Officium ac ministerium nostrum est, audire loquẽtes, præesse libellis, supplices audire in Dei nomine, liberas confessiones criminum in maiestatem eius admissorum, inducere ad confessionem omniũ: dein iudicare, absoluere, aut non absoluere, sicut ipse facturus esset Deus. Est igitur extra limites nos euocare, velle vt instituamus quæstiones, sumamus informationes. Vt ad arbitrium vestrum subueniamus vobis, rogare debebitis Deum vt in vniuscuiusque pectore feneſtellam faciat, qualem Momus in imagine hominis à Vulcano facta desiderabat: & sic commodè possemus malè seruatum domi ordinem, & abdita conscientiæ inspicere, & examinare. Aut si non magis videatis maculas in propria conscientia, quam in facie propria, orare debuissetis Deum, qui fecit vt alienos vultus magis videamus quam nostros, det etiã vt melius possimus cognoscere conscientias vestras quam vos ipsi: & tum facile dicemus quam sitis mali, sicut iam facile alter dicit alteri, an nasum simum habeat an aquilinum. *Daniel. 2.*

Sed agamus paulo grauius in re tam seria: cur non ut probem remittere se planè in Confessarij interrogationes: tres maxime sunt causę: nimirum dispendiũ temporis & damnum publicum, & hæc vna. Dein etiam periculum & honor Confessarij, & hoc secundũ. Periculum denique innocentiæ eorum qui interrogantur, & hoc tertium.

Dicamus singulatim de omnibus. Primum igitur 1.

propter dispendium temporis & damnum publicum: nam dum vnum interrogo, duos aut tres audite expectantes, & suspirantes, sine fructu multo tempore. Interrogare enim possem tam de millerebus quas non feceris, quam de iis quas feceris: dum videris mihi considerato statu, ætate, loco, personis cũ quibus agis, ea quæ interrogo facere potuisse. Variandę enim sunt quæstiones pro varietate personarum. Rogaresne ex puella quindecim annorum, an forte latrocinia exercuerit? ex viro centum annorum an forte virginem corruperit?

Horat. in Arte.

*Intererit multum Dauusne loquatur, Eteius:*
*Maturusne senex, an adhuc florente iuuentâ*
*Feruidus; an matrona potens, an sedula nutrix;*
*Mercator ne vagus, cultor ne virentis agelli:*
*Colchus an Assyrius: Thebis nutritus, an Argis.*

Si vero paratus accesseris, dices tantum quid feceris, & sic exiguo fiet tempore. Insuper quando interrogo, aliquantillum saltem mihi cogitandum est quid prudenter interrogem, quid non? Tibi contra ad singulas quęstiones, vt vere sincereque respõdeas, hærendum nonnihil: & sic tempus labitur, quod lucraremur si ante confessionem fuisses præmeditus. Interim etiam dum de quæstionibus cogito, consilia & admonitiones cogitare non possum, quas tamen durante recitatione tua, possum colligere, si nimirum bene paratus, vno filo tua deducas; ac proinde vel sine consilio dimittendus es, aut hoc iterum cum temporis dispẽdio requirendum est. Videte igitur quantum temporis pereat interrogationibus. Insuper contingere potest vt per te plures bene parati prohibeantur confiteri, dum tempus quod duobus aut tribus sufficiat, vni impenditur. Satagite igitur boni publici.

*Publica priuatis præponite commoda rebus.*

Secundo, honor confessarij, (per fidem vestram) non videtur vobis hac ratione adduci in periculum. Audite si placet. Interrogat forte intelligens te in matu-

matrimonio esse, aliquid quæ improbi quidam qui in matrimoniis omnia putant licita, nonnunquam admittunt: quæ tu forte nunquam cogitaueris. Interrogabit forte aliam non satis pudicam, an terminos naturæ non sit egressa, an nihil in actibus suis habuerit Græcum, Sapphicum, & mille alia quæ honestè nominari non possunt: quæ voluptuariæ quædam & magis effrontes, nimis morigeræ, nimis faciles admittunt. Aliæ forte, quæ non ita omnem abiecerint pudorem, & aliquid diuini timoris seruant, cauent. Et sic in omni statu. Et sit Pater Confessarius, qui illa rogabit, iunior, sit religiosus, homo nunquam coniugatus: quid dicetis? quid cogitabitis de eo? vnde videbitur vobis matrimonij ac naturæ mysteria didicisse? in qua schola putabitis studuisse, qui tam rectè loquatur de uorum negotiis? Non cogitabitis ista ex Casistis hausta, non ex Poetarum scriptis, quæ necessitate aliquando legant; aut ex confessionibus meretricum aliarum, quę magis prostitutæ sint quã Laïs Corynthia, ingenio- *In vitis Patrum.*
siores ad mala quã Sappho Lesbia, inuentrices voluptatum magis quam Venus Cypria, lasciuiores Pelagia Antiochena, ipsis canibus caniniores, quas fortasse aliquando confitentes audiuerit: sed arbitrabimini magis eiusdem malitię fuisse sociũ, & cooperatorem: scientiam didicisse per experientiam, nec rem magis quam nomen ignorare. Impossibile dicetis aut intra vos, aut etiam apud alios, vt homo ista sic examinet nisi aliquando eisdem contaminatus, & sic ad omnem occursum, ad omnem visum, male de ipso cogitabitis, male loquemini, qui florem virginitatis & primam innocentiam nunquam perdiderit, qui nesciat vt ita dicam quid inter fœminam & cothurnum sit discriminis; quid inter virum & puellam; nisi vestem. *Quomodo fiet istud quia virum (& viram) non cognosco.*

Noui quendam celebris ciuitatis Curatum, qui cũ ex puella quadã interrogasset de peccati carnalis quibusdam particularitatibus, quod ipsa vel confiteri

cœperat, vel cogitabat ipsam facere potuisse, ausa fuit ipsi dicere; Pastor, vis ridere: & tam inopinato, & ridiculo responso, tantum excitauit Pastori risum, vt ad eum dissimulandum petita venia nonnihil ad sacristiam recederet, quasi aliquid acturus: donec superato risu ex tam stulto responso, reuerteretur ad audiendum vlterius bonam illam pœnitentem: cumq; repeteret quæstionem, iterum satis impudenter replicauit, Pastor iterum illuc relaberis: putans bona mulier se ita interrogari, vt ad talem discursum induceretur.

Horat in Arte.

*Si dicentis erunt fortunis absona dicta:*
*Romani tollent equites, peditesq; cachinnum.*

Nonne hæc mihi ac cuilibet accidere possent, si de bona gratia aliquid sicut ipse interrogem? nonne cogitare potestis perditis nos oblectari sermonibus, & quamuis opera caueamus, libenter tamen de eis loqui?

Quid? videri possemus etiam illa quærere; vt doctiores facti deducamus eadem in opus. *Pro meditis, fiunt aut socij, aut magistri, aut discipuli turpitudinis,* dicere audebat Erasmus, aut aliquis sub Erasmi nomine. *Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Audiui aliquando tales homines qui talia somniarent. Ne igitur honorem & æstimationem nostram tantopere periclitemur, proculdubio satius erit vt quisque sua edicat peccata, & non semper, *Pater adiuua me, Pater iuua me.* Vt nihil dicam si Confessarius diutius exquirat, & inuestiget (quærit enim omnia aliquando, vt ea cognoscat faciatque aperta) maxime audiens Magdalenas, mulierculas malæ famæ, putari posset illicitis cum illa detineri sermonibus: dicite igitur potius ipsi, & nostro parcite honori.

*Eras. in Exomol. 4. quod fingit incommodo.*

III. Periculum autem innocentium quorundam pœnitentium, quis non videat? Interrogans enim omnia quę putem in talem statum, fortunam, ætatem, opificium, societatem cadere posse; proponere possem casum,

ùm, quem pœnitens melior opinione, nec cogitauerit vnquam, nec audiuerit nominari: audita vero tali confessione, doctior iam non tantum nomen, sed & rem per experientiam discere voler, maxime iuniores: *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Quod cauebitur si quilibet quæ nouit, quæ fecit, mala dicat. Et ecce cur scriptura turpitudines quasdam nõ nominandas, turpitudines simpliciter vocat: *turpe est & dicere*, inquit S Paulus: & Theologi peccatũ quoddam vocant mutum, ne audito eius nomine inuitetur. *Immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.* Ephes. 5. Et bona quædam animula, rogata à puella quid hoc esset peccatum luxuriæ, dicebat comedere scriblitas sine butyro: sic & sapientes magistratus nõ semper publicè crimina pronuntiant, cur quis damnetur: quia non omnibus expedit nosse ipsorum scelera. Et verè magna innocentiæ pars est, ignorare peccata, & nomine & re, nec suspicari quidem tale quid in rerum natura esse sceleris. Per nimiam proh dolor scientiam in maxima mala cadimus. Diabolus vult vt discamus multa, vt offendamus multum: ideo dixit Euæ, *eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Postquam autem nimis credula, infœlicem fructum spe scientiæ conditum gustauit, vidit nuditatem suam, sentire cœpit S. Pauli stimulos, & fomitem omnibus communem: post scientiam boni & mali abundauit malum, & facta est via peccatis omnibus. Essemus proh dolor modo in prima innocentia, si coniugassemus vno quasi matrimonio *scientiam boni, scientiam mali*; sciuissemus boni satis: hoc debuisset sufficere. *Ignoti* frigida concupiscentia, vel potius *cupido nulla.* Ecce etiam cur libri nimium lasciui, aut reuera, aut secundum apparentiam, aut omnino prohibiti sint, ut ad certam vsque ætatem: cur etiam inhonestæ picturæ quæ exhibent omnium oculis quæ geruntur post cortinas, aut illas vtriusque sexus partes, (quas magna mater natura semper voluit esse tectas, foliis, vestibus, prona fluitatione cadauerum fœmineorum) ne iuniores inde primum theorice, postea practice

1. Cor. 15.

Genes. 3.

ctícè mala discant. Ad hanc rem, de obliquis interrogationibus, memini me circa annum nonum ætati, a bono Confessario, cui me pater piæ memoriæ ob prudentiam commendarat, cum confessus essem certum quoddam peccatum quod ipsi vlteriorem ingerebat cogitationem, rogatus sum an forte non fecissem peccatum aliquod certum, illi affine. Gratiæ Deo quod non commisissem, nec cogitassem: quæstio tamen ipsius, etsi sapienter proposita, primam mihi dedit illius peccati intelligentiam, quod forte nunquam cogitaueram nisi multo post esse perpetrabile. Vt igitur caueatur omne periculum, oblique docendi quod ignoratur, ac ita dandi occasionem experietiæ optime facietis, si antequam ad confessionem accedatis, ipsi vestra peccata bene recolligeretis, vt tum nihil restet, quam instruere, monere, absoluere & imponere pœnitentiam. Meo iudicio quidam nostri ordinis Episcopus, suo tempore concionator mirabilis, non male suadet, vt Confessarij, si in tales pœnitentes incidant, moneant illos vt seorsim paulisper secedant, ibi se præparent, ac tum reuertantur: sicet iam quidam Petrus Borgius, in thesi sexta de ministro confessionis: *Si non satis dispositos aduerterit. Priuatiue liget, id est, non absoluendo ligatos permittat.* * Hoc enim præterquam quod honorem nostrum præstantiorem, causa esset vt contritio & erubescétia quorundam obstinatorum crescceret maior, si ipsi pronuntient peccata sua, & non tantum audientes a Sacerdote pronuntiari annuant modico verbo, ita pater: & hęc ipsis pene paruum esset purgatorium & firmum retinaculum cõtra nimiam lapsus facilitatem. Nam vt inquit D. Greg. li. 22. moral.] *Plerumq; grauioris certaminis est, commissa peccata prodere, quam non admissa vitare.*

*Rob. Licienſ. Epiſ. Aquin.*

*Pet Borgius in diſp Theol. de miniſt. Confeſſ. edita Luxenb. 1599.*

** forte melius legeris, remittat.*

Dicerent sępe cum Demosthene: *Tanti pœnitere, recognoscere peccata, tam sigillatim narrare, &c. non emo.*

Facilius cauebo quam sic confitear: ex tali enim molestia, cauebunt forte peccata, qui ex charitate, Deique amore non committunt. Nihilq; facit cõtra nos

ios quod Grammatici dicant *confiteri* esse quasi per violentiam: *profiteri*, per libertatem & propria sponte: *confiteri* iuxta Varronem sit concedere quod quæritur, & iuxta Iuristas, etiam per quæstiones & tormenta. Atque ita videri possent satisfacere confessioni sacramentali, qui nihil dicunt motu proprio, & ipontè, nisi interrogati à sacerdote; melius quam alij, qui sine interrogationibus peccata liberè enuntient. Respondeo enim ex confessionis definitione, *quæ est voluntaria sui accusatio. Grammatici leges plerumque Ecclesia spernit*, dicit ipse meus Despauterius, Grammaticorum nostri temporis Princeps

*L. Seruos. C. ad Leg. Iul. de vi.*

*Ioh. Desp. in syntaxi.*

*Tu viuendo bonos, scribendo sequare peritos.*

Si vero ita pressim Grammaticalibus subdere me velim legibus, non ideo cadam causa. Cicero enim atque alij boni authores, *confiteri* pro libera accusatione accipiunt.

Cic. lib. 3. de nat. Deor.] *Quod facimus occultius? (incendio tabularij sc.) At se Q. Sosius splendidus eques Romanus ex agro Piceno feciſſe confessus est.*

Idem ibidem.] *Peccatum suum quod celari posset, confiteri maluit.*

Idem Orat. pro Q. Ligar.] *Prius de vestro delicto confiteamini necesse est. quam Ligarij vllam culpam reprehendatis.*

Plaut. in Trinum. Act. 4.] *Hæc sunt: seu recte, seu perverse facta sunt egomet feciſſe confiteor.*

Idem in Ciſtel.] *Tibi nos prodimus ac confitemur ciſtellam habere.*

Habemus igitur verbi significatum, pro re autem faciamus vtrumque, ad securitatem. Profiteamur & confiteamur. Peccator profiteatur primo libens peccata quæ reminiſci potest. *Dic prior peccata tua vt iuſtificeris*: ac reliqua dein confiteatur, id est, non neget interrogatus à Confessario (ex gratia vel officio, si hoc muneris eius est) in confessione, si ea admiserit: dicat cum Cicerone, de quolibet peccato, quod rursum redigitur in memoriam, *hoc ego non*

*Cic. pro Manil.*

*solum confiteor, verum etiam profiteor*, dico meam culpam: vt de ipso dici possit, quod in alia re de S. Iohanne Baptista, *& confessus est, & non negauit*: & quod S. Augustinus de Maria Magdalena, postquam ad Christi pedes in conuiuio humillime veniam imploratat, *accessit confessa vt rediret professa*; Christiana & discipula Christi. Subleuate nos igitur ex parte vestra, vt primum recolligatis peccata, quantum possibile, & tum subleuabimus vos, quantum debemus, interrogabimus reliqua; sic alter alterius onera portantes, implebimus legem Christi, sic perueniemus pariter quo tendimus ad vitam æternam.

*D. Aug. lib. 50. homel. hom. 23.*

Amen.

CON-

# CONCIO XXIII.

8 Καὶ ἐρῶ αὐτῷ, πάτερ, ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανον, καὶ ἐνώπιόν σου? 9. Καὶ οὐκέτι εἰμὶ ἄξιος κληθῆναι υἱός σου. ποίησόν με ὡς ἕνα τῶν μισθίων σου. *Græca.*

8. *Et dicam ei. Pater peccaui in cœlum, & coram te.* 9. *Iam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* *Vulgata.*

8. *Et dicam ei. Pater mi, peccaui in cœlum, & coram te:* 9. *neque amplius sum dignus qui vocer filius tuus: fac me vt vnum ex mercenariis tuis.* *Syriaca.*

## ARGVMENTVM.

*Dicemus hodie*

1. *Vnde videatur auricularis confessio non esse iuris Diuini.*
2. *Quod certe iuris Diuini sit, ad salutem necessaria; Iugum suaue per 8. vel 9. rationes.*
3. *Cur Laici vnus alteri confiteri non possit, speciatim fœminis: & quid respondendum ad obiectiones contra confessionem auricularem.*

## AVE MARIA.

### I.

*Vnde videatur auricularis confessio non esse iuris Diuini.*

REVERA dilectissimi, inter omnia legis gratię sacramēta, prima facie nullum videtur confessione durius: & quamuis concedendū videatur Christi mandata grauia non esse, iugum suaue, onus leue; confessionis tamen mandatum & onus impositum, adeo clarè, adeo ple- *Math.* 11.

nè hominibus confitendi, nonnullis nec suaue videtur, nec facile: quamuis negari non possit, mirabilia animæ commoda hinc deriuari. Et videte cur Diabolus post Baptismum nihil confessione peius oderit: sicut in religiosis locis, nihil peius locis capitularibus: quia sc. confessio soluit, destruit laqueos, gripphos, stratagemata ipsius mille, quæ quotidie intendit, prædamque ipsi extorquet, in ipsius manibus alioquin mansuram. Sic & Christiani quidam baptizati rudiores, qui nihil gustant salutarium, nihil vident spirituale, non magis quam noctuæ media luce, & plerique hæretici, maxime moderni; nimium amantes libertatis summopere de ea tanquam iugo prope importabili conquerantur, & posteriores hi radicitus & funditus optarent euersam. Ergone ita necessarium est, inquiunt, cõfiteri hominibus? Dei hoc mandatum est, Papæ, an Ecclesiæ nõne satis Deo confiteri; videtur ita docere Regius Pro-

*Psal. 50.* pheta: *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Cõfitebor Domino. Domino,* inquit, non homini, non conseruo, & nihilominus adiicit, cum tantum Deo confiteri proposuisset, *& tu remisisti, &c.* Et qui sunt illi qui diuinam inuadunt authoritatem? hoc Dei proprium est. *Quis est hic qui etiam peccata dimittit.* Antalcidas Lacedæmonius, interrogatus à quodam Sacerdote de peccatis, quorum se sentiebat reum: Respondit (vt refert Plutarchus) Diis peccatum suum esse notũ, nihil opus vt id aliis manifestaret. Et dein si mortales mortalibus confiteri debeant; cur non satis si laici laicis confiteantur, iuxta illud Sancti Iacobi: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Cur sic omnia aperiamus Sacerdotibus, nos eadem via nihil intelligamus ex ipsis? Cur non fœminæ fœminis, dicent mulierculæ amantes præferentiæ? cur viri ita extollantur? Deus me examinet, peccata mea Deus inue-

*Genes. 3.* stiget, ille me vt Adamum interroget, *Adam vbi es:* ille me vt Euam, quæ maritum deceperat increpet:

*Genes. 4.* *quare hoc fecisti?* vt Cainum post fratris parricidium,

vbi

*vbi est Abel frater tuus? quid fecisti?* patior vt Deus me interroget, sed ab homine quis hoc ferat? maxime cum Deus læsus sit, & offensus; ille instituat quæstionem, illi agnoscamus culpam. Et cum ipse deleat peccata, illi soli confiteamur ad obtinēdam veniam. *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas: ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* *Isaiæ 43.*

Cum ipse medicus sit, ipsi ostendamus plagas; non Sacerdoti, non alicui Gualtero, aut Tibaldo, qui nec Theoriam, nec praxim habet medicinæ animarū. Si nemo tenetur corporis ostendere vitia, cur grauiores animæ deformitates ac turpitudines enarrabimus? Si autem nihil nisi peccatorum pœnitētia taxanda est, nemo hoc ipso peccatore facit melius, qui nouit quanta voluptate deliquerit. Videntur insuper maximi Ecclesiæ Doctores mutuas confessiones admittere. S Ambrosius Episcopus tam seuerus alioquin disciplinæ Ecclesiasticæ exactor, dicit de S. Petro.

D. Ambros. lib. 10. in cap. Luc. 22 ] *Inuenio quod fleuerit, non inuenio quod dixerit, lachrymas eius lego, satisfactionem eius non lego.*

Ibidem. ] *Lauat lachryma delictum, quod voce pudor est confiteri.*

S. Iohan. Chrysost. nihil dicit minus: si delere vis peccata, inquit, confitere: si pudeat ea aperire homini, confitere ea quotidie in corde: non dico vt ea aperias homini qui tibi postea exprobret, confitere Deo, qui ea purget. Confitere in tribunali tuo, vt cōscientia tua quotidie malum suum agnoscat. *Caluin. citat S. Chrysost. hom. 2. in Psal. 50.*

Item, Non est necessarium coram testibus confiteri, examen hoc testes non requirit, sufficit vt Deus te videat & audiat. *Idem ser. de pœn. & confess.*

Item, & sunt citationes Caluini, non te prouoco ad hominem vt ipsi aperias peccata, conscientiam tuam Deo explica, vulnera tua medico exhibe, illum vt sanet ora; ille est qui nihil improperat & benignissimè infirmos curat. *Idem hom. 5. de incomprehen. Dei nat. contra Anomeos.*

S. Laurent. Presb. Nouar. scriptor perantiquus, vt aie-

*Prostat is Auctor apud Mich. Vascosanũ via ad D. Iacobũ sub Fõtis inter signo Parisiis 1522. mense Decemb.*

vt aiebat tit. libri homil. de pœnit.] *Ex illa die illaq; hora, qua egressus es de lauacro, ipse tibi es fons iugis, & diuturna remissio. Non opus habes Doctore, non dextra Sacerdotis.*

Idem paulo post.] *Et quia non poteras manẽs in membris, corporisq; compage, liber existere à peccato: immunisq; esse à nexa, post Baptisma remedium tuum in te ipso statuit, remissionem in arbitrio tuo posuit, vt non quæras sacerdotem cum necessitas flagitauerit.*

Idem paulo post.] *Noli tu iam quærere neque Iohannem, neq; Iordanem, ipse tibi esto Baptista. Pollutus es; post lauacrũ, vitiata sunt viscera tua. Contaminata es anima tua tinguere in aqua pœnitentiæ, abluete abundantia lachrymarum, exuberet fons compunctionis in exitu tuo. Exundent aquæ viuæ in fibris tuis. Para te venienti Domino, & ipse te baptizabit in Spiritu sancto & igni, habens ventilabrũ in manu sua, quod est inspectio, vel ponderatio pœnitudinis ac peccati. Ipse perpẽdit in te vtrumq; pondus, ipse inspicit in te molem, & molem. Vnam pœnitentiæ & vnam pestilentiæ.*

Habemus denique exemplum Prodigi, Publicanorum, qui non confessi sunt Apostolis, sed soli Deo, ipsi Christo. De ipso enim quilibet eorum dicit, *Surgam & ibo ad patrem, & dicam ei, pater peccaui.* Heliotropius sequitur solem, illi se aperit, non lunæ: conchæ se adrorem aperiunt, non ad æstum. Cur igitur homo homini se aperiet, &, nec patri, nec amico, nec noto, nec eiusdem indolis &c. Hæc obiiciuntur. Audite modo, vt illos silentio audiuimus, cum patientia responsionem.

## II.

### *Quod certe iuris Diuini sit, ad salutem necessaria, & iugum suaue per 8. aut 9. rationes.*

PRincipio igitur dico: Indispensabile esse Dei præceptum proprio cõfiteri sacerdoti, quo ipse etiam Papa tenetur. Et hoc indirecte datum est post resurrectio-

rectionem Christi, cum dixit Apostolis *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* *Ioan. 20.*

Et ibi: *sicut me misit pater & ego mitto vos*, id est, cum ligandi & soluendi potestate, vt inquit Chrysostomus: vel cum potestate iudicandi, *Pater omne iudicium dedit filio.* Vel cum clauibus regni cœlestis, quas maxime commendauit S. Petro: ipsi enim primario promisit: *tibi dabo claues regni cœlorum. Nemo enim dat alteri quod non habet.* Dedit eas igitur Petro promissas, & omnibus simul, potestatē sedendi, & iudicandi, tribus Israel. Intelligo enim verba illa de confessione *in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*, & non solum in extremo iudicio. Constituens enim ipsos suo loco Iudices, ligandi & soluendi dans potestatem, dans in manus claues, nō hoc fecit vt otiosè & gloriosè iactarent, nos tales sumus: vt sicut pauones ventilarent plumas, & tinnirent ipsis ex zona claues, (vt quibusdam stultulis ancillis, quæ vt videantur vicinis maiusculam domi habere authoritatem, falsarum clauium ex latere magnum suspendunt numerum quasi introituræ ad omnia.) Neutiquam: sed vt iis aliquando vterentur, vt iudicarent, vt soluerent, vt aperirent, vt clauderēt. Deus enim & natura nihil frustra faciunt. *Frustra est potentia quæ non reducitur in actum. Quo mihi diuitiæ si non conceditur vti?* Nunquam autem vti possent clauibus, non iudicare, non innodare, non soluere, si nemo sit ipsorum iudicio & cognitioni, ipsorū ligandi & soluendi potestati subiectus, si clauibus nemo indigeat. Si nec per se, nec aliorum relatu scire possent qui homines necesse haberent iis se submittere, nec quomodo, nec quoties; non enim inspicimus hominum animas, nec quicquid fulget aurum est. Virtutes enim & virtutum laruas, in publico & ad tubæ clangorem circumferimus, peccamus post siparia. *Qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: oculus adulteri obseruat caliginem: si non castè, saltem cautè.* *D. Chrys. in Ioan. ca. 20.* *Matth. 16. & 19.* *Iuuen. lib. 4.* *Alf. à Cast. adu. hæres. lib. 4. tit. Cōfessio. Et Polyd. Virg. de rerum inu. lib. 6. cap. 1.*

Tanto

*Tanto maior fama sit is est, quam virtutis.* Et quamuis oris & operis peccata essent publica; mille tamen solo corde committuntur, quæ nullatenus nisi ex committentis ore Sacerdos cognoscere potest. *Intra se crimen qui cogitat vllum: facti crimen habet.* Dicit quidam Sapiens: qui tamen in cœlo ligati manent, nisi hic per Apostolos & Sacerdotes soluantur. Quos enim solueret nodos, qui nullos videt? *Quod ignorat medicina, non curat dicit S. Hieronymus: si operam medicantis expectas, oportet vt vulnus detegas,* dicit Boetius. *Nō intellecti, nulla est curatio morbi, dicit Maximinianus.*

Sequitur igitur indirecte, intendisse Christum obligare peccatores omnes ad cōfitendum peccata sua, præsidibus quos ad hoc constitueret, i. Sacerdotibus; vt ipsi conscij fierent, ac bene potestate data vterentur, vt absoluerent, ligarent, clauderent, aperirent debitè. Obligauit etiam ex altera parte peccaminosos, ligatos, exclusos de cœlo, vt se accusarēt, catenas, nodos, peccata ostenderent; ac indicarent, cur ipsis cœli clausi fuerint. *Nam scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter*: qui enim intendit finem, intendit media. Si ergo Christus fecit eos Iudices, voluit vt causas cognoscerent.

S. August. lib. 50. hom. 49.] *Nemo sibi dicat, occultè ago; nouit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est, quæ solueritis in terra, soluta erunt in cœlo? Ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ? Frustramur Euangelium Dei, frustramus verbum Christi? Promittimus nobis quod ille negat?*

*Terent. in Andr.* Quid opus est Deo vt illi dicas? siue dicas, siue taceas, intelligit. *Obtundis tametsi intelligo* dicere posset. Vult vt dicas hominibus, præsidibus, cōmissariis suis. Antequā Christus veniret in mūdum satis erat intus Deo fateri peccatum, sic dicebat Regius Propheta: *Psal. 50.* *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi*: postquam vero pro salute nostra Deus homo factus est, ac innouauit legem, volens defectus nostros Commissariis & Vicariis, id est, Sacerdotibus aperiri, cœpit id esse necessitatis. Nam *ideo ma-*

*gis*

gis (inquit Chrysostomus) *iubet Deus confiteri peccata nostra, vt verecundiam patiamur pro pœna.* Vt magis humilietur superbus in sacramento, quam vsquam alibi: subiiciens se homini, qui noluit subditus esse Deo. *Ad hoc Deus exigit confessionem vt liberet hominem humilem*, inquit S. Augustinus. Hoc iam à temporibus Apostolorum in vsu est, illi reconciliandi, absoluendi verbis vsi sunt. S. Pauli temporibus Ephesij Episcopo suo S. Paulo confessi sunt. Videte Apostolorum acta. S. Clemens S. Petri discipulus, in prima sua ad S. Iacobum fratrem Domini epistola, de eodē dicit S. Petro, consueuisse ipsum hortari Christianos, bene examinare vitam, opera, actiones ipsorum, habuisse Deum semper præ oculis; quando vero in cordibus ipsorum malę quædā exurgerent cogitationes, solicitè eas statim declarasse Sacerdotibus. Hæc iam incepit se prodere sub S. Iohāne Baptista, cum ab ipso nullus baptizaretur, nisi præambula confessione, minimum generali; siue auricularis illa fuerit, siue publica: vt sicut præcursor assuefecit populum & quasi traduxit per baptismum suum ad baptismum Christi, qui absolure erat futurus necessarius, aut re aut voto, ad abolitionem peccati: sic etiam per præuiam illam confessionem, induceret populum ad confessionem auricularem peccatorum singulorum, quā Christus postmodum erat instituturus; nō minus futuram necessariam post perditam gratiā baptismalem, quam baptismus post originalem. Non igitur Pontificum aut Conciliorum decretum est confessio, & sui accusatio apud Sacerdotem, tam clara, tam ampla: sed lex ipsius Christi. Tempus tantum quo obliget ab Ecclesia declaratum & limitatum est. Et nisi Diuinum esset institutum, ac præceptum, sed alicuius sancti vt S. Iohannis Baptistæ, quomodo fuisset possibile illam per totā, per vniuersalem introduci Ecclesiā, ac omnes omnino illi subiicere, sicut totum Christianismum, ipsos etiam Reges & Pontifices huius iugo videmus subiacere?

*Chrys. hom. 3. in Matth.*

*D. August. in Psalm.*

*Actor. 19.*

*Vide Paulū Palatinum comment. 3. in Matth.*

Quomodo ausa fuisset Ecclesia tale iugū imponere super

super filios Adam, quo nullum inter Sacramenta, & Dei præcepta grauius? Quomodo modo excommunicare auderet Ecclesia, qui cùm possint suo Pastori saltem semel in anno non confitentur? qua præsumptione auderet dicere, *Non remanet in iudicio condemnandum, quod fuerit confessione purgatum*, id est, facere homines securos, peccata qualiacunque, post absolutionem infallibiliter remitti. *Omnia in confessione lauantur.* Cum nulla pura creatura hominem possit de remissione peccati certum facere, nec scrutari Diuina arcana, nec signa instituere visibilia, quibus obligetur Deus effectum producere supernaturalem (qualis est iustificatio peccatoris) toties quoties ipsi videbitur.

*D. Leo in serm.*

*D. Bern. serm. 2. de Resurr.*

Concludendum igitur, aut Ecclesiam ausam fuisse semper & audere fraudulenter & arroganter promittere, & promisisse, quod non potuit: aut cõfessionem hanc Christi esse institutum. Illud vero de Ecclesia credere, quæ à Spiritu sancto regitur, & domicilium est veritatis, aut credere Deum zelotem impune dimissurum tot centenis annis tam intolerâbilem suæ authoritatis vsurpationem dici non potest. Sequitur ergo omnino institutum illud esse Christi. Dicent Catholici: Christus Iesus ergo non instituit aliquam Clementinam, sed Seuerinam; nec certe monstrauit iugum esse suaue, & onus leue, ad quod nos hisce verbis inuitat. *Tollite iugum meum super vos, iugum enim meum suaue est, & onus meũ leue.* Nec monstrauit legẽ suam esse legem gratiæ, sed reuera rigoris, qualis Mosaica & aliæ: non Euangelium esse aut lęta nuntia, sed totius mundi tristissima. Ah Christiani, hoc dicere blasphemare est, & iniuriam facere tam dulci Legislatori. Monstrabo legem eius aliis omnibus suauiorem. Leges reliquæ magnas imposuerunt pœnas, etiã capitis, confitentibus: hæc verò proposuit remissionem culpæ, reconciliationem Domini cum seruo, Dei cum homine, matris cum filio, Ecclesiæ cũ Christiano, commutationem pœnæ intolerabilis & æternę, in temporariam & leuiorem: ei qui peccata confi-

*Matth. 11. 1.*

tetur,

rætur, *fit per confessionem veniale, quod criminale erat in operatione.*

D. Aug. de vera & falſ. pœnit. c. 10.

D. Chryſoſt. hom. 20. in Geneſ.] *In humanis iudiciis ſi quis vel ante accuſationem facinus confitetur, quamuis apud iudicem humanum, ſententiã omnino in caput ſuum accerſeret: at miſericordis Dei & animarum medici tanta bonitas eſt & clementia, vt ſi aduerſarium, Diabolum dico, qui illo die ob faciem noſtram ſtabit, in hac iam vita priuſquam tribunal ingrediamur peccati confeſſi, præuertimus, noſtri ipſorum accuſatores facti, in iuſtorum catalogo numerabimur, nedum à peccatis liberabimur.*

Plaut. in Capt. *Hæc tu eadem ſi confiteri vis, ex tuare feceris.*

Idem ſer. de pœnit. & confeſſ. & hom. 3. de Ozia, & hom. 7. in acta Apoſt.] *In externis iudiciis poſt confeſſionem confuſio & pœna: in Diuino, virtus, iuſtitia, merces, & abſolutio. Quis confunditur confiteri peccata, vt ſoluat peccata! non propter hoc iubet Deus confiteri te, vt hominũ more puniat? non vt puniat, ſed vt ignoſcat.*

Idem hom. 3. de Ozia.] *In mundanis quidem & forenſibus iudiciis, poſt accuſationem & criminum confeſſionem reſtat mors: vt apud Diuinum tribunal poſt vtramque coronam: ſi tu teipſum inutilem dixeris, ego te vt vtilem coronabo.*

D. Aug. lib. 50. homil. hom. 12.] *Si nos confitemur, ille parcit: ſi nos agnoſcimus, ille ignoſcit.*

Ariſtot. 2. Rhet. cap. 3.] *Manifeſtum eſt manſuetos ac mites eſſe ex iis qui contra vellẽt quam fecerint: & iis quos pœnitet & fatentur. Nam quaſi pœnas ſumpſerint, quod doleat factum, ceſſant ab ira. Huius ſignum in punitione ſeruorum ſumere poſſumus. Negantes enim atq; contradicentes multo magis punimus: cum vero iure ſe puniri fatentur, ceſſamus ab ira. Quod humilitate ira ſedatur, canes quoq; oſtendunt, qui ſedentes non mordent.* Et,

*Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,*
*Pugna ſuum finem cum iacet hoſtis, habet.* inquit Ouidius.

Aliæ leges confeſſum & accuſatum detinent lachrymantem, deiectum victum: dimittunt accuſatorem & teſtes triumphãtes. Hæc vero auricularis confeſſio dimittit accuſatum ſeu peccatorẽ quem con-

scientia accusat & Diabolus (accusator fratrum & calumniator etiã ipsius Dei) in Dei iudicio, si ipsum bene accusaueri in confessione, plane lætum, alacrẽ; Diabolum vero actorem confusum, prostratum, mirabili illa ac noua præuentione.

Orig. in Leuit. exponens illud Psal. Dixi confitebor aduersum me, &c.] *Videns qui pronuntiare peccatum, remissionem peccati meretur, præuentus est Diabolus in accusatione vltra nos accusare non poterit, sed si nostri accusatores sumus, proficit nobis ad salutẽ. Si vero expectemus, vt à Diabolo accusemur: accusatio illa cedit ad pœnã. Habebit eos socios in gehenna, quos conuicerit criminum socios habuisse.*

Diabolus nihil habebit, nihil legere poterit ex tabellis suis, nigrisque foliis quæ consignauit contra nos. O salutarem confessionem! *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata? Dele iniquitatem meam.* Nonne videmus sæpe malignos spiritus ex ore obsessorum obiectare nonnullis publice secreta & enormia peccata; cum vero confessi à Sacerdote reuertuntur, non habent vltra quod improperent. Sæpe etiam Diaboli per hominis os loquentes, affirmant eosdem non esse homines ante & post confessionem, sed iam plane alios. Sacramentum hoc quasi aliam ipsis induit personam, planeque trãsformat. *Hæc mutatio dexteræ excelsi.*

Psal. 31. Psal. 50. 1.

11. Psal. 76.

111. Aliæ leges volunt vt coram Iudice & Notario crimina clarè confiteamur: hæc autem tam benigna satisfieri sibi finit si submisse in solius Sacerdotis aurem deponantur.

1v. Suauior est hæc Mosayca. Illa enim confessionem quandam imperauit, quasi publicam: nam præsentabant se Sacerdotibus, & peccati genus per oblationẽ & sacrificia declarabant, & per ceremonias facile cuius rei essent sceleris agnoscebatur. Imo, iuxta Hebræorum Doctores, confessio illa capite quinto Numerorum, non tantum corde, sed & ore fiebat, dicebantque cum immolaretur & sacrificaretur bestia, in culpa sum ô Domine, & dignus morte, & peccato meo

aut

aut lapidationem commerui, aut similia. *Vir siue mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatũ Domini atq; deliquerint, cõfitebuntur peccatũ suum.* Num. 5.

Iugum Christi dulcius est, quam fuit in primitiua Ecclesia. Cum enim Christiani tractabiliores essent, dociliores, paratiores ad omnia, vt liberarẽtur à peccatis; vt melius corriperentur, in vsu erat confessio quædam publica, iuxta exigentiã quorundã casuum: sed Christus Iesus exigit solum auricularem.

Nonnulli putarunt iugum hoc nimium esse leue: ac nimis esse facilem veniam peccati per auricularem confessionem duntaxat, atque ideo ex abundãti plus sibi sumpserunt oneris, confitentes nonnunquã peccata aliqua publicè. Vt nobilis illa deuotaria, ac prima Iesuitissa peccatrix Magdalena; & B. noster pater Franciscus; qui aliquãdo clara voce se nimis lautum ac delicatũ cõfessus est, quod in maximo suo morbo caponem gustasset: & quidam Monachus olim sine venia egressus conuentũ, & fornicatus foris, rediit cũ filio, quem genuerat (quem celare potuisset) dixitque Abbati (Mosi vt opinor) coram omnibus fratribus; se redire cum fructu inobedientiæ, ac submittere se pœnitentiæ: Sicut & latro, de quo S. Iohan. Climacus in tractatu de obedientia: qui ad vitã conuersus monasticam, paratus erat omnia peccata sua Alexandrię in medio confiteri foro, si Abbas ipsi mandasset; cõfitebatur ea tamen omnia in Ecclesia, coram 230. Monachis Abbati subiectis. (Iucundum ista ibi legere:) sicut & muliercula cuius nuper mentionem feci, quæ Romæ in publica cõfessione (si bene memini quod mihi Romę narrauit Dominus Mãderus in Palatio Althemij) tẽporibus Sixti Quinti, alta voce incestũ suum, quem cum filio nimium matri obsequioso commisserat proclamabat, gestãs manibus puerulum incestus fructum. Res miranda, nescio vtrum semper imitanda. Christus autem minoribus in confessione contentus est. Sufficit ipsi auricularis, permittit vt soli dicamus Sacerdoti, sine teste, sine arbitro,

*Salluſt. orat. in Cic. Filia matris pellex, tibi iucundior atq; obſequẽtior quam parẽti par eſt.*

imo velato ignotoq; vultu ſi ita foret neceſſe. O qualis gratia! ô quam ſerica lex, quam ſuauis! *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Quantæ gratiæ ſit tam ſecretè poſſe confiteri, Lacædemonius iſte ſatis monſtrauit, qui (vt refert Plutarchus) citatus à Sacerdote, vt peccata quibus ſe ſentiret inquinatum explicaret, promiſit facere dummodo non in publico ſed priu. tim id fieret.

VI. Aliæ leges non permittunt anticipari Iudicem, adeò vt ſi præuenias accuſatum te apud Iudicem antequam tibi quicquam vlla de re dixerit, ægerrime te dimiſſurus ſit impunitum ſine infamia. Confeſſionis verò lex hoc admittit: cum enim cõfeſſus fueris Deo per aurem Sacerdotis, antequam Deus tibi quicquam loquatur in iudicio poſt mortem, Deus pacto ſuo & fœdere tenetur, & Sacerdos officio remittere & abſoluere te, & quaſi honeſtum dimittere. Hoc noſtra meretur obedientia, cum rubore, cum tanta verecundia.

D. Ambroſ. in Pſal. 37.] *Plurimum ſuffragatur reo verecunda confeſſio: & pœnam, quã euitare non poſſumus, pudore ſubleuamus.*

Idem in Pſal. Beati immaculati.] *Ceſſat Diuina vindicta, ſi confeſſio præcurrat humana.*

D. Auguſt. in Iohan.] *Si vis à Deo fugere, ad ipſum fuge, confitendo.*

VII. Cõfeſſio enim cogit Chriſtum quaſi ſeponere tribunal iuſtitiæ, & thronum Iudicis, & commutare officium, & procidere patri, fieri aduocatum, & mediatorem, ex Iudice.

Caſſ. in illud, Beati quorum remiſſæ ſunt, &c.] *Illic non Iudex, ſed Aduocatus eſt Chriſtus qui ſe propria confeſſione damnarunt.*

Nunquid hoc forte eſt quod inſinuare voluit Propheta Regius? dicens, *præoccupemus faciem eius in confeſſione.* Quidni? In iſto ſacramẽtum hoc conuenit cũ conſuetudine Athenienſium, qui ſponte peccatum confitentes dimittebant impune. Quis latro eſt qui non magnis paſſibus ſtatim poſtpoſita verecundia ad Iudicem

*Alex. lib. 3. cap. 4.*

ludicé festinaret, rapinas, furta fateretur; si quis certo ipsi addicat *quod sit erranti medicina confessio*; & quod si se prior detulerit, antequam ludex ei quicquam dicat, redituru s sit mundus, purus, liber à suspendio. *Si non confessus, lates, non confessus damnaberis*, inquit S. Augustinus. Datur optio, melius fuerit præuenire. *Cic. Octauio.* *D. Aug. in Psal. 66. tomo 8.*

VIII.

Leges aliæ interrogatum, conuictum, confessum, permittunt à conscijs rideri, illudi, verti in fabulam mulierculis, pueris, lippis & tonsoribus. *Cum Terentia vxore de repub. consuluisti, cum legis Plancia, domi iudicia faciebatis*, obuicit Salustius Ciceroni. Imo antequam occidant aut proscribant, externis etiam & cuicunque volenti audire mortis causas, & causarum cathalogum: atque vltra summatim describunt supplicij rationem, atque illud supra caput facinorosi defigũt, (vt Pilatus titulum Christi) aut ex collo suspendunt, vt modo: de quo mihi videtur loqui Ieremias, *Vigilauit iugum iniquitatum mearum: in manu eius conuoluta sunt, & imposita collo meo.* Lex autem confessionis auricularis, iubet digitum imponere labello, obseruare os & dentes, & claudere signaculo, vt Alexander Ephestioni faciebat intimo amico, postquam dedit ipsi legendas litteras, quas à matre acceperat plenas accusationibus & calumniis contra se, dicens: *continebac & ne quid eorum effutias.* Quod secretum ac confessionis signaculum pariter de iure Diuino est, & pariter mandatum confitendi consequitur. Qui enim constituit aliquid, putatur etiam constituere ista sine quibus statutum stare non potest. Quis vero non videt impossibile confessionis vti sacramento, nisi peccata confessa perpetuo quasi tegerentur & sepelirentur silẽtio. Nimis odiosa, nimis periculosa foret confessio: quod igitur ibi dictum est, indictum est, aut dictum surdo. *Dixeris lapidi:* *Saluſt. orat. in Cic.* *Thren. 1.* *Plut. in Alex.*

*Tutus eas, lapis iste prius tua furta loquetur.* *Ouid. lib. 1. Met.*

Non solum peccata quæ confessus es mortalia, & venialia sub isto secura sunt signaculo: sed & circumstantiæ, & personæ (si quam forte contigerit nominari) quæ peccatis tuis participauerint, signa, indicia,

vniuersalia & particularia, & omne istud per quod peccatum aliquod directè vel indirectè, generaliter aut specialiter potest dici reuelatum: adeo vt nec propter Iudicem, nec Superiorem, nec Regem, nec Papam, nec vllam in terris potestatem, interrogatus de eis quæ per confessionem didicit Confessarius, etiam summo iubente Pontifice, quicquam possit reuelare sine pœnitentis venia. Potest negare quicquam scire; imo, si necesse est, iurare: quia non scit vt dicat, nec scit vt homo, sed vt Dei Vicarius: ne quidem post mortem. Imo extra confessionem postea pœnitenti de eo loqui, nisi ipso requirente & permittente, ad vlteriorem instructionem non potest: ô facilem legem!

D. August. Psal. ]O *homo quid times cõfiteri? Illud quod per confessionem scio, minus scio quam illud, quod nescio.*

Si ipsi defodissetis secreta vestra vt tonsor Regis Midæ in scrobem, non tam essent ibi secura, quam in aure sacerdotis. Crescentes enim cannæ hoc publicare possent; Sacerdos autem te accusare potest nũquam. Addo ad maiorem certitudinem, si quis Confessarius ita sui obliuisceretur, vt confessionem alicuius reuelaret, pœnitens sanctè iuuare potest per Deũ & omnia Sacramẽta, se nullum ipsi vnquam verbum dixisse. Pro se agere potest contra ipsum, vrgere, vocare in ius, qui punietur, deiectus ab officio, recludẽdus in arctissimum monasterium, vt ibi de rigore iuris perpetuam agat pœnitentiam. Quid vltra securitatis in confessione possimus optare? *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Vt Hippocrates taciturnitatem requirit in medico, sic Ecclesia in Confessario, sub pœnis grauissimis.

*Cap. Omnis vtriusq; sexus, de pœn. & remiss.*

Porro. Nunquid magnum beneficium est, quod ita excusemur quo minus loquamur Deo, cuius maiestas nimis terribilis? *Quis stabit ad videndum eum?* Vel propter nimiam eius sanctitatem, exiguitati nostræ concessum est agere cum nobis similibus, naturæ ac fragilitatis eiusdem, nonnunquam forte maioris. *Ne loquatur nobis Dominus*: sed Moses, interpres eius dicebant

bant filij Israel; putantes id magnum beneficium. S. Iohannes Chrysostomus etiam alicubi dicit hoc sic institutum, vt tanto fidentius peccata nostra eloqueremur in confessione: Pontifices ac Sacerdotes, qui confessiones audiunt, ideo sumptos ex hominibus, nõ ex Angelis. Si enim Angeli facti essent Sacerdotes, non subditi passionibus, quia carent corpore, tantis imperfectionibus edendi, bibendi, dormiendi, stimulis carnis, si illi inquam constituti essent Confessarij, Iudices, Vicarij Christi, pro iis qui peccatores sunt sicut nos; quid quæso fecissemus. Quantum horruissemus confessionem? quomodo ausi fuissemus Angelo turpitudines nostras eloqui, ebrietates, impudicitias? Deus bone, si illi ista diceremus, quomodo tussiret, fremeret, palleret, ad quodlibet verbum, quot crucibus se signaret, mirans & attonitus enormitate, diuersitate, nouitate, multitudine neque peccatorum nostrorum? Non diceremus dimidium, nimio stupore, qui reddit homines obliuiosos. Quasi lapides molares quatuor iunctis equis ad tribunal confessionis essemus pertrahendi: quanto magis si ipsi Deo corporaliter deberemus confiteri? Magnum igitur beneficium est, magnus stimulus, magnum adiumentum, ita nobis huius sacramenti vsum concedi, vt homines possimus agere cum hominibus. *Confitemini alterutrum peccata vestra.*

*Exod. 20. Cunctus populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinæ, mõtemque fumantem, & perterriti ac pauore percussi, steterunt procul dicentes Moysi: Loquere tu nobis & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. D. Chrys. li. de Sacerdotio. Iacob. 5.*

D. Augustin. in Psal.] *Cur confiteri erubescis peccata tua? peccator sum sicut & tu. Homo sum nihil humani à me alienum. Confitere homo homini: homo peccator, homini peccatori.*

O iugum suaue, onus leue, talis confessio! Insuper. Nonne maius leuamen est medico posse dicere quid nos torqueat, ac simul eius ea de re audire sententiam, videre, tangi, palpari manu ipsius, vt curemur, securos denique nos fieri illis expletis, & certos de sanitate, quam clamare medicinam, medicinam, ac nescire interim vtrũ medicus de morbo nostro cogitet, vtrũ attendat, non videre quid agat, quid det ad valetudinẽ, & ignorare suã curationẽ: in confessione

vero auriculari loquimur medico: videmus quid nobis medicus faciat, impositione manuū, manumissionē: audimus quid dicat, absolutionē, & verbum reconciliationis; & certi sumus, nisi per nos steterit, medicinas applicatas nobis reddidisse sanitatem, & signa operata esse quod significant. Si vero soli Deo cōfiteamur, totum inuisibile, totum incertum. O iterum *iugum meum suaue, & onus meum leue!*

*Luca 5.* Quātum ad hoc quod dictum est: *quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?*

Respondeo hominem non hic tantum ignoscere quantum in Baptismo, & tamen credimus eandem in ipso baptizāte potestatem; cur igitur negemus in audiente confessionem?

D. Ambros. lib. 1. de pœnit. c. 7.] *Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo vtique remissio omnium peccatorum est. Quid interest vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius sibi datum Sacerdotes vendicent? Vnum in vtroq; ministerium est.*

Idem ibid. cap. 2.] *Ecclesia seruat obedientiam, vt peccatum & alliget & relaxet.*

Non dicimus etiam quod illud habeat ex natura, sed ex gratia, & speciali priuilegio, ex Dei commissione, non per vsurpationem. *Munus Spiritus sancti est officium Sacerdotis*, ait S. Ambrosius. Deus pater authoritatem habet per naturam, Christus habet per excellentiam, Sacerdos vt minister & vicarius. Magnus Deus est qui Mosen *constituit Deum Pharaonis. Hoc honore condignus est quem Rex honorare decreuit.* Simplex sum Cordiger, Sacerdos simplex, ordinare non possum, nec sanctum Crisma consecrare, &c. sed per quē stet quod eras non dem ordines ante natiuitatem, & consecrem sanctum Crisma ante Pascha, & plane vt Episcopum me habeam; si Paulus Quintus Mecenas meus singularis, hodie me crearet ac benediceret Episcopum. Sic Christus Iesus, per suum *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, &c.* Per missionem sicut ipse missus est, per collationem clauium regni, ex piscatoribus & peccatorib. quasi paruos Deos

*D. Amb. lib. de pœn. ca. 2.*

*Exod. 7.*

fecit,

fecit, & constituit vt suo nomine diuinos actus exercerent, peccata ignoscerent, sicut Deus, authoritate accepta, vt Commissarij & Præsides. *Ego dixi Dij estis.* Psal. 81. Non auditis: non dicunt *Deus te absoluit*, sed, *ego te absoluo.* Non dicunt Deus tibi dimittit, sed ego tibi dimitto: sicut & in persona Christi consecrant dicētes, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*: non hoc est corpus, hoc est sanguis Christi.

S. Chrysost. hom. 60. ad pop. & 83. in Matth.] *Non sunt humanæ virtutis opera proposita: qui tunc ipsa fecit in illa cœna, idem ea nunc quoq; facit. Nos ministrorum tenemus locum: qui vero sanctificat ea & immutat ipse est.* Et paulò post. *Hæc est illa mensa, & minus nihil habet. Non enim illam Christus, hanc autem homo perficit, verum & hanc ipse quoq;.* Et paulò post. *Tu Laice cum Sacerdotem videris offerentem, ne vt Sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam.*

Sic etiam in confessione Sacerdotes, peccata dimittunt, soluunt vincula & ligamenta, aperiunt clauibus regiis portas cœli, & hæc cum tanta maiestate, cum tanta pompa, cum tanto splendore ac certitudine; ac si singuli Christus essent. Locum tenent Christi, *Pro Christo legatione fungimur*, inquit S. Paulus. 2. Cor. 5. Sed vere & inuisibiliter dimittit & sanctificat ipse Christus. Et conferunt idem beneficiū quod Christus quibusdam in hac vita; nonne Christus erat qui salutem domui Zachæi attulit? *Hodie salus huic domui facta est:* Luc. 19. nonne condonauit Magdalenę tot peccata? *Remittūtur ei peccata multa:* & qui iustificauit paralyticum? *Homo remittūtur tibi peccata tua:* & qui bono latroni Dismæ paradisum addixit? *Hodie mecū eris in paradiso*: & in confessione homines vt homines ignoscerēt & absoluerēt. Non: sed idem Christus, qui illos tum absoluit, absoluit & hos, mediāte Sacerdote. Quare (ô Laice) quando videris Sacerdotem leuantem manum, & imponentem tuo capiti, cogita manum esse Christi, inuisibiliter extēsam; cogita esse manum Dei, qui inscribit fronti animæ tuæ absolutionem tuam, eādem illam quæ in aula Balthasari Regis conscripsit pariē-

tem, (*Scribunt in marmore læsi.*) Sententiã ruinæ ipsius, & damnationis æternæ; & quando irrefragabilem illam audis pronuntiari sententiam, *ego te absoluo*, cogita Christum te audire loquentem, *qui vos audit, me audit.* Sacerdos Echo diuinæ vocis est.

Ioan. 1.] *Ego vox clamantis in deserto.*

Psal. 44.] *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis: An experimentum quæritis eius, qui loquitur in me Christus? Viuo ego* (loquor ego) *imo iam non ego, viuit vero* (& loquitur) *in me Christus: ego à me ipso non loquor. Est Deus in nobis: Agitante valescimus illo.*

D. Ambro. lib. 1. de pœnit. cap. 2.] *Vult Dominus plurimum posse discipulos suos, vult à seruis suis ea fieri in nomine suo quæ faciebat ipse positus in terris. Deniq; ait: Et maiora his facietis.*

D. Leo epist. 69. ad Theodor. Epis. Foroliu.] *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur humanæ; & qui regenerationis dona violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum peruenirent, sic diuinæ bonitatis præsidiis ordinatis, vt indulgentia Dei nisi supplicatione Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Iesus, hanc propositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & salubri satisfactione purgatos ad communionẽ Sacramentorum, per ianuam reconciliationis admitterẽt, cuius vtiq; operi ipse Saluator interuenit, nec vnquam ab his abest quæ Ministris exequenda commisit, dicens: ego vobiscum sum vsq; ad consummationẽ seculi, vt si quid per seruitutẽ nostram, bono ordine, & gratulando impletur affectu non ambigamus per Spiritum sanctum fuisse donatum.*

O mirabilem Sacerdotum potentiam, excellentiam, stupendam, propter quam minores te Deos videre putes.

*Quotq; aderant * mysta, rebar adesse Deos.*

* Quid. vates.

Cum Sacerdotes in mundo cõspexeris. Quid: hoccine ægre fertis, hoccine æmulamini, quod bonus Deus

Deus de tribu vestra ita quosdam honorauerit, vt eos faceret assessores suos? vice-Reges, vice-Deos, in vsum vestrum? *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Aut velles forte *cõmissum munus refundere*, (vt loquitur S. Ambrosius.) Non: sed hoc ægre ferimus quod non & nobis eadem facta sit potestas, quod nobis permissum non sit idem obire ministerium, vt rursum eorum audiamus confessiones, quibus sumus confessi, mulieres mulierum, viri virorum, vel promiscue, vt cuique luberet: maxime cum Christiani omnes, tam viri quam fœminæ Sacerdotes sint, vt nonnunquam accepimus, cum baptismo sacerdotij ius cuiuscunque status simus, adquisiuerimus.

*Matth. 20.*
*Amb. lib. de pœn. cap. 2.*

## III.

### *Cur Laici vnus alteri confiteri non possit, speciatim fœminis: & quid respondendum ad obiectiones contra confessionem auricularem.*

QVid? Ergone qui hæc dicitis Lutherizare vultis? (Lutherus enim inter reliquas insanias & hãc habuit) an vultis Abironizare? Abirõ enim cum coniuratis æquabat se Aaroni, & volebant omnes pares esse regni Franciæ; i. eiusdem potestatis Sacerdotalis. *Omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis Dominus:* sed admodum falso. Cur enim alioquin Deus Aaronem segregauit à populo, & vnxit speciatim in Sacerdotem? Cur olim puniti sunt qui sacerdotium inuaserunt, Core, Dathan & Abiron, descẽdentes viui in infernum? Saul spoliatus regno, propter vsurpatum inter cætera Samuelis officium?

*Num. 16.*

Ozias Rex percussus lepra, propter oblatum pro Sacerdotibus incensum. Pueri pastores imitantes cõsecrationẽ Sacerdotis in sacro, fulminati in vestigio. Cur S. Paulus per impositionem manuum Sacerdotes cõstituit, & Episcopos? Cur dicit in Ecclesia tantã esse ministeriorum diuersitatem? *Quosdam quidem posuit*

*Sophron. in prato spirit.*

*Deus*

*Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores.* Miseri homines, *nescitis quid petatis.* Velletis vos fœmininum sexum, qui natus est subesse viro, vobis reddere æqualem, imo superiorem si vos absolueret: fœminas consulere velletis in grauissimis negotiis, creaturis minime fidis maxima fideretis secreta, quæ vix viris, natura taciturnioribus concreditis, non sacerdotibus singulari dotatis silentij gratia, ad conseruationem tam salutaris sacramenti; adeo vt inter linguatos, leuiculos, garrulos, quales aliqui sunt, nunquam tamen audiamus confessionis sigillum violari. Vultis ex musca facere Elephantum, & ex tribus aut duobus peccatis facere quinquaginta? Dicite mulieri aliquid paruũ, & augebit: dicite pauca, & multiplicabit. Nescitis quosdam naturalibus artibus ex fœmina audire posse quicquid secreti nouerint, si verum est quod post Democritum docuit Plinius: si cito aliquid publicare vis, si omnibus secretum prodere, dic vni tantum fœminæ, hæc ipsa fama celerior est.

*Alphons. à Castro tit. Confess.*

*Illa malum, quo non aliud velocius vllum,*
*Mobilitate viget, viresq; adquirit eundo.*

Nunquam audistis totam Romam sciuisse statim, quod puer quidam coactus à matre, de decreto Senatus edixerat. Videte cur inter alia quidam putant Angelum potius resurrectionem reuelasse fœminis, quã Apostolis; quia sic citius fama dispergeretur. *Quocunque in triuio, cuicunq; est obuia narrat.* Nihil taceat, nec maxima quidem arcana.

*Iuuen. Sat. 6.*

*Quod tamen ad cantum galli facit, ille secundi*
*Proximus ante diem caupo sciet.*

Nulli dissimiliores sunt fœminæ, quam Deæ Engeronæ, cui os claue clausum Romæ pingebatur: ac fœmellis auium plane dispares; quæ nec cantant, nec garriunt, inquit Aristoteles. Adeo vt aucupes masculos seligant, quos verba cantumque doceant fœmellis pene indocilibus. Mulieres enim totos dies garriunt, & nihil habent in corpore mobilius lingua, effracta sunt sepimenta. *Plenus rimarum sum, hac illac perfluo,*

*perfluo*, dicere posset iste sexus. Sufficiunt tres fœminæ ad implendum forum. Peccata igitur vestra egregie essent secura sub talibus sacerdotibus, quales cum Luthero imaginamini, lasciuiæ ipsis tacentibus vos accusarent; ac quamuis ipsæ infoderent terræ, altisq; scrobibus, vt quondam tonsor Mydæ Regis Lydiæ, arundines puto & calami inde surgerent, qui nihil aliud quam vestra peccata cantarent, & infamia, crassaque facinora fabularentur. Ad minimam contentionem recitarent vobis vxores vestræ voce alta, ad longum, vestrum contextum. Nunquã audistis quod quidam iturus ad confessionem, semper prius verberabat vxorem: cumque rogabat vicinus, cur hoc faceret, lepidum dedit responsum; quia cum ad confessionem iturus sum, vix dimidium reminiscor quid egerim, cumque bene delumbauerim vxorem, illa statim mihi ingerit quicquid toto anno, imo tota vita egerim, quæ nunquam alias recordarer. Quid ergo non dicerent vestræ vxores, quid non improperarent vestræ sacerdotes, si (vt vult Lutherus) vestras aliquã do audissent confessiones? Echo natura tam vocalis, septies repeteret quod audisset semel, vt Porticus ad montem Olympi, imo duodecies vt ille de Charenton Parisiis. Quid ageretis? aliter profecto adorandæ essent quàm modo, aliter essent imperiosæ, aliter heriles, quàm sint modo.

*Plutar. li. de Garrul.*
*Plin. lib. 36. cap. 15.*

*Carus erit Verri qui Verrem tempore quo vult*
*Accusare potest*, ait Satyricus.

Contemnerent vos, amarent minus. *Vix amare potest, qui turpium conscius est alteri.*

*Certe minoris facit, nimirum habens telum, quo confessum perdat ac terreat.*

Nihil inueniretis in illis quam zelotypias, centum aperirent oculos, vt Argus in vestra opera; si confiteremini osculum, mille præsupponerent alia. Si iam quidam mariti sub ipsarum sunt ferula, tum plane martyres essent sub ipsarum tyrannide.

Nec multo meliori loco essent mulieres si omnes viri essent Sacerdotes, vt vult Lutherus, si vxorũ suarum

rum essent confessarij. O quam dura esset vobis sententia S. Iacobi, *confitemini alterutrum peccata vestra:* reciprocè, vt vult Caluinus. Si ibi præcepta esset coiugatis mutua cõfessio, vter prior inciperet: prior cogitaret, si ego incipio mouere tædiũ matrimonij, alter nihil cogitabit nisi de diuortio, dabo alteri ansam vindicandi, & retaliandi: quam primum coniugum alter discreparet nonnihil in disponenda re domestica, putaret statim alter esse ex confessionis memoria; euntes, venientes, viri omnes suspecti essent marito, fœminæ vxori, vterque sederet plenus suspicionibus vsque ad aures, esset amicitia insincera inter confessum & auditorem.

*Iacob. 5.*
*Calu. lib. 3. Instit. cap. 4. §. 6.*

Eadem denique vallis huius miseriarum, paradisus terrestris matrimonij fieret infernus. Etsi modo tanta difficultate acceditur ad Confessarium secretum, quem sibi quisque deligit, nunquã visum, ignotum, cum quo forte nunquam postea versabitur, tectus, velatus, personatus si necesse est, vt ita integre casus suos explicet, si inquam modo adhuc quatuor prope equis opus est, vt protrahãtur ad confessionẽ, ac forcipibus vt singula ex faucibus extrahantur verba, vt totum confiteantur; Deus bone quomodo mulieres inducerentur ad confitendum viro, viri vxoribus, filij parentibus; forte vix inuenirentur qui cum tali onere matrimonium inirent. Relinquamus igitur ordinem quem inuenimus, mundum vt constitutus est, id est, submittamus nos veris Sacerdotibus, vt statuit Deus, & Ecclesia seruat; iugum enim hoc dulcius est, quam ipsi possitis fingere.

Sed cur non Laici Laicis, viri viris, fœminæ fœminis? Cur Sacerdotes vtriusque sexus sciunt omnia, Laici vero scient nihil ista via de Sacerdotibus? Quid scio, quare hæc, nisi quia ita Deo placuit summo Domino. *A Domino factum est istud & est mirabile in oculis nostris.*

*Psal. 117.*

Quærite sic etiam cur in lege Mosaica voluerit Deus vt soli Sacerdotes de corporis iudicarent lepra, &

ipse

& ipse in carne idem seruans dixerit, *ite ostendite vos Sacerdotibus.* Quærite similiter cur noluerit vt alij Sacerdotes quam vncti de tribu Aaron offerrent sacrificia ? cur solus summus Sacerdos intraret sancta Sanctorum ? Quærite ex ipso cur in lege Euangelica noluerit à fœminis consecrari corpus suum & sanguinem in Altari? non à matre quæ decus erat totius humani generis, non etiam ab Angelis ? Quærite cur mulieres in matrimonio subiecerit viris ? Quærite cur voluerit Imperatores, Reges, Principes esse supra omnes, qui toti mundo leges ponant, quasi Dij terrestres. *Imposuisti homines super capita nostra.* Mille alia inueniri possent quæ Deus mandauit, vbi sola voluntas eius pro ratione adferri potest. *Luca 17.* *Psal. 65.*

*Hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.* *Iuuen. Sat. 6.*

Sic Sacerdotes agant, sic pœnitentes.

Possum nihilominus dicere sic institutum, quia illa cura spectat proprie ad salutem animæ æternam, quę magis conuenit Sacerdotibus, & hominibus spiritualibus, quam Laicis mundo implicatis.

*Tractant fabrilia fabri.*

Item; magis hoc pertinere ad eos, qui potestatem habent super corpus Christi verum, consecrandi scilicet & dispẽsandi, & proinde super mysticum, nimirum Ecclesiam, quam ad eos qui nullam super prius habent actionem.

Item; vt Sacerdotiũ maneret in honore, quod fortasse cum iræ diuinę periculo vilesceret, si Sacerdotes vicissim cõfiterentur Laicis. Omnibus Dominus honorem vult reddi, atque ideo in recta linea prohibet matrimonia, ne filij minus illa ratione honorent parẽtes, & auos. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem:* quia etiam actus matrimoniales verecundiam habent & erubescentiam.

Item; quia auricularis confessio non solum est forũ clemẽs ad remissionem peccati, sed etiam ad cõsultationem; oraculum inde petitur per compassionem & consolationem mutuam, etiam iuxta Caluinum & Erasmum. Qui enim per ætatẽ aut simplicitatẽ & ignorantiam *Caluin. li. 3. Inst. c. 4. §. 6.*

rantiam defectus suos non intelligunt, iudicantes erronee nonnunquam peccatum non esse quod mortale est, aut mortale esse quod solum veniale est, & leuissimum; aut si morbum intelligant, modum non habent expediendi se, & exeundi de labyrintho, possent à Confessario habere subsidium.

Nemo autem præsupponitur melius iudicare inter lepram & lepram, melius versatus in casibus, quam sacerdotes quibus hoc mandatum est. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Quibus plus otij, exoneratis à fœmina, à pueris viuentibus de publico, manducantibus peccata populi: partim propter sacrificia, partim propter preces, &c. *Dixit Dominus ad Aaron: Tu & filij tui, & domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem Sanctuarij: & tu & filij tui simul sustinebitis peccata sacerdotij vestri.*

*Malach.2.*

*Num.18.*

Melius versati dico laicis, intricatis, inuolutis curis seculi, Reipublicæ vxoriæ, & filiorum, &c. & quia (præter remissionem) iudicabunt melius de casibus conscientiæ quam laici, tam de iis quę iam acciderũt, quam de iis quæ accidere possunt, de quibus per indicia quædam præsagiunt, meliora dabunt consilia & præseruatiua, velut medici medicamenta, aut defensiua contra hostem venientem arma, qui animæ statum nititur subuertere: & ideo monasteriis quibusdam legimus fuisse decretum, vt iuniores Monachi statim diligentissimè cogitationes suas indicarẽt superioribus, ne de se vllum præsumerent iudicium, ne vlla in re sibi crederent, sed seniorum regerentur consilio: sperantes hac ratione cogitationes malas non nascituras, nec incertas decepturas, vt sic nullus daretur locus hostili fraudi.

Certe magnus Antonius, vt S. Athanasius refert, dicebat viam ad virtutẽ esse regiam, si quis bene, quid agat, expendat, aut fratribus animæ cogitata indicet. Et S. Ludouicus Galliæ Rex probabat idem, suadens primogenito filio confessarium eligere idoneum, virum probum, qui quid sequi, quid fugere deberet, ostenderet.

*D. Athanas. in vita eius.*

O quot

O quot paruuli Monachi hac ratione seruati sunt, alij ab apostasia, alij à crimine? quot scrupulosæ ac fluctuantes conscientiæ hac ratione in tranquillitatem & quietem restitutæ sunt?

Insuper, vt Confessarius fratrum infirmitatem noscens, pro illis oret. Tenet idem nobiscum Caluinus. Cui autem magis proprium orare quam Sacerdotibus, qui isti rei vacant, & obligãtur, & Laicis sanctiores sunt? Satius igitur Laicos confiteri Sacerdotibus, quam Sacerdotes & Laicos Laicis. Quoad fœminas, etiam Deus ipsis hoc non dedit officium, vt tanto magis honoraret sexum in quo incarnatus est, ne antiquum euerteret decretum, *sub viri potestate eris*: ne hac ratione dominaretur in virum vicissim per confessionem.

*Caluin. vbi supra.*

*Genes 3.*

Item vt istum sexum contineret in humilitate, qui nos ambitu suo, Deo similes esse volens, & nimia bonum & malum sciendi cupiditate, omnes infecit. Nullum enim efficacius medium, ad retundenda animæ contra Deum se erigentis cornua, quam facere vt omnes suos defectus, malas cogitationes, quantumcunque verecundas, illi confiteatur sexui, cui studuit dominari: & hoc tam suppliciter ad genua, vt absolutionem recipiant. Quæ res arrogantibus adeo intolerabilis est, vt huc vsque Lucifer cum sociis nunquam ad ignoscendum peccatum induci potuerit, nec vnquam inducendus sit: quia actus ille nimis abiectæ humilitatis est, quam vt illum exercere possit: vt liberè de S. Macario loquens aliquando fassus sit, ieiunio, vigiliis, aliisque rebus se facile fore superiorem, humilitate vero sola victurum Macarium: quia hoc est Deo reddere gloriam, qui solus per illa iustificat, & agnoscere gratiæ & misericordiæ eius indigẽtiam. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere*: indica quid feceris, nihil celes, dicebat Iosue ad Achan, vt ad furti confessionem ipsum induceret. Et Regius Propheta ait. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, cum iudicaris.*

*Iosue 7.*

*Psal. 50.*

Rom. 11.] *Conclusit Deus omnia in incredulitate, vt*

*omnium misereatur.* Et Deus punit peccata pœnis ferè è diametro contrariis: vt Prodigi gulam fame, arrogantes, abiectione, vt sicut contra ia hominem arrogarunt à Deo, sic contraria iterum ad Deum compellant. Non etiam erat cõueniens vt mulier confessiones audiret, ne sic obtinuisse videretur à Deo quod peccãs intẽdit, similis sc. esset altissimo. *Eritis sicut Dij:* Similitudinem etiam scientiæ *scientes bonum & malũ.* Ex confessione enim, bona discuntur & mala. Quod multi etiam Sacerdotes docti, qui multas cognoscere potuerunt ex omnium librorum lectione nequitias, testari possent, se nunquam cogitasse ea inter homines inueniri peccata, quæ ex hominũ confessione discunt: ac ideo in transitu dico, benefacere illos qui neminem nisi ætate & prudentia prouectum, in bono constantẽ, confessionibus audiendis admouent, quia istarum rerũ auditu, ipsi aliquando implicari possent.

*Genes. 3.*

Audiui nonnunquam de quodam patre ex nostris, fama & forte reuera Sancto qui magnus fuerat Confessarius. Hic summopere dolebat in extremis, quod tãtopere se dedisset audiẽdis cõfessionibus. Non opinor quidẽ tale quid ipsi euenisse, quale Caluinus & alij referunt, de Diacono Constantinopolitano cum fœmina, tẽporibus Nectarij, aut q̃ narratur de Alberto quodã & Elisa Quirina Veneta: (quis enim credat) sed forte quod prodigiosæ imagines, quas sæpe ex cõfessionis officio audire debebat, volẽti nolẽti redirẽt in memoriã, sicut non omnia statim obliuisci possumus quæ volumus; iuxta id quod Themistocles Simonidi respondebat, venditanti memoriam.

*Calu. lib. 3. Instit. cap. 4. §. 7.*

Faxit Deus ne iuniores ad illa & ad Sacerdotia nimium se ingerant; sed cum timore accedant, vocati à Deo, & superioribus sicut Aaron, necessitate potius & charitate compulsi, *charitas Christi vrget nos,* quã voluntate & cupiditate sua. Periculum facile est iuueni centum & centum audire Magdalenas, nihil loquentes quã ignem & flammas. *Ferreas mentes libido domat.*

*2. Cor. 5. D. Hieron.*

*Corrumpunt bonos mores colloquia praua.*

Quid *Admonitu recreatur amor.*

Verba

Verba & narrationes rerum impudicarū ſuum ſecū ignem adferunt. Ignis in corda tam per aures quam per oculos ingreditur, animæ humanæ tam ſentiunt muſcas aurium, & aculeos verborū, quam oculorum ſpectacula.

Graue fuerit viro iuueni meretrices audire, nihil fere quam carnis peccata loquētes; idque aliquando (adeo honeſtæ nonnullæ ſunt) propriis ſcholæ & artis ipſarum terminis; quamuis nihil dubitemus Chriſtum Sacramenti huius authorē, miniſtrorum iuuare caſtitatem. Vt igitur ad rem redeam, neutiquam conuenit mulieres præſidere confeſſionibus, ne ſciendi bonum & malum curioſitas ipſis augeatur, & ſi periculū ſit viris tot audire peccatorū monſtra, nō minus erit fœminis ſexui fragiliori. Secūdo non cōuenit dari ipſis affectatam illam poteſtatem, vt ſint ſicut Dij ſedentes in throno iudiciario, dimittentes peccata. (*Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus*) ſed magis viro, qui vana iſta promiſſione non eſt deceptus. *Adam non eſt ſeductus*, ſed nimium vxori ſe accommodans, cōdeſcendit: ideoque ad excuſationem non adfert, *mulier decepit me*: ſed, *mulier dedit mihi de ligno*: mulier vero dicit: *ſerpens decepit me*: quæ Diuinam affectauit potentiam, habere eam non debuit; melius datur ei qui de illa non cogitauit. Atque ideo Chriſtus excellentiam hanc tradidit viro. Quid? *Mulierem in Eccleſia docere non permitto*, inquit S. Paulus. Vnde Aurea Virgo Abbatiſſa Pariſiis quod Diacono, male cantanti Euangelium, detraxiſſet ſtolam, & ipſa ea infulata Diaconi impleuiſſet officium, prælatura excidit, & pœnitentiam egit plus quam virilem. Imo Eccleſia non permittit vt ſacro ſeruiant, & reſpondeant Sacerdoti.

*Marc. 2.*

*Geneſ. 4.*

*1. Cor. 14.*

*M. Marul. l. 4. c. 10. ex Audueno in vita Eligij.*

Item; vt fœmina quemadmodū cognoſcit ſe à viro proceſſiſſe ſecundum carnem, ſic etiam cognoſcat regenerationem ſuam ſecundum animam, per Sacramenta, inde proficiſci: vt viris plus accedat maieſtatis, & plus reuerentiæ; ac Deo ſint gratiores, qui ipſos ad iſtam celſitudinem præ mulieribus

euexit. Quamuis non minus, imo grauius præ fœminis deliquerint, tanquam sapientiores, & qui audierint legem Dei ore promulgari, mulier forte instructione tantum & narratione mariti. Non tamen nego fœminam aliquando fœminæ peccata quædam confiteri posse: non vt remissionem ab illa accipiat sacramentaliter, sed vt consilia quædam, consolationem, preces ad veniam præteritorum, ad cautelam futurorum. Sunt enim & mulieres aliquando quæ consilio valeant, & ille sexus facilius compatitur. (*Mulier quasi mollier aut mollis aer: mulier quasi molliens herum*:) Facile consolantur, & natura admodum sunt religiosæ, & deuotæ, nonnullæ ad superstitionem vsque (*Ora pro deuoto fœmineo sexu*) vt efficaciter pro peccatoribus Deum orent.

Lamech vix Cainum occiderat, quin statim id Adæ & Sellæ vxoribus suis duabus confiteretur. *Audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meũ, quoniam occidi virum in vulnus meum & adolescentulum in liuorem meum.* Genes. 4.

Credibile etiam S. Petrum post abnegationem magistri, exeuntem de domo Pontificis, iuisse ad B. Virginem, dixisse Peccatum, quæsisse consilium, consolationes, preces; verisimile additum ipsi ab ea animum, erectam spem misericordię, procuratam intercessionibus, forte alioquin nõ minus perituro quam Iudas: Proculdubio ipsa fuit Apostolis quasi secundus & visibilis Paracletus, doctrix eorum, ipsorum bibliotheca, solatium, mediatrix, ac refugium. Luna ipsis erat in media afflictionum nocte, stella maris ipsis erat in tempestate; arca fœderis in medio exercitu, quæ erigebantur ad omnem pugnam.

S. Ignatius, Ep. ad D. Ioannem in Asia cõstitutum.] *Quidam alij noti referunt Mariam matrem Iesu omnium gratiarum abundantiam habere. Hinc illam esse in tribulationibus & persecutionibus hilarem, in penuriis & indigentia minime querulam, & iniuriantibus gratias agentem: deniq; molestata lætatur, miseris & afflictis coafflicta.*

Nunquam legistis de quodam, temporibus S. Basilij,

filij, qui peccatum suum mulieri confessus, inuenit medium rescindendi malum cum Diabolo contractum, subscriptum & signatum, opera S. Basilij. Historia mirabilis est. *In vitis P. P.*

Quidam Phanias seruus Prorerij, heri sui filiam perditè amans, cum desperaret consequi posse quod cupiebat, consuluit magos & diuinos. Responderunt dæmones, potiturum cupita, si dimisso Christo, seruiret Diabolo. Consentiens dictis, dedit chirographum, & sic duxit illam quam amabat. Postea verò aduertens mulier ipsum parum Christiane viuere, non orare, non visitare Ecclesias, non formare cruces, & examinans curiosius rem omnem perdidicit; petens remedia, rem totam enarrauit S. Basilio. Tum S. Basilius vocatum Phaniam hortatus est redire vnde tam infœliciter ceciderat; credere, confidere in Domino; cumque persuasisset, detinuit apud se, & cæpit orare. Et post ieiunium duodecim dierum, interea multis Diaboli repercussis assultibus, eduxit eum foras, vt mundaret & reconciliaret eum Ecclesiæ. Ibi præsente Clero, & omni populo, auditi sunt terribiles Diabolorum fremitus, eiulationes, lamenta, contra S. Basilium, raptorem quasi alieni seruuli. Ad mãdatum tamen S. Basilij inuiti reddidere chirographũ misero homini: quo lacerato apparuit Phanias habere veniam criminis, & sic saluatus est vir infidelis, per mulierem fidelem. Talis confessio aut communicatio viri & fœminę, ad talem finem, laudabilis est. Mulieris etiam cum muliere, vt Dido Regina Carthaginis sorori suæ. *Sur. tom. 1. in vit. Basil.* *1. Cor. 7.*

Anna (*Fatebor enim*) *miseri post fata Sichæi,*
*Coniugis & sparsos fraterna cæde penateis.*
*Solus hic inflexit sensus, animumq; labantem.*
*Impulit*, inquit illa. *Virg. 4. Æn.*

Quis dubitet quin ad inueniendum consilium? Confiteri etiam possit vir vxori, vxor marito, vt post familiares iras redeant in gratiam.

Ita quilibet offenso proximo, vt petat veniam; & forte sic intelligendum illud S. Iacobi *Confitemini al-* *Iacob. 5.*

*ter utrum peccata vestra, & orate pro invicem vt saluemini.* Nonne de eadem confessione loquitur Christus, suadens reconciliari fratri, si ad altare quis recordatus fuerit, fratrem habere aliquid contra se. Item cum dixit: *Non occidat Sol super iracundiam vestram.* De eadem confessione locutum arbitror Abbatem Agathonem, qui gloriabatur nunquã se obdormisse, nisi sopita primum Cholera, & reducta serenitate si aut offensus esset, aut offendisset quempiam quod nulla ratione facilius fit, quam humiliagnitione peccati. Pulchræ & laudatæ confessiones, & quandoq; necessariæ sed morales duntaxat, non sacramentales; quales hæ, de quibus loquimur. Hæc satis contra æmulos potestatis sacerdotalis. Respondeamus iam ad obiecta, contra confessionem auricularem. Negamus itaque neminem teneri corporis defectus ostendere alteri: Quis enim ignorat morbos pro sanitate aperiri Medicis?

*Ephes. 4.*
*In vitis P. P.*

*Stultorum incurata malus pudor vlcera celat.*

Si igitur corporis vulnera tali casu exhibẽtur, multo magis animæ. Altera ratio nulla est; etsi enim melius sciant quam Confessarius, qua voluptate peccarint, propter philautiam tamen qua quisque se amat suspectum est cuiuslibet de se iudicium. Iustius igitur taxat sati-factionem Confessarius, qui extra passionem est. Dein etiam delectatio aperienda est Confessario, quam ex offensa cœpimus, & sic non procedat ratio decima.

Quẽtum ad authoritates sanctorum Patrũ, citatas in contrarium. Respondeo primo, ad S. Ambrosium cum D. Richardo. Multa facta esse quæ scripta non sint, tam à S. Petro, quam à Christo. Dein argumentum ab authoritate negata non valet plus contra veritatem, quam arundo contra incudem. Etsi quid inferat contra aliquam pœnitentiæ Catholicæ partem; non tamen esset contra ipsam confessionem, sed satisfactionem. *Satisfactionem non lego* (inquit ille) *non autem, Confessionem non lego.* Porro melius; non accipit satisfactionem pro laboriosis & penalibus operi-

operibus, quibus peccator peccatum suum compensat, sed pro peccati defensa, sicut nos satisfactum nobis dicimus, cum quis se legitime purgauit, ab eo in quo videbatur deliquisse. Quam satisfactionem vere S. Ambros. nunquam legit, quia S. Petrus se nunquam defendit, excusauit & litigauit pro peccato suo, sed confessus est, & deplorauit semper. Hanc autem esse S. Ambrosij mentem declarant quæ sequuntur: *Recte plane Petrus fleuit, & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari: & quod defendi non potest, ablui potest.*

Et sic S. Ambrosius nihil contra confectionem & satisfactionem dicit: quin potius vtramque affirmat. Quantum ad alteram authoritatem, quæ tantum tribuit lacrymis, & verba S. Chrysostomi quę permittunt non aperire hominibus peccata, intelligenda sunt iuxta indulgẽtiam, vt non aliter confitẽatur quam auriculariter, condonata nimirum confessione publica. Clarum est ex sequentibus; dicit enim, non dico vt aperias homini, qui tibi postmodum improperet. Nã auriculariter solum confitens, nullum incurrere potest opprobrium, propter sigillum confessionis secretum.

Citata ex Laurentio magnam habent difficultatem, videtur mihi tamen loqui de sufficientia contritionis; quæ deficiente sacerdotis copia, saluare nos potest, quia baptizati sumus, sine confessione. *Non quæras sacerdotem, cum necessitas flagitauerit*: non significat, noli vti sacerdote, vt confitearis, cum peccatum mortale incurreris: sed potius quia iam baptizatus es ne nimiũ dolenter feras non fuisse tibi ad manum sacerdotem, cum eius facultatem extrema quædam necessitas interceperit: poterit enim tum vtpote baptizatũ te saluare contritio. Alioquin secum pugnaret sententia; si enim necessarium est quærere Sacerdotem, quomodo suadet non quærere? Dein vbi dicit. *Non opus habes Doctore, non dextra Sacerdotis*: legi mihi posse videtur pro Doctore, lotore vt sensus sit, non opus habes rebaptizari;

quod verum est, & sic nihil contra nos facit. Deinde vereor illum Laurētij tractatum spurium esse, & suppositum, & falso illi à modernis authoribus attributum, vt videantur habere antiquiores quosdam Doctores pro se, confessionem negantes. Gesnerus eius non meminit. Et quamuis opus esset Laurentij ipsius prætensi, ipseque negarit auricularis confessionis necessitatem, non tanti eius est authoritas vt solus communi tot Sanctorum consensui debeat præponderare. Videte eundem quem cum reliquis supra citauimus Origenem, hom. 2. in Leuit. vbi paucis verbis satisfacit, ac rem plane expedit.

*Con. Gesn. in biblioth.*

Restat igitur vt nos Catholici, credamus eam esse necessariam, ac imitemur Prodigum, proponentes cōfiteri quamprimum sentimus nos incidisse in peccatum. *Ibo ad patrem meum, & dicam ei, pater peccaui, &c.* Studeamus cum ipso præconcipere quid dicturi simus, & quomodo: non extenuare peccata, sed magnitudinem eorū explicare. *Peccaui in cœlum*, inquit, *& coram te*: Quæ in cœlum vindictam clamant, aut si in vnum corpus cumularentur, ad cœlum vsque surgerent. (Hoc tam late quam proposui propter breuitatem temporis explicare non licet, fiet forte anno sequenti) nec tantum proponere debemus enuntiare peccata, sed etiam statuere, satisfactioni & sententiæ Iudicis nos submittere, vt facit ipse dicens: *fac me sicut vnum de mercenariis tuis*. Nec proponenda hæc tantum, sed & in opus deducenda, & quamprimum: & *surgens venit ad patrem*. Cur enim subterfugere volumus confessionem, & accusari potius in extremo iudicij die, & infamari à Diabolis, quam iam deposita in aurem Sacerdotis peccata, eradere & delere? Quid ita erubescimus hominem, & adeo sine fronte diuinos offendimus oculos? quid prodest celare hominē, quæ Deus nouit? quorsum tam diu secretarij volumus esse Diaboli? Ad confessionem, ad confessionem igitur, dilectissimi, voluntariam, secretam, vtilem, nisi velimus nos exponere periculo confitendi per vim publicè, coram toto mundo amicis, inimicis, hominibus,

nibus, Angelis, sine vllo fructu. Quis daret optionem vobis confitendi in aurem, aut, vt in primitiua Ecclesia, toti huic multitudini; nonne malletis in aurem meam? quis dubitet? Sed quid hic cœtus, ad omnium hominum multitudinem in extremo iudicio cõgregatorum?

Insuper hic coram omnibus confitens, etsi admodum foret verecundum, non esset tamen sine absolutionis fructu: in die vero iudicij, infinito maior erit confusio, nulla tamen peccati remissio. Vtamur itaque tempore oportuno, vbi erubescentia minor, confessione auriculari Sacerdotis, consequuturi nihilominus certum remissionis fructum.

Deus omnibus nobis eam concedat gratiam.
Amen.

# CONCIO XXIV.

**Græca.** 10. Ετι δὲ αὐτοῦ μακρὰν ἀπέχοντος, εἶδεν αὐτὸν ὁ πατὴρ αὐτοῦ καὶ ἐσπλαγχνίσθη, καὶ δραμὼν ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ κατεφίλησεν αὐτόν. (μέχρι τοῦ) καὶ ἀπολωλὼς ἦν, καὶ εὑρέθη.

**Vulgata.** 10. *Cum autẽ adhuc longè esset, vidit illum Pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum* (vsque ad) *perierat & inuentus est.*

**Syriaca.** 10. *Quumq; adhuc longè esset, vidit eum Pater ipsius, & misertus est eius: & accurrẽs incidit in collum eius, & eum deosculatus est* (vsque ad) *perierat & inuentus est.*

## ARGVMENTVM.

*Dicemus hodie*

1. *Quod pater Prodigi benignissimus fuerit, idq; in Prodigum pluribus ostenderit modis.*
2. *Quod tãta patris illius clementia immensam Dei repræsentat misericordiam in pœnitentes.*
3. *Bonum esse si Reges, & superiores omnes paternam clementiam istam imitentur.*

## AVE MARIA.

### I.

*Quod Pater Prodigi benignissimus fuerit, idq; in Prodigum pluribus ostenderit modis.*

SI sacras & prophanas, nouas & veteres lustrantes historias, misericordis patris perfectam quæreremus formam, imo si omnes in patre vno nobis fingeremus dulcedines, quas possemus imaginari, meliorem hoc Prodigi patre comminisci vt arbitror non possemus. In ipso enim quasi exiguo schemate, omnia boni patris

expressa

expressa sunt. (Θεάνθρωπος Christus eum nobis talem depinxit, vt nobis hac ratione figuraret immensam bonitatem seruatoris.) Prodige quam fortunatus es, tam bono patre? Patre quem filij amor quasi cæcauerat, patre quasi philtris fascinato, amante non secus ac Pandoram quandam gratiosam, quæ horreri possent, &parũ certe erant gratiosa. Talis te decebat post vitam tam indecẽter transactam, qui ita tuis facinoribus conniueret, & dissimularet: talis te decebat amore ebrius, cum velles tãtis volutari in criminibus; qui tibi statim ignosceret, statim tecum rediret in gratiam, ac omnem exhiberet humanitatem quam amicus amicissimo præstare posset; imo quam amãs dilectæ, quam sponsus sponsæ *Quum longe adhuc esset, vidit eum pater & accurrens*: statim vt te accessit, ruit in collum, amplexatus est brachiis, strinxit quasi adamantinis catenis, *& osculatus est eum*: induit te statim veste honestissima, serica, damascena vel meliori ex vestiaria theca: *cito proferte stolam primam, & induite eum*, annulauit digitos, *date annulũ in manu eius*. Calceauit pedes, *date & calceamẽta in pedes eius*. Et si quid in grege bene pastum tibi cæsum est, *occidite vitulum saginatum*. Sonabant tubæ, pulsabantur citharæ, audiebantur fides, in reditu tuo velut in nuptiis, *audiuit frater symphoniam & chorum*. Nec amicus fuit qui non illuc sequeretur, *manducemus, epulemur: epulari, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit, &c.*

Quis pater, dilectissimi, quis pater? quid faceret amplius sponsus sponsæ? sed ostendamus paulò largius, quomodo pater suam declarauit bonitatem.

Prima bonitas eius est, quod tam cito ignoscat: inde enim Deum nostrum bonum appellamus. *Deus optimus maximus: Deus indulgentiarum Dominus: Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde*: inde de Mose dictum est. *Erat Moses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* Inde Dauid tantopere laudatus est. *Memento Domine Dauid & omnis* *Psal. 72.* *Num. 12.*

*Psal.* 131. *& omnis mansuetudinis eius.* Inde Reges Israel celebrati sunt. *Reges domus Israel clementes sunt.* Inde homines
3. *Reg.* 20. Deo se similes reddunt, in isto enim maxime voluit
*Matt.* 11. & 18. Christus vt referremus patrem. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Inde est quod accessum habeamus ad thronum gratiæ. *Sic pater meus cœlestis faciet vobis, si non dimiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris: Dimittite & dimittemini. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Pater autem hic quantum condonauit Prodigo? omnium bonorum dispendium. *Ibi dissipauit substantiam suam.* & hoc vnum.

Insolentiam suam quam fecerat, adeo militariter loquens, & quasi pugione succinctus, compellens dare partem hæreditatis. *Da mihi portionem substãtiæ quæ me contingit*, & hoc secundum.

Et mille alias immodestias, ante istam extremam, & hoc tertium.

Contumeliam quam ipsi fecerat, toti familiæ, ac maioribus & patriæ, vitę suæ nequitia, *Dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.* Quod frater ipsius clarius turpiusque exprimit *cum meretricibus*, quasi pater ad ista educasset filium, aut dedisset exempla, quasi grauiter peccasset in Rempublicam tale progenerans mõstrum, quasi Respublica talibus constaret.

*Cic. resp. in Salust.* *Tu tuis, vitâ, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras: vt etiam si fuerint egregij ciues, certè venerint in obliuionem.* (Et post multa:) *Pater si nunquam in vita sua peccauit, tamẽ maiorem iniuriam Reip. facere non potuit, quàm quod talem filium genuit*, dici posset de ipso ac eius patre, & hoc quartum.

Seruitium abiectissimum, & vilissimam mendicitatem, porcorum custodiam, post res decoctas, cum debuisset (vt putant nobiles) quærere & tractare arma, noua parere media, aut ibi in honoris strato occumbere honesto vulnere in vultu aut pectore, arma ta iacens in campo dextra. Toti fecit iniuriam nobilitati, quod ad porcorum curam se proiecerit, ideoque.

que dicit. *Iam non sum dignus vocari filius tuus*, & hoc quintum.

*Quanta sunt in vno facinore crimina!* Et tamen pater ipsi ignouit omnia. Nonne igitur egregiè misericors pater? Imo vero condonauit totum. Sed quomodo? melius quam vllus vnquam homo: condonauit enim cito. Hic vel iste pater aut dominus ignoscet, sed multo post tempore, admodum tardè, post multas preces. Dauid Absoloni ignouit cædem fratris Amnon, sed tribus circiter annis post exilium, sed post interceſſiones parabolicas fœminæ Thecuitis, & Ioab magistri militiæ. Ille ignoscit: sed cum inimicus animam agit moribundus, & mandit exeuntem spiritum dentibus. II. 2. Reg. 13.

*Fit tardè magni Cæsaris ira senex.* Ouid.

*Quidã plumbeas iras gerunt: Quadraginta annis offensus fui generationi huic.* Plaut.

Hic vero pater ignoscit statim, cum filium eminus conspexerit, *Cum adhuc longe esset, vidit eum Pater, & misericordia motus &c.* Cholera ipsius deferbuit, ira contra filium decanduit, stipula tantum erat & palea, simul ardens simul periens.

*Flammaq; de stipula nostra breuisq; fuit.* Ouid.

Quod in patre admodum laudabile, inquit S. Gregorius Nazianzenus. Et non solum ad primam petitionem, sed etiam ante salutationem, & excusationẽ quamlibet, non rogatus veniam. Non enim expectat filium in throno, non in maiestatis sede, in cubiculo, vt ignoscat postquam humillime prostratus ad pedes, osculatus terram, dixit culpam, amplexatus est genua, osculatus manum, tetigit barbam, obsecrauit gratiam, obtulit satisfactionem, neutiquam: sed antequam filius vlla adhiberet blandimenta, aperiret os, & hæc verba diceret: *Iam non sum dignus, &c. Fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* D. Greg. Nazianz epist. ad Vitalian. III.

Nos videmur nobis admodũ misericordes & perfecti, si veniam alicui demus post supplices obtestationes, & adgeniculationes. Quid? videtur filio habere opus, prior adcurrit, prior amplexatur; qui alterius opera indiget, eam roget dicimus communiter. Insuper IV.

v. per non ex parte ignoſcit, vt nõnulli qui culpam quidem ignoſcunt, pœnam tamen ſeruant; aut remittunt quidem pœnam capitalem, volunt tamen vt qui offendit, pœnam aliquam ſubeat pro correctione, aut pro exemplo aliorum.

Sic Dauid ignouit Abſoloni fratris Amnonis necem recipiens eum in gratiam, nec quærens vltra ad ſupplicium; noluit tamen vt rediret ad aulam, aut videret Regis faciem. *Reuertatur*, inquit ad Ioab, *in domum ſuam & faciem meam non videat*. Et fuit Abſolon duobus annis Ieroſolymis patri inuiſus, quæ pœna adeo ipſi fuit grauis, vt poſtmodum diceret, niſi ea abſolueretur, malle ſe mori. Tandem vero inſtantia Ducis Ioab, Abſolon reductus eſt à patre in curiam, & poſt adorationem amplexatus eſt eum pater, in ſignum reconciliationis. Prodigi vero pater, omnino ignouit ſine vllius pœnæ exactione, & ſtatim ruit in amplexus, in oſcula, *accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum*.

2. Reg. 14.

vi. Terent. Comicus inquit *pro magno delicto, paululum ſupplicij ſatis eſt patri*.

Hic autem pater, nec parum multauit, nec multum Prodigum à quo tantopere erat offenſus.

vii. Et non ſolum pœnam nullam exegit, ſed inſuper beneficia contulit extraordinaria, & ante inconſueta, aut ipſi exhiberi, aut fratri; ſaltem conuiuium & mactatio vituli: exprobrat enim patri filius inter tot fideles operas, nihil vnquam ſibi tale factum, *Nunquam dediſti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer*.

Cic. orat. pro M. Marcello. Cicero magnus Orator ſupra modum extollit Iulium Cæſarem, quod non tantum ignouerit M. Marcello, ſed auxerit etiam ipſi dignitates. *Animum vincere* (inquit) *iracundiam prohibere, victoriam temperare, aduerſarium nobilitate, ingenio, virtute præſtantem non modo extollere iacentem, ſed etiam amplificare eius priſtinam dignitatem, hæc qui faciat, non ego eum cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo iudi-*

*iudico.* Quid dixisset si hunc legisset vel audisset patrem ? humaniorem se exhibet peccatori quam iusto, scelerato quam probo, Prodigo quam parco. Imaginamini quale placet beneficium, pater hic nihil omisit, quo liberaliter exciperet filium.

Si beneficia vtilia sunt, delectabilia, & honesta; triplici hoc officiorum genere demeruit filium. Vtilibus, quia à capite vsque ad calcem reuestiuit illum qui nudior erat pomilegulo. *Cito proferte stolam.* Vtilibus etiam, quia ipsum recalceauit. *Date calceamenta in pedibus eius.* Vtilibus & absolute necessariis, quia ipsum pauit famelicum instar lupi vespertini. *Occidite vitulum manducemus:* & hoc erat ipsi reddere ac seruare vitam; dicebat enim pridem: *ego autem hic fame pereo. Epulemur.* Vtilibus circundans annulo digitum, forte pretioso, tam propter adamantem aut gemmam, quam artificium & artificem. I. 2. 3. 4.

Fuit Theodorus forte Zamius, qui in smaragdo Regi Policrati sculpserat signum: *Diuini opus Alcimedontis*: etiam propter materiam, quæ vt sæpe videmus valeret lytron parui alicuius Reguli quem aliquando admodum carè diuenderet. *Herod. lib. 3. Virg. Eclog.*

Quis dicat an non fuerit gemma ipsius patris, qua exinde signare posset, ac disponere omnia patris bona.

Delectabili ipsi fuit videre patrem, sicuti patri iucundum videre ipsum. *Cum adhuc longe esset, vidit eum pater*: quasi è specula, & summis pinnaculis, aut montium iugis cum matre Tobiæ reditum ipsius iuisset speculatum: quasi patri semper in oculis, semper fuisset in corde. Iucundum fuit occurrere patrem, in collum recidere, oscula miscere, & lachrymas, *& accurrens cecidit super collum eius & osculatus est eum.* Lauari vtrumque opinor potuisse lætitiæ lachrymis. 1. *Thob. 7.* 2.

Iucundum fuit totum mundum à patre ob reditum eius vocari, vt congauderet reindui: *cito proferte,* III. IV.

*ferte, date, occidite.* Iucundum fuit ipsi comedere *vitulum saginatum*, prandere iterum cum conuiuis, maximè post tantam famem. *Manducemus & epulemur,*

V. manducemus pro necessitate, epulemur pro voluptate. Iucundum fuit audire chorum, melodiam, & mu-

VI. sicam illam harmoniosam, *audiuit senior symphoniam.* Esse iterum in mediis choreis cognatorum, & amicorum, quas pridem tantopere amauerat, consumens in regione peregrina substantiam. *Audiuit symphoniam & chorum.*

VII. Iucundum ipsi fuit videre se repente translatum ab extremo vno ad alterum, ex vmbra mortis, maximis miseriis, paruo inferno, ad lętitiam, ad fœlicitatem, ad vitam, ad paradisum quasi terrestrem. *Noua lux oriri visa est.*

Isaiæ 9.] *Sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta prada, quando diuidunt spolia.*

*Non ita Dardaneo gauisus Atrida triumpho est,*
*Cum caderent magnæ Laomedontis opes, &c.*

VIII. Iucundum ipsi fuit videre nihil responderi à patre ad suum *peccaui*: non se multari, multum vel parum,

IX. nec concedere quasi verè dicat peccasse in cœlum, indignum se filij nomine, sed dissimulari totum, quasi audisset nihil. Deuorauit totum pater habens quasi pro oraculo, *Accipienda & mussitanda iniuria adolescentium est.*

*Terent. in Adelph. act. 2. scen. 1.*

Sic enim ipsorum expugnantur animi, qui seueritate obdurescunt, occallescunt aures, deponũt frontem, cum se vident excipi malè. Leges per naturam in corde parentum descriptę, & consanguinitas, violentiores sunt quam manibus descriptæ humanis in zenea tabula. Quamuis enim scriptę leges peccata peccata filiorum in parentes puniri velint ante omnia illa tamen amoris incantamenta parentum in filios, adeo fortia sunt, adeo valida, vt nullum penè sit facinus tam frequens, tam enorme, cuius non impetret gratiam & dissimulationem à patre filius.

D. Gregor. Nazianzenus Ep. ad Vitalianum, filiorum ipsius nomine.] *Regina necessitas ac violentia scriptarum legum ignara; parentes filiis placat. Quot vt multa quæ*

*ta quæ vident, videre se dissimulent: multa se minimè audisse fingant: quæ auribus infixa habent. Verendum enim sibi intelligunt, ne si ob quæuis errata alios coarguant, frontem tandem ipsi perfricent, abstersoq; omni pudore, qui non leue parentibus adimentam adfert, temere in scelus omne prorumpant. Contumacia enim impudentiam atq; audaciam parit. Clementia contra hoc efficit, vt hi quibus noxa condonata est, parcius in posterum peccent. Quod cum in omnibus locum habeat, tum præsertim in filiis qui cum propinquum paternæ gloriæ exemplum habeant, non tam violenta manu coercendi sunt, quam beneuolentiæ vinculis constringendi ac retinendi.*

Sed honesta quæ? multo certe plura: Multum honoratus est, quod pater prior ad ipsum accesserit; & occurrēs permiserit, imo obtulerit ipsi osculum: non manus, non lasciuiæ, sed genarum. *Et osculatus est eum.* Induxit in domum, comitatus vel ad dextram vel ad sinistram. Nonne 3. Regum pro singulari matris honore refertur, quod Rex Salomon surrexerit de throno, & obuiam iuerit Betsabee matri, exhibitaque reuerentia collocauerit in throno, ad dexteram. *Surrexit Rex in occursum eius, &c.* Magni honoris fuit, quod non obuia quæuis ipsi iniecta sit vestis. Olim enim stola iuxta Nonnium quemlibet significauit integrū amictum, postea translatum vocabulum ad matronarum honestarum vestes talares: credo fuisse quales modo Montibus coniugatæ postridie nuptiarum induuntur soluta zona. Sed pater imperat afferri ex vestium custodia stolam primam, qua scilicet ante fugam vsus fuerat, optimam scilicet & honoratissimam. Prima enim non magis tempore dicitur, quam honore: imo forte patris propriam. III. 1. 2. 3. 3. Reg. 2. 4. *Vide Lazarum Bayfiū annot. in L. Vestis FF. de auro & argento leg. libet cap. 1.*

Magni honoris fuit recipere annulum. Olim enim non solum annulus dabatur ob amorem sponsæ, sed etiam ad honorem inter Romanos, maxime belli ducibus post superatos hostes, bene administrata Republica: vt alicubi habet Cicero. Dare annulum species est fidei, quam habemus viris magnis, quibus multum credimus: in cuius signum, in libro Hester Assuerus *Esther* 3.

legitur annulum suum tradidisse Aman, vt quod vellet contra Iudæos obsignaret.

*Genes.41.* Sic in Genesi Pharao, post explicata somnia incómodum totius Ægypti, honorare volens Iosephum, & authoritatem ipsi conferre in regnum, fecit ipsum primum dispẽsatorem domus suæ, dein vice-Regem, & detractum digito annulum indidit ipsi, vestiuit regiè, & aurata circundedit torque. *Tulit annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius.*

*1. Macha.6.* Et in Machabæorum libris, Antiochus vergens in mortẽ, annulum dedit Philippo amico, & diadema, & vestem: quo quasi equitem fecit sui ordinis, & primatẽ regni. Non enim videntur Reges aliis vsi signaculis, quam gemmis annularibus. Tertio enim Regum dicitur Iesabel expediuisse litteras nomine Achab, contra Naboth, ad vrbis magistratus & easdem annulo signasse regio.

*3. Reg.21.*

*Daniel 6. 5.* Sic in Daniele inuenitur Nabuchodonosor annulo consignasse lacum leonum, in quem à suis superatus Danielem dimiserat. Non igitur parum honoratus est Prodigus, donato annulo; quod non solum noua & communi iterum veste amiciretur, sed nouo fauore, annulo, quem nunquam gestaret antea, ornaretur, vt satis vero similiter coniicio: quia non dicit pater sicut de stola, afferte ipsi *annulum primum.*

*6.* Honoris etiam magni fuit eius causa tã sumptuosum paratum esse cõuiuium, amicos & cognatos vocatos illuc, tanta solennitate, vt senior frater indeinuidiam conciperet. Erat itaque quasi *à remo*, vt aiunt, *ad Tribunal* transire, ex remige, aut si quid illo miserabilius Regem fieri fœlicem, fortunatum.

*Vide Chiliad. Erasmi.*

Quid igitur in tali patre vltra desiderari posset? Superauit tamen & hæc: nam cum seuere potuisset punire, & castigare filij facinora, ad fratrem seniorem ipsi patronus factus est. Cum enim tam Regiæ susceptioni succenseret frater, nec vellet ingredi, egressus ad eum inuitauit ad lætitiam communem: cumque regereret falsa, mordacia, & cõtumeliosa in fratrem, dissimulauit omnia surdus pater: *dissipauit substãtiam*

*suam*

*ſuam cum meretricibus.* Et nihil ad iſta in propriis terminis reſpondit, ſed accuſauit potius accuſantem, dicens gaudendum de inuento fratre, de reuiuiſcentia eius qui putabatur mortuus, aut perditus. Nõ ita obluctandum, non ita pungendum. Inueniuntur qui reconcilientur inimicis, vt nihil ipſis mali velint: nonnulli etiam, quod magnum, vt bonum optent: vt vero amara pro ipſis deguſtent, ipſorum cum inuidia cauſas ſuſcipiant, non humanæ ſed diuinæ eſt charitatis. *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Ioan. 15. Chriſti & Chriſtianorum eſt illuc vſque procedere, & illud ſcandere iugum, vix viſum in lege Moſaica.

*—Pauci, quos æquus amauit*
*Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus.* Virg. 6. Æn.

Pater iſte Phœnix quidam fuit miſericordię. Dicũt ipſi de rerum ſuarum decoctore, de ſcortatore, *diſſipauit cum meretricibus ſubſtantiam ſuam.* Ille vero de homine loquitur quaſi peregrè mortuo & perdito. O quam in illo verum, *cæcus amor probis!* parenti nihil in filio turpe. Similis eſt ſimiæ, quæ nullos catulos ſuis putat pulchriores. Sic & huic patri viſus ille pulchertimus, optimus: & ſicut in concupiſcentia naturali nihil moderatum, ſic in amore naturali parentum.

*Nox, & amor, vinumq; nihil moderabile ſuadent;*
*Quiſquis amat ranam, ranam putat eſſe Dianam.*

Si quid in re amata vitij, pulchro tegit nomine.

Ouid. l. 2. de arte amandi.

*Nominibus mollire licet mala: fuſca vocetur,* Ouid.
*Nigrior illyrica cui pice ſanguis erit.* Anonym.
*Si pœta eſt, Veneri ſimilis, ſi flaua Mineruæ:*
*Sit gracilis, macie qua male viſa ſua eſt.*
*Dic agilem, quæcunq; breuis: qua turgida, plenam:*
*Et lateat vitium proximitate boni.*

Sic filiorum vitia virtutes appellantur, aut pinguntur quam fieri poteſt minime odioſe. Aut ſi videantur, pateantque mala, neſciunt odiſſe. *Amici vitia noueris, non oderis.* Omnibus hoc conſuetum pa- Cic. in Lælio.

rentibus, adulantur hac in re sibi, nihil displicet quicquid profectum à filio. Vnde Horat. lib. 1. Sat. 3.

*At pater vt nati, sic nos debemus amici*
*Si quod sit vitium non fastidire, Strabonem*
*Appellat paetum pater: & pullum, male parum*
*Si cui filius est: vt abortiuus fuit olim*
*Sisyphus, hunc varum distortis cruribus illum,*
*Balbutit Scaurum, pravis fultum male talis.*
*Parcius hic vivit? frugi dicatur ineptus.*
*Et iactator hic paullo est: concinnus amicis*
*Postulat vt videatur: at est truculentior, atq;*
*Plus aequo liber? simplex, fortisq; habeatur*
*Caldior est? Acres inter numeretur (opinor)*
*Haec res & iungit, iunctos & servat amicos.*
*At nos virtutes ipsas invertimus, atq;*
*Sincerum cupimus vas incrustare.*

Sic in hoste nihil aduertimus pulchrum: vitia appellantur quæ decora sunt; siniſtrè interpretamur, quæ indifferentia. Morosos dicimus, duros, si adulari nesciant; rusticos, si nõ nimium sint officiosi; Timones & Mysantròpos, si ament solitudinem; Diogenes & canes, si libere carpant vitia; Nabalos & ingratos benefactoribus, si non profundant quicquid habent; glorioſos Trasones si Heroicis actibus gloriam comparent. Contraria omnia in amore concupiscentiæ, naturæ, virtutum: id est, in amicitia perfecta. Omnia protinus alba; omnia præclara, omnia illustria in iis quos amamus. Vitia virtutes fiunt, aut ita crustantur, colorãtur; ex Nano Gygantem, muscam elephãtem, festucam trabem facimus, si quid forte egerint benè: si turpiter se dederint, ex monte puluillum, ex pepone fragum, ex arbore surculum: indifferentia semper in meliorem trahimus partem.

Sic modo patri noster Prodigus formosior videtur, quam vnquam: ita amplexatur, ita exoscularur, nihil horret sordes, putorem, pędorem, ex porcorum hara, & cura contracta: fætor ipsi opobalsamum videtur; nõ secus ipsum tuetur apud fratrem, ac si optimus mortalium semper fuisset. Quid vultis, pater est.

Ex-

Expressit illud bene his verbis author Acolasti. *Guilelm. Gnaph in Acolasto Act. 5. Scen. 5.*

*Ah mi pater, fuge has*
*Meas sordes.* Pelarg. *Nihil quicquam offendunt, quia*
*Te amo, gnatio mi.*

Peculiare hoc parentibus, iuxta Nazianzenum, vt verbis pungant; vngant votis; non feriant vt lædant, sed vt plaudant.

Gregor. Nazianzen. Ep. ad Vitalianum, filiorum ipsius nomine.] *Lingua (patris) ad iram exarsit? statim miseratio subsecuta flammam extinguit. Pater filium ore execratus est, diriscq; omnibus diuouit? animus interim nihil præter auxilium loquitur. Onus aliquod humeris ipsius imposuit? confestim ad eius dolorem illachrymat, eumque amplexatur.*

Talis etiam Christus pater fuit in Iudæos, plorans cum aliquando eos cędere deberet virga ferrea, propter scelera, quæ admissuri erant contra eum. Deus etiam pater gemit percutiens inimicos. *Heu! consolabor de hostibus meis.* Dolet, cogitur esse ferox.

Quintil. declamat. 5. vox patris est.] *Ignorat profectò paterni doloris æstus, quisquis solatium putat, vt de languente filio quæratur, vt moribus mentiq; maledicat.*

Quid? parentes inueniuntur qui sibi filiorum vitia tribuunt, quasi nimia scueritate adegerint filios ad miseriam; imo & serio dolent. Exemplum saltem istius proponit nobis Terentius. Et Dauidem inter cætera non etiam tali de causa arbitramini deploraſſe Absolonem, in prælio cæsum? quis nouit? sit necne, Ecce hic exemplum Terentij.

Terentius in Heaut. Act. 1. Scen. 1.] *Eum ego* (gnatum sc.) *eieci hunc miserum iniustitia mea.*

(Et paulo post:)

*Vsq; dum ille vitam illam incolit*
*Inopem* (militiæ sc.) *carens patria ob meas iniurias,*
*Interea vsq; illi de me supplicium dabo.*
*Laborans, quærens, parcens, illi seruiens.*

(Et mox:)

*Decreui tantiſper me minus iniuria,*
*Chremę meo gnato facere, dum fiam miſer:*
*Nec fas eſſe vlla me voluptate hic frui,*
*Niſi vbi ille ſaluus redierit meus particeps.*

Videte igitur parẽtes vos ipſos in ſpeculo huius patris, & clementiam diſcite paternam illo doctore quẽ Chriſtus vobis propoſuit. Diſcite non minus ignoſcere quam punire, diſſimulare nõnunquam, facilius fere continentur filij benignitate & facilitate quam terrore.

Terent. in Adelph. Act. 1. Scen.

*Do, permitto, non neceſſe habeo omnia.*
*Pro meo iure agere.*
*Pudore & liberalitate liberos*
*Retinere, ſatius eſſe credo, quam metu,*

Dicebat aliquando ſenex, qui filium non habebat alium quam adoptatum nepotulum.

## II.

*Quod tanta patris illius clementia immenſam Dei præſentat miſericordiam in pœnitentes.*

SEd quid ſignificat hæc tam rara patris clementia, niſi immenſam Chriſti miſericordiam in peccatores quoſcunque, publicanos, gentiles, &c. Exhibuitne ſe Prodigo ſemper refractario alium, quam amiciſſimo?

Qualem vero charitatem oſtendit nobis Chriſtus, creaturis ſuis, filiis ſuis, ſed ſemper rebellibus? *Cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.*

Cum eſſemus in flagranti delicto, in feruore peccati, faciẽtes voluntatem ſemper noſtram, nunquam ipſius: *cum adhuc lõge eſſemus* ab ipſius amore, (ſemper enim erecto armatoque collo in ipſum incurrimus, nihil minus cogitantes quam humiliatione redire in gratiam; exemplum eſt in Adamo) accurrit & occurrit nobis, vultu amiciſſimo, *& accurrens.* Vt nos erigat, promittens Adamo ſemen mulieris quod conte-

Rom. 5.

reret

reret caput & fraudes serpentis, id est, mediatorem ac redemptorem. *Cum adhuc longè esset*; Vnusquisque nostrum, sc. nihil cogitãs, nihil considerans, sed in lumbis adhuc primorum parentum. Accurrens præuenit natiuitatẽ nostram promissione lytri, *Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Cum adhuc longè esset:* Nemine nostrum qui hic sumus, nullo ex posteris, adhuc in lucem edito. *Accurrens cecidit super collum eius & osculatus est eum.* *Genes.3.* *Psal.20.*

Præuenit nos factus homo, amplexatus est nos, indissolubiliter nostram assumens naturam, obtulit se in sacrificium pro nobis, in altari crucis. Adeo vt si Adam nos damnauit antequam essemus nati, Christus meliot pater quam Adam nos saluarit antequam simus concepti; id est, fecit satis ad saluandos eos qui ante ipsum fuerunt, qui suo tempore erant, & qui adhuc futuri sunt. *Cum adhuc longè esset*, vnusquisque nostrum in idololatria, in veri Dei ignorantia; adcurrẽs præuenit nos, aliquando in persona, sæpius per Apostolos & ipsorum successores, amplexibus, osculis, indicauit amorem. *Cecidit super collum eius & osculatus eum*; vt nos ad se attraheret, & faceret suos: id est, cœlestis regni hæredes. *In Christo Iesu vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.* *Ephes.2.*

Præuenit nos præueniente gratia, catechisans instruens in cognitione veri Dei, & vnius mediatoris & redemptoris: amplexatus & osculatus est nos, cum nos recepit in gratiam & per baptismum reconciliauit patri. (*Omnes enim nascimur filij iræ*, adeo vt quatenus tales, curiæ cœlesti simus intolerabiles.) Cum autem adhuc lõgè esset vnusquisque nostrum, tam dissimilis Deo per naturam; magis etiam per imperfectiones, & tam parum amicitiæ ipsius idonei (*nam similitudo morum conciliat amicitiam*) quid enim luci ad tenebras? lupo cum ouibus? relinquens tamen Angelos magis similes, natura superiores, forte & minus peccatores; accurrit, præuenit nos, homo factus est: mõstrauit se, quęsiuit hominẽ, *Cic. de amicit.*

incidit in collum, osculatus est, desponsauit, donans ei annulum, indues pretiosis, & quid non? nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ: non secus quam si hominis indiguisset, sicut homo ipsius.

Legunt (occurrens) interp. Chrysost. hom. de hac re non semel tom. 2. Amb. lib. 2. de pœnit. c. 3. Ven. Beda. B. Vincent. Sed D. August. lib. 2. 44. Euang. & alij, accurrens.

Notandum vero textum non tantum dicere *iuit obuiam illi*, sed *occurrens*, iuxta S. Vincentium, & Authorem sermonum ad fratres in Eremo, inter opera S. Augustini. Vel *accurrens* vt legit S. Augustinus, Vulgata & Castalion. *Currens* vero iuxta Arriam Montanum, græcè δραμών, quę plus significant quam ire obuiam: celeritas enim ista, & properatio, ardorem significat, libertatem & desiderium, & non nudum ire obuiam.

Obuiare enim potest quis nihil cogitans, casu, imo & inuitus. Accurrere vero ad aliquem, libertatem sapit. Dein obuiare voluntariè moderatam dicit amicitiam, sed accurrere ardorem, & impatientiam, ac desiderium. *Duræ sunt in amore moræ: spes quæ differtur affligit animam.*

Et hoc admodum propriè: tam vt significetur natura Dei, & acceleratio, & libertas, & magnum desiderium incarnationis in filio Dei, tam ex parte eius qui incarnabatur, quam ex parte eorum pro quibus; vt ostendatur indoles Dei. Propriũ enim est Deo omnibus vbique se exhibere, in subsidium, vbi necesse. Et vt videtur quidam Græcum θεὸς, à verb. θέω, id est *currere* deriuant: quasi Deus currat, & vbique adsit celerrimè, ad auxilium paratus. Quid? nonne sæpe adest necdum inuocatus? *Antequam clament ego exaudiam.*

Psal. 7.] *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua.*

Psal. 33.] *Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde.*

Isai. 64.] *Occurristi lætanti & facienti iustitiam: in viis tuis recordabuntur tui.*

Isai. 58.] *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adsum.*

Ad significandum etiam maturationem incarnationis,

tionis, tam in promisso quam in opere. In promisso: nõne cito promissa est, & admodum tempori: eodem sc. die quo Adam peccauit, eadem hora qua Deus ipsi definitiuam mortis pronuntiauit, simul pronuntiauit ipsi in momento, in eodem theatro, decretum alterum de misericordia, quod nimirum nasceretur aliquando ex fœmina, qui contereret caput serpentis, id est, quod Christus nasciturus esset ex Virgine, qui nos omnes repararet. *Cum iratus fueris* (etiam) *misericordiæ recordaberis.* In opere etiam: cum enim indefinito promisisset tempore, ac liberum ei esset citò aut tardè soluere promissum, *quia in potestate dantis est quando vel quãtum velit misereri,* iuxta S. Augustinum: & posset etiam conuenienter differri in finem mundi, vt diceremus, *senectus mea in misericordia vberi,* vt hac ratione magis innotesceret hominibus, de scientia & robore suo præsumentibus, ignorãtia ipsorum ac infirmitas, anticipauit multum finem mundi, & festinauit mittere filium promissum in carne, tempestiuius quam merebamur, & quam obligauit promissum, partim propter desideria & preces instantes. (*Vtinam dirumperes cœlos, &c. Fiat misericordia tua, Domine, super nos, &c. Ostende faciem tuam, & salui erimus: mitte quem missurus es: propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.*) Partim & principaliter propter interceſsiones B. Virginis Mariæ, quæ decus erat mundi, ac propter puritatem eius, quantã post Deum imaginari possis, *non distuliſti Christum tuum.*

*D. Aug. li. 2. 44. ex nouo test. 8. circa pri. tom. 4. Vide D. Thom. p. 3. q. 1. art. 6. in corp.*

*D. Anselm.*

Sic Ioseph videns fratrem suum minimum Beniamin admodum sollicitum, & reliquos in magna perplexitate ne ipsum detineret in Ægypto, non potuit vlterius dissimulare, quin occultare se volens se proderet.

Sic Deus Pater, Deus filius, & Deus Spiritus sanctus (vt ita dicam) differre incarnationem vltra non potuerunt, postquam viderunt natam Virginem Mariam, tantum operis sui complementum. Sanctitas B. Virginis clamabat: *veniat dilectus meus in hortũ suum.* *Cant. 6.* Charitas Patris respondebat: *vulnerasti cor meum soror* *Cant. 4.*

*mea sponsa, vulnerasti cor meum, in vno oculorũ tuorũ, & in vno crine colli tui*: filij festinatio geminabat: *oculi tui auolare me fecerunt.* S. Spiritus prosequebatur, *odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* Tres autem simul dicebant personæ: *post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Non ita Pantheræ fragrantia feras allicit, nõ ita Monocerotes sinus virginis, fera alioquin animalia quæ capi se non sinunt, non ita Sol, qui in leone ardet, in signo virginis ardores suos temperat, nec vnquam insuperabilis Sampson à Dalila sua se suauius ligari passus est, nec fortius magnes ferrum attrahit, nec expansa fortius impellit vela ventus, quam sanctitatis feruor & gratia B. Virginis, Sanctam permouit Trinitatem & Dei filium, ad accelerandum præfinitum incarnationis tempus. Sola ipsa quasi datum anticipauit decretorum: illa iustitię Solem per decem lineas fecit properare, (vt olim Iosue stare, Isaias regredi fecit decem lineis) ita rapuit Deum vt si Dei filius venturus fuisset pedetentim, paruisque passibus, eum instigaret ad gradiendum gradum, vt luci adesset & ante mundi vesperam, inter homines. *In medio annorum notum facies*, vt nobis faceret gratiam, sicut venit ad Adamum post meridiem, vt ei impenderet iustitiam. *Ambulabat in paradiso ad auram post meridiem*, id est, (dicit Vatablus) *sub vesperam quo tempore ventus se attollere, & aspirare solet Zephyrus.* Et hoc opinor dicere voluit Gabriel Angelus, istis verbis, *inuenisti gratiam apud Deum.* O Virgo ita Deo complacuisti propter virtutes tuas, *ecce*, confestim illico, (si ita tibi videtur) *concipies in vtero & paries filium*: concessit tibi Dominus propter bonas tuas gratias gratiã istam, vt Deus redemptionis communis tempus anticipet.

*Ibid.*

*Cant. 1. Vide D. Gregor. l. 31. moral. in Iob. c. 11.*

*Abac. 3. Vatabl. annot. 19. ad c. 3. Genes.*

Quidni? si enim propter prædestinatos quoldam dies Antichristi breuiabuntur, & si propter impœnitentiam aliquorũ nimiam diluuium 20. annis acceleratum est, iuxta S. Hieronymum & Chrysostomũ. Sententia enim habebat post 120. annos inferẽdum, nisi se emendarent. Cur igitur non potuerit miraculũ illud

*Chrysost. hom. 25. in Genes.*

illud sanctitatis, & culmen diuinorum operum, benedicta illa in mulieribus B. Virgo, incarnationis Christi tempus meritis suis accelerare?

D. Hieron. in traditionibus in Genes.] *Quia pœnitentiam illi agere contempserunt, noluit Deus tempus expectare decretum: sed viginti annorum spatiis amputatis, induxit diluuium anno centesimo agendæ pœnitentiæ destinato.*

Hugo in annotationibus in Genes.] *Sicut Ezechiæ mortem instantem minatus est Deus: sed quia pœnituit, mortem instantem in quindecim annos distulit: sic contra illis hominibus ad pœnitendum 120. spatium concesserat; sed quia facti deteriores patientia Dei, spatium indultum, breuiatum est. Nec in aliquo istorum mutatum est Dei consilium, sed tantum sententia.*

Franc. Vatablus scholio 4. ad c. 6. Geneseos in illud: dies illius 120. anni] *Id est* (inquit) *tempus, quo resipiscere potest homo. Non de tempore vitæ hominis, sed de tempore dato homini ad resipiscendum loquitur.*

Filius igitur Dei dicitur accurrisse ad Prodigum genus humanum, ad significandam accelerationem temporis in gratiam B. Virginis.

Item, ad demonstrandam libertatem: *& accurrens*: non enim imaginandum filium à patre compulsum, vt ad homines se demitteret; vt videntur loqui quædam scripturæ, quod traditus sit à patre. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Rom. 8.

Isaiæ 53.] *Propter scelus populi mei percussi eum.*

Item quod dicit S. Paulus ipsum venisse ex obedientia; *Christus factus est pro nobis obediens patri, vsque ad mortem, &c.*

*Filius hominis vadit, sicut definitum est à patre.*

Luc. 24.] *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.*

Et quia videtur in articulo passionis quasi inuitus illa sustinuisse, orãs tam ardẽter transferri à se calicẽ. Neutiquã, nulla ibi vis fuit, nulla coactio, non magis pater compulit filium, quam Abrahã Isaacum figurã huius, quem Deus immolari volebat: non magis

quam

quam nautæ Ionam, cum iacerent ipsum in mare ad illud sedandum. Vera passionis Christi formula (iuxta S. Hieronymum) ipse enim dicebat: *Tollite me & mittite in mare, & cessabit mare à vobis. Scio enim ego quod propter me tempestas hæc grandis venit super nos.*

*D. Hier. epist. ad Paul. Feuardent. præfat. in Ionam.*

*Ionæ 1.*

Quamuis enim magnam habuerit obedientiam, liber tamen fuit: libentiori enim animo obedit aliquādo potest, quam possit imperari. Et cum Christus orauit aliquando auferri calicem, non superioris sed inferioris partis erat oratio. Et forte calix, quem tum diuertere voluit, fuit lapsus suorum: nominatim S. Petri, vel damnatio Iudæ, aut aliud aliquid. Passionem enim maxime voluit *in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.*

*Psal. 39.*

Desiderium etiam incarnationis non minus significatum est. Nam *deliciæ ipsi, esse cum filiis hominum* visibiliter. Ac desiderabat ostendere quomodo zelaret honorem patris, sicut bis zelauerat pater honorem ipsius: semel præcipitans Luciferum, qui sanctum eius euertere studuit propositum, & affectauerat aut præferri, aut æqualis haberi ipsi. Secundo puniens genus humanum, quod illi æquari volebat in sapientia. *Eritis sicut Dij scientes bonum & malum.* Desiderabat etiam manifestare quantum nos amaret.

*Genes. 3.*

Cum igitur in sacro Trinitatis consistorio statutum esset reparare humanum genus, idque vt iuste, sapienter, potenter, & benigne fieret, nullum conuenientius inueniri medium, quam vt vna trium ex sacro Senatu persona, homo fieret, & pro noxiis pateretur; idque conuenientissimum esse fieri à filio, statim dixit filius Patri: *ecce ego mitte me: statim exultauit vt gigas ad currendam viam: tunc dixi, ecce venio: patet da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit; permitte mihi soli incarnari, quod me magis, quam vllam sanctæ Trinitatis decet.*

*Esaiæ 6. Psal. 18.*

Sicut fidus amicus vt amicitiam suam probet nihil laborat nisi cognoscere qua re possit amico gratificari, idque vbi didicerit ardet extremo eius complēdi desiderio: sic filius Dei tam per essentiam quam per amorem

morem vnitus Patri. *Ego & Pater vnum sumus.* Et nos tanquã creaturas & imaginem ac similitudinem suã, & plasma manuum suarum, supra modum amans, & semper optans tempus quo amorem suum in patrem & creaturas probaret, quamprimum oblata est occasio exequendi istius per incarnationem & passionem, summo desiderio executionis horam suspirauit: qua veniente mirabili alacritate etiam perfecit. Ideo igitur dictũ est adcurrẽs propter desideriũ & alacritatẽ. Quis dubitat? cum omnis ferè cœli chorus, omnis musicorum Dei concentus, luscinię ac syrenes cœlestes, altis vocibus cantarent *gloria in excelsis.* Et ænator magno clangore insonaret: *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator.* Luca 2.

Desiderium inquam & alacritas, quis dubitat? cum dicat de voluntate patris. *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* Desiderio & alacritate passionem calicem appellat, qui refectioni seruit & recreationi. Desiderio & alacritate ea de re tam sæpe cum amicis, Apostolis, Prophetis, Elia & Moyse loquitur. *Erant loquentes cum Iesu de excessu quem completurus erat in Ierusalem.* Ioan. 4. Matth. 17.

Desiderio & alacritate dixit de Paschate quo moriturus erat, *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Luca 22.

Et alibi: *Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor vsq; dum perficiatur?* Luca 12.

Videte cur dictus sit accurrisse ad nos Prodigus, & *adcurrens.*

Quantum ad Publicanos quibus speciatim hæc parabola dicta est, cursus ille *& accurrens,* non significat quod eos corporaliter prior quæsiuerit: *nam erant appropinquantes Publicani & peccatores, vt audirent illum:* Sed quod eos gratia præuenerit, & magis desiderauerit ipsorum societatem, vt eos externis mediis conuerteret, quam illi ipsius.

Quantum ad peccatores in genere, me, vos, quicunque fuerit, significat quod Deus gratia nos præ-

ueniat,

ueniat, & quod peccator postea gratia illa bene vtens, adiutus à Deo, patatum ipsum inueniat, tendentem manus, roborantem nouis additamentis gratiam. O-

Iob. 14. *peri manuum tuarum porriges dexteram*, significat hoc Deum præsto esse, & paratiorem ad dandum, quam nos ad orandum. Bene S. Augustinus.

D. Augustinus lib. de spiritu & anima.] *Tardius est Deo veniam peccatori dare, quam illi accipere. Sic itaque festinat reum absoluere à tormento conscientiæ suæ, quasi plus eum cruciet compassio miseri quam ipsum miserum passio sui.*

D. Ambros. lib. 2. in Luc.] *Vide quam bonus Deus & facilis indulgere peccatis?*

D. Bernard.] *O fœlix pœnitentium humilitas! ô confitentium bona spes quam facile vincis* * *inuincibilem! Quam cito tremebundum Iudicem conuertis in pijssimum patrem!*

* al. inuisibilem, mihi melius inuincibilem.

Psal. 72.] *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde.*

Psal. 47.] *Secundum nomen tuum, sic & laus tua in fines terræ.*

Imo non tantũ currit, paratus præuenire nos gratia, vt declinemus à malo & faciamus bonum, & admodum celer ad ignoscendum, & acceptanda exigua bona quæ incipimus facere; sed etiam statim mandat ministris ac sacerdotibus, vt melioribus gratiis nos perfandãt: illis dico quibus iustificamur, & Deo familiares reddimur per Sacramenta sc. tãquam per canales, & tubos tali rei accommodos, per absolutionem sacramentalem. *Cito cito*, inquit, *cito citissime, propter stolam primam, induite illum*, detractis prius scrutis illis & panniculis, & in sterquilinium eiectis. Quod aduerbium *cito* in Græco quidem non est, sed tantum in vulgatis, ac repetendum mihi videtur aut subintelligendum in mandatis sequentibus. *Cito induite, cito date annulum, cito date calceamenta in pedes eius. Cito adducite vitulum saginatum, cito occidite*, cito, cito. *Nescit, nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*, inquit S. Ambros. Expediri vult omnia celerrime, vt quam primum

D. Ambros.

mum reuestiatur filius prima & principali innocentiæ & iustitiæ veste,, vt cito absoluatur, & iustificetur sine multa dilatione. *Cito proferte stolam primã, & induite eum.* Annulum dari vult *cito*, id est, dari ipsi per sacramenta gratiam cooperantem, vegetatiuam, adiutricem, quæ iuuet malum fugere, bonum facere. Vult ipsum reconciliari cito, id est, gratiam præseruatiuam aut defensiuam contra assultus & aculeos tentationum ipsi superaddi. *Cito date calceamenta in pedes eius.* Adduci vult vitulum saginatum occidi *cito*, ad instruendum conuiuium, id est, vt cito admittatur ad sacram communionem. *Cito adducite vitulum saginatum, & occidite, & epulemur: comedetis festinantes:* vt totus restituatur tranquillitati conscientiæ, quæ omnibus epulis iucundior est: *secura mens quasi iuge conuiuium.* Vt certa spes vitæ æternæ ipsi ingeratur, vbi sunt bona omnia quæ excogitari possunt. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Per omnia festinationem mandat, *cito, cito*, vt monstret desiderium, & pene beneficentiæ impatientiam. Videte cumulata beneficia beneficiis, fauores fauoribus, honores honoribus, familiaritatem familiaritate, maiore quam vnquam. Vnde quidam Doctores opinati sunt satis verisimiliter, peccatorem per pœnitentiam semper noui aliquid beneficij consequi: *vbi abundauit delictum, ibi abundat & gratia. Abyssus abyssum inuocat.*

*Exod.12.*

*Psal.16.*

*Vide Ockam in 4.q.8. Gabriel.dist.4. q.3. art.3. Maiorem dist.21.*

Quis dubitat? Prodigus noster antequam deseret patrem, verisimiliter non gestauit annulos: modo gestat. Vel si ante gestauerat, modo dat inconsuetum: nam non dicit textus proferte annulum primum, vel solitum, sicut de veste, *proferte stolam primam*, qua scilicet indui consueuit. Nunquam ante ita epulatus erat in parentis domo, cum tanto sumptu. (Quomodo enim iunior, deterior, malemoratior, si nunquam senior & factotum dicit, *Nunquam dedisti mihi hœdum vt cum amicis meis epularer*: iam vero omnia dedicantur ipsi. Ante forte nunquam domi chorum audierat, & symphoniam (etsi peregre nimis sæpe) iam vero & audit & vidit, *Audiuit senior*

*nior symphoniam & chorum.* S. Chrysostomus in verba S. Petri cum Domino, propter S. Iohannem Euangelistam, Achatem indiuisum. *Domine hic autem quid?* Notat familiaritatem quam vera pœnitentia nobis cum Deo adfert. Nam S. Petrus ante negationē Domini non audebat esse importunus, nec scrutari quis esset futurus traditor de quo loquebatur, substituit S. Iohannem, alterum ego, prò mediatore, sciens illum familiariorem. Post negationem vero & deplorationem adeo magistro suo factus est familiaris, vt ausus fuerit rogare de quibus S. Iohannes non audebat mutire. *Domine hic autem quid?* Idem S. Petrus nōne vniuersalis pastor creatus est, & quasi vice-Deus post pœnitentiam? Dauid nonne in capite constitutus est genealogiæ Christi, ante ipsum Abrahamum, propter factam pœnitentiam? *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.* Zacharias pater magni Baptistæ, post incredulitatis pœnitentiam nonne præter vocem spiritum accepit prophetiæ, author pulcherrimi Cantici, quod toties in Ecclesia repetitur, *Benedictus Dominus Deus Israel?* Dilectissimi quātam hic nobis materiam suppeditat boni patris pro Prodigo conuiuium? totus dies nec integer aduentus sufficeret explicandis omnibus. Temporis breuitas iubet præcidere. Aliis forte annis, iuuante Deo, molemus & cribrabimus diligentius. Adiiciam tantum ad dulcorandum palatum mellea ista in simili casu Ambrosij verba, ac dein verbulum vnum pro incitamento, ad imitandum Prodigi patrem, Deum videlicet nostrum.

D. Ambros. lib. 2. in Luc. loquens de Zacharia Baptistæ patre prophetante. ] *Vide quam bonus Deus, & a cilis indulgere peccatis: non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conscius delictorum, præmia Diuina desperet. Nouit Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum.* Sed respiremus modicum, tum calcaria subdemus equo, remissuri ipsum sudantem ac fumantem longo labore in quietem.

Bonum

## III.

*Bonum esse si Reges, & omnes superiores paternam istam clementiam imitentur.*

NOlite cogitare, dilectissimi, hæc omnia de patre dicta ad iustificationē solum benignitatis Christi in publicanos, contra morsus & calumnias Pharisæorum, & vt nobis spes crescat diuinę misericordię, si post infinita peccata quæ forte commiserimus, pœnitentiam agamus: sed etiam vt quantum possibile imitemur; alij aliis misericordiam facientes, maxime superiores inferioribus. De ea loquor misericordia, quæ in venia & indulgentia consistit, in subuentione, in opitulatione & benignitate conuersationis. Deus bone quam multa nos illuc inuitant. Primum nobilitas & excellentia istius virtutis, quæ prudentissimis quondam Atheniēsibus, non ram affectio quædam, quam numen visa est, iuxta Quintilianum: cui & altare erectum fuit, cuius tanta vis vt homines ad diuinitatem quandam euehat, siue seruent constitutos in periculo, siue ignoscant in se peccantibus, siue supplicibus condonent. *Quintil. li. 5 Inst. orat. c. 11.*

Cicero orat. pro Ligario.] *Nulla re propius homines ad Deum accedunt, quam salute hominibus danda.*

Demosth. ad Alex.] *Nulla de virtutibus generòsior misericordia, nec admirabilior clementia nec per aliud propior Deo accedere potes quam vt salutem conferas hominibus vel dando, si eguerint, vel parcendo, si deliquerint, vel indulgendo si supplicauerint.* Claudianus: *Dum vincamur in omni munere sola Deos æquat clementia nobis.*

Quamuis omnibus modis Deus nos superet, sola tamen clementia nos Deo fere pares facit, vt dicebat aliquando Honorio filio, Theodosius Imperator.

Hæc virtus apud Deum, & maximos quosque maxime in vsu est. Apud Deum: nam Dauid dicit: *Misericordia tua plena est terra.* Et alibi, *Miserationes eius super omnia opera eius.* Vel quia maior, vel potius quia omnibus operibus eius iungitur & inseritur. Quicquid *Psal. 118. & 144.*

enim agit *ad extra*, agit cum misericordia, & motus à misericordia. Misericordia est qua nos creauit, qua fecit nos participes sui esse, similitudinis & fœlicitatis suæ. Quod nos redemit misericordia est, quis dubitat? Quod Sancti beati sint & ita omnibus repleti bonis, gratia & miseratio Domini est; non propter fundamentum tantum, quia videlicet primitus gratiam qua merentur dedit, sed etiam quia *vltra condignum* remunerauit.

Quod damnati inter tormenta sua minus puniantur quam commeruerunt, misericordia Dei est, puientis *citra condignum*. Facit ergo Deus millies omnibus misericordiam, sine vllo iustitiæ rigore, & plus quam debet, id est, nemo iure misericordiam quam fecit postulare posset, qui contra nihil vnquam facit tam seuerum, cui non multum misceatur misericordiæ, id est, nisi vellet ostendere semper suam bonitatem, procederet etiam multo seuerius.

Psal. 35. *Domine in cœlo misericordia tua:* tanta est, tam sublimis, vt cœlo caput inferat, *& veritas tua vsque ad nubes*, id est, iustitia nubes tantum pertingit, inquit Psalmista. Hæc apud omnes etiam magnates. Potentissimi enim Monarchæ semper fere clementiores sunt. De Sancto Theodosio ita refert Ambrosius.

D. Ambros. de obitu Theodosij.] *Beneficium se putabat accepisse augustæ memoriæ Theodosius, cum rogaretur ignoscere; & tunc propior erat veniæ, cum fuisset commotio maior iracundiæ: & optabatur in eo, quod timebatur in aliis vt irasceretur? hoc erat remedium reorum. Qui nunquam veniam confitenti negauit.*

Traianus Imperator adeo teste Plinio clemens fuit, vt subditos beneficiis continere mallet quam pœnis.

Plin. in Paneg. Traiani.] *Tibi beneficiis potius quam remediis ingenia nostra experiri placet.*

Idem ibid.] *Cum ciuibus tuis, quasi cum liberis parens viuis.... hoc tantum cæteris maior, quo melior.*

Vnde

Vnde & Senatus Romanus, vt scribit Dio, inter cęteros titulos ipsi decreuit nomẽ Imperatoris optimi. Quis vnquam Iulio Cæsare clementior, qui Pompei hostis sui capiti illachrymatus est? qui neminem cæcidit nisi armatum, qui ignouit omnibus, qui antiquos honores hostibus non ademit, qui optabat vitam reddere cadentibus in prælio, qui denique nimia bonitate periit? Adeo clemens fuit, vt inter plurimos alios honores, ipsi ædificaretur templum clementiæ, vt sic humanitati eius qua victoriam moderatus erat, gratiam redderent.

Cicero orat. pro Rege Deiotaro.] *Cum facile exoreris Cæsar, tum semel exorari soles. Nemo vnquam te placauit inimicus, qui vllas resedisse in te simultatis reliquias senserit.*

Augustus ab ipso adoptatus eiusdem plane fuit genij, qui cum semel L. Cinnæ nobili nepoti magni Pompeij ignouisset, relicto ipsi patrimonio quod in ærarium publicum inferre potuerat, & collato ipsi sacerdotio, cum tamen postea certior factus esset eundem Cinnam statuisse inter sacrificia ipsum truncare, iterum ipsi ignouit, & seorsim aduocato rursum obtulit amicitiam, & beneficentiæ duellum, vnde Poeta. *Suet. in vita Aug. Cæs.*

*Diuitiis etiam multos, & honoribus auctos*
*Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.*
*Quæq; dies bellum, belli tibi sustulit iram;*
*Parsq; simul templis vtraq; dona dedit.* *Ouid. lib. 2. Trist.*

Carolus magnus flagellum Saracenorum, cum Saxones vicisset, & iam victorum colla calcaret, omnes ipsorum ignouit rebelliones, quæ tamen fuerant admodum frequentes; dummodo baptismum & Christi fidem acciperẽt. Carolus Caluus adeo mitis fuit Rex, vt Balduinum filium Audaqueri Comitem crearet Flandriæ ex præfecto syluarum, & venationum, post raptam filiam Iuditham.

Quamdiu Herculis stabunt columnę, quã diu stabit mundus, B. memoriæ Caroli Quinti clementia in omnium ore versabitur; in Hispanos sub Iohanne *Vide epist. aureas Guarræ circa finem.*

Padillo, in Alamannos sub Duce Saxoniæ, in Gandauenses vbi natus: quibus omnibus facile ignotæ sunt rebelliones, & sopitæ tam paruo sanguine quam fieri posset. Et cum quidam ex primariis belli Ducibus suaderet ipsi Gandauum excindere, duxit eum in excelsæ turris fastigium, cumque inde iussisset speculari parui illius mundi amplitudinem, propter crudele consilium exulare iussit Flandria. Vtinam crudelitatis mónstrum nunquam fuisset renatum. Historicus quidam non ignobilis, postquam in multis cum Iulio Cæsari comparauit, concludit: *Clementia autem vtriusq; (Iulij Cæsaris & Caroli Quinti sc.) æqualis, & fortasse in Carolo maior fuit.*

*Guil. Zenocarus lib. 3. de Repub. & vita Caroli M. Belgæ.*

Riualis eius & competitor Imperij Franciscus primus, in hac virtute ipsi fuit secundus. Cum enim ipse ad Rupellentium rebellionem castigandam fuisset profectus, condonauit tamen omnibus sine cæde, dicens se, etsi occasionem haberet vindicãdi iniuriam, malle laudem apud posteros seruatorum quam cæsorum ciuium. Princeps Imperio dignus, si cum alio quam cum Carolo Quinto concurrisset. Quem Regem multis annis vidimus maiorem, fœliciorem, excepto extremo eheu infortunio, magno Henrico Quarto? qui sine pecunia belli dux, contra pecuniosissimos bellabat exercitus: qui multo tempore duplex Rex, vtraque caruit corona, quam multis domi foriſque inuidentibus, cœlo quasi & terra repugnante, Deo interim iuuante, gladij mucrone capiti suo imposuit.

Sed magnus ille Henricus, non belli claritudine, quam clementia & misericordia maior. Henricus Quartus, scribit quidam post mortẽ eius Episcopus, victoria vsus est vt victis se exhiberet patrem & hostis nomen, populi & filiarum nomine commutaret. (Et paulò post) generatim tanta fuit eius bonitas, vt ad fœlicitatem quærendam in Francia, desiderandus ei hostis aliquando fuisse videretur, quale ex S. Ambrosio de Theodosio supra fere attulimus.

Omnino sic res habet, dilectissimi, quo generosio-

res

res homines sunt, eo mitiores: ex imbecillitate oritur, tacitaque quædam infirmitatis professio est, alteri iniuriam facere, aut iniuriam illatam vindicare.

Ouid.

*Quo quisq; est maior, magis est placabilis ira,*
*Et faciles motus mens generosa capit.*

Nonne inter homines experimur facilius cum viro quam cum fœmina rediri in gratiam? Nonne leonem brutorum Regem prostratis videmus parcere, imo errantes in viam reducere, & Angelicos molossos à latratu cessare facilius, blandimentis & popismate placari, quam catellos istos qui vix vnciam carnis habent, qui semper allatrant, exploratores viarum nec vnquam compesci possunt.

Ideo sapientissime senex quidam dicebat: *Maximã potestatem accipiens datorem potestatis iuxta possibilitatem suam debet imitari. In hoc autem Deum maxime imitabimur, si nil iudicauerit, quam misereri, pretiosius.* *Barlaam opinor.*

Secundo. Inuitamur huc, quia nulla virtus magis hominem decet, nullaq; humanior est. *Homo sum, humani à me nihil alienum puto.* *Terent. in Heaut.*

Non sumus ferro conflati & chalybe, non chore, non marmore, non excisi ex rupe, non ex ligno indomabili; sed testæ ex molli fictæ luto, ex argilla, vt discamus esse flexiles: non chalybe duriores, immitiores marmore, sed tractabiles, formabiles, vt limus vnde ficti sumus: ac animam nobis debere esse mollem ac subactam, vt proportio quædam sit formæ & materiæ.

Et cur non nascimur vt alia animalia armati, quibus natura cornua dedit, aliis vngues, aliis dentes, nisi vt erudiremur ad mansuetudinem? & cur solus homo inter omnia animantia vere lachrymat? & cur omnes plorantes & vagientes nascimur, nisi vt omnibus moueamus pietatem & misericordiam? Præ omnibus tamen hæc virtus fœminarum est: quæ & ideo molliori & teneriori, quasi lacte coagulato, creantur corpore: vnde & dicunt quidam, *mulier quasi mollis aer.* Viro fortitudine minor, voce suauior, specie a-

mabilior, ad fletum procliuior, vt animã habeat corpore non minus gratiosam ac tractabilem, ne cacophonia sit & intemperies, inter animum & corpus: ne fraudem præferat in gestu, in vultu: foris quasi fronti habent inscriptum vt Apothecariorum pixides, totam esse melleam, totam clementem. Anima vero reclamet operibus, totam esse aloën, totam rigidam, non mulierem, sed sub mulieris specie Tygridem, aut leænam.

*Faustus Andrelinus.*

*Candida pax homines, trux decet ira feras.*

Dein, misericordia ac clementia hominibus propria est, quia soli, nec trahi, nec impelli, nec stimulari volunt; sed suauiter duci. Plerique melius clementia quam rigore flectuntur, dissimulatione, conniuentia, ignoscendo, quam inclamando semper, & multando omnem errorem.

Sicut pasta molli & argillosa constant, sic & molliter haberi volunt, & sic habiti discent agere bene, bono corde, & in bonitate perseuerare, non minus extra quam in magistri conspectu: cum alias refractarij fiant, recalcitrones, obluctantes calcaribus, & si quid boni agant hoc extortum est, & temporaneũ, à seruientibus ad oculum: vertat tergum magister, statim ad antiquum redeunt.

Terent. in Adelph. Act. 1. Scen. 1.

*Mea est sic ratio, & sic animum induco meum:*
*Malo coactus qui suum officium facit*
*Dum id rescitum iri credit, tantisper cauet:*
*Si speret fore clam, rursum ad ingenium redit.*
*Ille, quem beneficio adiungas, ex animo facit.*
*Studet par referre, præsens absensq; idem erit.*
*Hoc patrium est, potius consuefacere filium,*
*Sua sponte recta facere, quam alieno metu.*
*Hoc pater ac dominus interest: hoc qui nequit,*
*Fateatur se nescire imperare liberis.*

Insuper nulla virtus est, ad quam Deus, & natura, nos crebrius inuitat. Per singulas Bibliorum paginas clementiæ, & misericordiæ opera inculcat Deus.

*Estote misericordes sicut & pater vester misericors est.*

Ephes. 4.

Ephes. 4.] *Estote inuicem benigni, misericordes.*

1. Petri. 3.] *Estote compatientes, fraternitatis amatores, misericordes.*

*Misericordiam volo & non sacrificium.* Luca. 6.

Natura: quia nullum membrum est quod alterius ope & benignitate non indigeat. Si oneratur manus altera, admouet statim altera & subleuat. *Manus manum fricat.* Si inter ambulandum pes læditur, os clamat, & gemit; manus subuenit. *Vbi dolor, ibi manus.* Si vulneratur aliqua corporis pars, omnis statim eo refluit sanguis, tanquàm periclitanti ciuitati iturus suppetias. Si cor terrore obsidetur, ab extimis membris, quasi præsidiarij milites conuocati classico, sanguis ad Regiam adcurrit. Si verecundia suboritur, fit idem. Adeo vsque verum est illud S. Pauli: *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* 1. Cor. 12. Imo sæpe non attendunt vulnera etiam impendere sibi, sed vt alia præseruent se obiiciunt. Manus se interponit ne feriatur oculus, digiti pro lingua ne calidis aduratur, pes alter pro altero ne corpus præcipitet. Quid? quando vnum membrum casu vulnerauit alterum, non ideo vindictam expetit vulneratum, sed quam potest perfert æquissimè. Vidistisne vnquam pœnam exigi à dentibus, si inter mandendum linguam forte aut labia corroserint? Audistisne vnquam à manu exactam vindictam, si forte carpentarius incerto ictu pedem ascia vulnerauerit; vel postulatum digitum ad pœnam, si incommodè pupillam tetigerit. Natura igitur his omnibus egregie erudit nos ad pietatem, & clementiam mutuam; cum simus inuicem membra humani generis, membra corporis mystici Christi, membra eiusdem Reipublicæ, membra eiusdem monasterij, eiusdem collegij.

Huic insuper virtuti magna Deus promisit præmia, tetribiles verò minas negligẽtibus. Obseruantibus promisit possessionẽ terræ; siue huius mortaliũ, in cuius instabilitate tanquam in fluctuãtibus insulis

corpore versamur; siue alterius viuentiũ, & immortalium, in cuius soliditate corde versari debemus; vera terra promissionis, vnde nobis frumentum & animæ nutrimentũ prouenit: siue etiã terræ nostri corporis, in qua tanquam in tugurio anima nostra moratur. De quacunque tandem terra intelligatur, parum non est promissum. Aut dicamus potius de his omnibus simul intelligi, *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* Benigni, tardè irascentes, citò ignoscẽtes, terram possidebunt; diuites in mundo, pacifici cum Domino, longæui in vita. Quot Reges terras perdidẽrũt, electi regnis, spoliati coronis, & vita, propter inclementiam tam in subditos quam in vicinos?

*Senec. trag.*

*Multis terribilis caueto multos,*
*Inuisa nemo imperia tenuit diu,* inquit Seneca.

Sallust. ad Cæsarem. ] *Equidem ego cuncta imperia crudelia, magis acerba, quam diuturna arbitror: neque quemquam à multis metuẽdum esse, quod ad eum ex multis formido recidat. Eam vitam, bellum aternum & anceps gerere quoniam neq; aduersus, neq; ab tergo, aut lateribus tutus sis, semper in metu aut periculo agites.*

Demosth. Olynth. 2. ] *Non fieri potest Athenienses, vt per iniurias & periuria & mendacia, stabilis potentia comparetur.*

Terent. in Adelph. Act. 1. Scen. 1.
*Errat longe mea quidem sententia,*
*Qui imperium credat grauius esse aut stabilius,*
*Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adiungitur.*

Reges perdunt & se & regna propter iracundiam, propter sęuitiam nimiam, quia nimis inaccessi, nimis immites, quia nihil nisi tonitrua, fulmina, & minas habent in lingua, gladios & sanguinem in manu. Inimicos enim faciunt quos irritant, *non habemus seruos hostes, sed facimus,* inquit Seneca. Et sic exasperatis subditis & vicinis, eos simul in se conspirare faciunt, quoque grauioribus occurrunt pœnis, & plurium demetunt capita, plura succrescunt hydriæ Herculis.

*Seneq. epist. 47.*

Seneca de clementia. ] *Vt arbores quadam vetisa pullulant: ita Regia crudelitas auget inimicorum numerum, tollendo,*

*tollendo*. Et nimis rigidè inquirentes omnia, declarant solum quam multis sint odio. Quod optime intellexit Antoninus Pius Imperator, qui supersederi voluit inquisitionibus, quas magistratus contra coniuratos in maiestatem volebat instituere: dicens non expedire nimium curiosè inquirere de illis qui ipsi vellent male, ne hac ratione constaret, si forte multi inuenirentur, quot haberet inimicos. *Sext. Aurel. Victor in Antonino Pio.*

Quis nescit Sauli festinatam mortem, propter crudelitatem nimiam, tam in Dauidem sibi fidum, cuius opera ipsi tuta fuerat corona, quam contra Sacerdotes Nobe, qui fugienti subuenerant? non tantum quia Deus iniustitias eius punire voluit, sed etiam quia in maxima contra Philistæos necessitate, Dauide primo militię duce exarmatum se sensit, & despoliatum, ac eorum viribus qui Dauidem sequebantur: forte & suorum desertus beneuolentia, quos iam tangebat Regis in vice-Regem iniuria.

Quid dissidit decem tribus, quę cum aliis duabus vnum regnum constituebant Hebræorum, nisi Roboami Regis immisericordia in populum orantem antiqua Salomonis vectigalia nonnihil remitti? Memorabile est quod de Comite Flandriæ refertur, Socero Philippi Audacis,, Ducis Burgundiæ, sub regno Caroli sexti. Hic cum turmam aliquam Gandauensium, quam ducebat Tribunus Launay, gladiis conscidisset, & castris ad Gandauensium muros applicatis misero illi populo truculentus immineret, qui ante dolentes pacem parabant, desperatione & periculi vicinitate compulsi, emiserunt in campum sex hominum millia, duce Artauello, qui ita rem gessierunt, vt cum ventum esset ad manus, medium perfringerēt exercitum, ac sequētes Brugas vsque, & compulerint dedere castrum. Compulsus in arctum, tantam tempestatem ex ignibus quos primum sparserat vidit enatam.

Miserum Belgium, vnde tā topere depressum, quid tam formosum corpus, tam turpiter exartuauit, constans 17. olim prouinciis? nisi sæuitia & implacabili-

tas quorundã, qui pastores missi, lupos egerunt. Pusculum misericordię & benignitatis horum malorum erit remedium. Sed Deo gratias, quod Principes tui hæc paulatim sentire discant, & contrariis mediis iuuare.

Faxit Deus vt vnctiones ipsorum tam sint dulces, vt si eas præcisa membra non agnoscant, dislocata saltem & infirma bene se contineant, & solidentur. Sed spero videre aliquando per gratiam Dei huius corporis redire *ossa ad ossa*, propter notabilem rerum correctionem. Sed melius hæc ab aliis, melius apud alios, quare hæc dimittamus.

Dico igitur nimiam sæuitiam, nimiam inclementiam; magnos viros perdere: quia tot sibi hostes faciunt quot subditos habent; coniicientes eos desperatione in audaciam: & quamuis subditi in ipsos nihil mali moliantur, cœlestes tamen iræ regnum sæpe & viram ipsis eripiunt, quibus per clementiam præfuissent.

*Vide Frossard.*

Si Carolus sextus Rex Galliæ minus cupide vindicare voluisset dissidium Oliuerij Clissonis Conestabilis contra Petrum Craonem, nonne cessisset homini bene? Veniens enim magnis viribus in campum, ducens in Britanniam, contra Ducem, compulso illuc Craone, in sylua Cenomanensi quidam ignotus inter duas se coniecit arbores, sistens appræhenso equo Regem, clara enuntians voce: Rex caue vlterius equitare, reuertere, nam proditus es. Quo attonitus Rex & perculsus terrore, vtique iuuenis & febricitans, cum omnibus Comitibus regressus & pleno impetu extra syluam. Ex duobus verò ministris, quorum alter de more nolam gestabat in capite, alter cum lancea Regis sequebatur, posteriori dormitanti hasta regia in præcedentis tintinabulum lapsa est: cumque ferrum ferro illisum sonitum daret, Rex phantasiis oppletus ingestis ab ignoto illo homine, statim circumsilire cœpit, & stricto gladio vndique diuerberare, quasi versus in furiam: diffugiebant statim seruuli, & ipse neminem

nem agnoscens alta furebat voce *hinc hinc proditores.* Dux Aurelianensis frater eius, Regem sequentem lẽto cursu armata gladio manu, vix agilitate periculum corporis euasit. Rex tandem labore fatigatus, ac equo plane lassato, ab equite captus, & suauiter Cenomanum reductus est, adeo languidus vt vix putaretur superuicturus: quo casu via intercepta, reuocatoque exercitu, tota mansit vita valetudinarius, & cum magno regni malo per interualla phreneſi obnoxius. O quanti ipsi fuisset pluſculum misericordiæ!

Quid dico? & si Deus possessiones ipsis permitteret, ac subditi, promissas à Christo mitibus ipsi se illis & vita spoliant, exedentes ossium medullas, exuentes sanguinem, rodentes cor & carnes, tam feruida, tam crebra, tam longa cholera. Physici enim dicunt biliosa animalia breuioris esse vitę, dantque in exemplum canes, qui vt crebro irascuntur, paucis annis extinguuntur. Dein in perpetuo insidiarum sunt periculo, in perpetua tristitia, quod videant se exosos, & inuisos omnibus, vt Tyrannos. *De Domino loquuntur, quibus coram Domino non licet*, inquit Seneca. Omnes ipsis imprecantur mortem & cœlestia fulmina, malumque exitum, de quo inimici gaudeant. Longæui sunt & terram possident quibus pacata est anima, amant & amantur ab omnibus, grati Deo, qui vt filios & sui similes diligit misericordes: tuti omnium corpore, omnium præsidiis, quilibet enim subditorum suam minus quam Regis amat vitam. Amicos in fide continent, inimicos deuinciunt, & conuertunt ad pacem, atque ita terram pacifice possident. *Seneca epist. 47.*

*In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

Seneca Trag.

*Qui vult amari languida regnet manu.*

Seneca ad Paul. de breuitate vitæ.] *Quanto melius beneficiis imperium custoditur, quam armis.*

Claudianus ad Honor.]

*Non sic excubiæ, nec circumstantia tela,*
*Quam tutatur amor.*

Cicero

Cicero lib.15. Ep.ep.3.] *Mihi in eiusmodi re, tamoq; bello* (Parthico sc.) *maximæ curæ est, vt quæ copijs & opibus tenere vix possumus, ea mansuetudine & continentia nostra, sociorum teneamus fidelitate.*

Sallust. ad Cæsarem.] *Qui benignitate & clementia imperium temperauere, his candida & læta omnia: etiam hostes æquiores, quam aliis ciues.*

Cyri morituri ad Cambysen filium vox hæc apud Xenophontem fuit.] *Non est aureum hoc sceptrum quod regnum seruat; sed amici multi sceptrum sunt Regibus verissimum, maximeq; securum: & non parantur fidi amici vi, sed potius beneficentia.*

Senec. Ep. 47.] *De Domino loquuntur, quibus coram Domino non licet. At illi, quibus non tantum coram Dominis, sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant pro Domino porrigere ceruicem.*

Ante pedes ipsorum subditi obtruncari se sinent, quia illis magis timent quam sibi. Imo benignorum Principum hostes, magis ipsis fauent, quam amici crudelium & sæuorum immitibus. Sola clementia bonos continet, malos emendat.

Seneca Ep 47.] *Quidam cœnent tecũ, quia digni sunt, quidam, vt sint.*

Laudamus nonnunquam aliquem, non quia laudabilis est, sed vt laudabilis fiat, & indicetur qualis esse debeat. Pugiles videmus mirabili stratagemate sternendo se in terram, præcipitate Antagonistas, qui ipsos student pondere quasi obruere: sic in humana conuersatione, cedendo, tolerando, humiliando plurimum quæritur victoria.

D. Gregorius Nazianz. Orat. 3. de pace.] *Adspicite leges palestræ, pugilumque certamina: qui ex ipso, quod loco inferiore iaceant, sæpenumero supernè incumbentes superant.*

Prou.] *Cedendo victor abibis.*

Terent. in Andria.] *Obsequium amicos parit.*

Ouid. 2. de Arte.]

*Obsequium tigresq; domat, tumidosq; leones.*
*Rustica paulatim taurus aratra subit.*

Cogi-

Cogitatis primos leonum domitores, qui ipsos docuerunt reuereri magistros, & sine remorsu verbera & fustes eorum tolerare, vt vidistis aut his diebus videre potuistis in hac vestra Namurcensi ciuitate, tantam à generosissimis & ferocissimis animalibus obtinuisse subiectionem, sine blandimentis, demulsionibus, ac officiis præuiis. Vel videtur vobis primus qui equum conscendit, siue Bellerophon ille fuerit, siue Neptunus, siue Cain, eodem redit, hoc sine benignitate tentasse & patientia?

*Vide Plinium lib 7. ca. 56. Diod. Sic. li. 6. Polyd. Virg. de rer. inuent. li. 2. cap. 12.*

*Cain assentante manu pulchrum demulcet equulum, tergo insilit saltu leui, tenetq; locum belle ac fortiter.* (doctus inquit Barras) *Primum gradi, dein succussare, dein ad cursum erudit. Permittit sæpe cursum nec premit quantum potest, sed paulatim sistit furorem, doctaq; arte postea formatin saltum, hortatur voce grata, ploditq; manu collum: detinet vt respiret, resumatque anhelitum, lentoq; ad stabula vt eduxit reducit passu. Vnum videtur ex vtroque corpus, sensus idem, cum ordine fiunt omnia, cum gratia, & paulatim hic adorari se facit raro artificio, alter bene natum diuturnis exercitiis subsistere leui docet in vestigio, aut agilem pernici ruere impetu, &c.* Vt igitur arte generosa ista animalia seruituti assuescũt, sic & multo magis homo, & subditus ad obtemperantiam erudiendus est. Domina & stimulatrix clementia, diademata Regum capitibus quasi clauo infigit trabali, & vt oleum in mare diffusum componit iratos fluctus, sic illa virtus plane humana, Regia, Diuina, concitatos populos mitigat, regna quietat. Accipite exemplum. Modus quo quotidianas insidias Augustus superauit, non rigida fuerunt supplicia, nõ sanguis effusus. Hac enim ratione instigantur & alij: sed venia quam concessit ad instantiam vxoris Liuiæ, ignoscens omnibus nouissime coniuratis, aliquantulo contentus vexatione, translato Consulatu in Cornelium quendam, inquit Dion. Cassius. Hoc enim clementiæ exemplo ita Romanorũ obstrinxit corda, vt nemo ipsi postea insidiaretur, imo & talium rerum cessarent suspiciones. Operę pretium est hæc paulo lõgius ex Suetonio refer-

*Dion. Cass. hist. Rom. li. 55.*

*Suet. in eius vita.*

referre. Augustus iam quadragenarius, in Gallia intellexit nobilem quendam Pompeij cognatum Lucium Cinnam sibi moliri insidias, accepit etiam vbi, quando, quomodo negotium instituerent: decreuerat enim inter sacrificandum cædem exequi. Dictabatur iam sententia proscriptionis; sed cum Augustus nescio quid interloqueretur, ingressa est vxor Liuia, dixitque: fac Imperator quod Medici, qui cum consueta media nihil prodesse sentiunt, contraria tentant. Nihil seueritate profectum. Condona igitur. Cinna iuuenis iam detectus, vitæ tuæ obesse nihil poterit, gloriæ vero prodesse plurimum. Imperator itaque vocari eum iussit, vt solus cum solo ageret, & tam ipsi quam sibi sedem poni, tum dixit ei, quæso te Cinna ne orationem meam interrumpas, tibi postea loquendi erit tempus. Tum demum pleraque sua in Cinnam recensens beneficia, quomodo ipsi & ex aduerso militanti seruasset vitam, quomodo non de iure in fiscum vindicauit patrimonium, quomodo insuper contulisset ei sacerdotium, quæsiuit tandem quid fecisset nece dignum. Turbato non parum Cinna, cessauit ipsum vrgere vlterius his verbis: Cinna iterum tibi vitam largior, primum quidem vt hosti, iam vero vt insidiatori: ex hac die auspicemur amicitiam, certemus in posterum beneficiis, & videamus vtrum ego tibi, an tu mihi magis vitam debeas; obtulitque ei consulatum. Exitum desideratis rei? Cinna exin amicus ei fuit fidissimus, nec Augusto Cæsari vllæ in posterum tensæ insidiæ. Videre quam sit verum, *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.*

Clementi octauo non cessit male quod in gremium collegerit Henricum quartum, quem antea viderat strinxisse ferrum in Ecclesiam, in regnum, cruentatum sanguine, puluerulentum ruinis, quas cum exercitu fecerat. Nam post istam Clementis clementiam, filium se semper exhibuit Ecclesiæ obedientissimum, pacificum sibi, pacificum regno, quotidie audiens sacrum, cumq; ad consecrationem corporis

poris & sanguinis Domini esset peruentum infallibiliter legem illam S. Ludouici, quam filio suo Philippo quasi testamento scripserat, Carthagine mortiviciuus, vt scilicet sub consecratione cum nemine loqueretur. Magnus enim Henricus ad eleuationem semper ad orandum Deum se componebat, manens ordinariè post illam aliquanto tempore in meditatione (quam Hebræi pretiosam animæ mortem appellant) post illam Clementis clementiam, Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ religionis magnus restaurator Rex factus est: nam in omnibus ciuitatibus à Reformatis inuasis, religionem liberam vindicauit. Imo in ipsaetiam Bearnia anno 1599.

Et quis ignorat quantum pro Catholica Ecclesia fecerit, cum nimirum à magno Turca obtinuit, vt Societatis Patres Constantinopoli habitarent. Clementia igitur Clementis octaui omnia hæc causauit bona. Quare non potest non laudari illud Pauli Quinti Pontificis Romani dictum, qui cum hæretici ad fidem conuersi pedibus eius aduoluerentur, petentes cum lachrymis veniam, aiebat Ecclesiam nunquam claudi redeuntibus; barbaram fore sæuitiam, sæuire in prostratos. Nec minus suauiter paterneque eos recepit, quam pater hic suum Prodigum.

Hic & laudabile Ecclesiæ Catholicæ institutum, cuius axioma: *Velit nolit Nouatus hæreticus, omni tempore gratia Dei (& Ecclesiæ) recepit reuertentes*: omni illos hora recipit. Hoc Ecclesiam inter alia stabilem facit: *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* *D. Cyprian.*

Ideo Christus mandauit Petro remittere septuagies septies, vt indicaret apud ipsam perpetuam debere esse remissionem. Hæc pro terra mortalium.

Si vero hæc terra cœlũ significet, q d vultis amplius? Significatur.n. mites in cœlo beatiores fore, & dignio res; & hoc æquissimũ: quia hic virtutẽ exercuerũt maximè diuinã, & per illam vt filij studuerunt simillimi esse

esse patris. *Estote misericordes sicut & pater vester misericors est.* Luca 6. *Quoniam tu Domine suauis & mitis. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*

Quod si verò carnem nostram significet, nonne magna hæc est promissio? Significat enim quod si mites simus in proximum, carnem nostram experturi simus mitiorem. O facile medium componendi tã longum, tam molestum bellum, rationis & sensualitatis. S. Paulus satis laborauit vt ieiuniis & laboriosis exercitiis illum scopum attingeret, sed estote tantum mites & videbitis effectum. *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram*, corporis sc. Facilius esset alatum equitare Pegasum, vt Bellerophon, aut Dracones vt Medea, aut iugales aurigare Solis equos, quam sine Dei gratia speciali sensualitatem frænare. Videte interim medium verum quærendi hanc gratiam, hoc singulare dominium, tractabilem scilicet esse & humanum. *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.*

Contra eos verò qui virtutem hanc aut negligunt, aut contemnunt, suntne leues minæ? Minatur Deus *iudicium sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam.* Minatur veniam nostris peccatis datam quasi reuocare, si conseruis nostris non condonemus. Hoc docere vult parabola eius, qui debebat mille talenta Regi, cumque non haberet vnde solueret, facile condonari sibi impetrauit: postquam vero Rex intellexit sæuitiam istius in cõseruum, condonationẽ irritauit nouatis debitis: ac pessimè illi omnia successerunt. Immisericordibus & inclementibus omnia sic contingunt: nam Dominus concludit parabolam: *Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si nõ remiseritis vnusquisque fratri suo, de cordibus vestris.* Matth. 8. Sed hæc sufficiant. Imitemur itaque dilectissimi omnes, maximè grandiores, patris huius clementiam, & quantum possibile est illam Christi Iesu: hoc inter cætera principalis parabolæ huius scopus est. *Si quid corrigendum est*, inquit Chrysostomus hom. 24. in 7. Matth. *Corrige quidem, sed noli vt hostis, sed neque vt inimicus, exigens vltionem, sed vt medicus remedia profutura conficiens.*

Simi-

Similiter erigamus ſpem, & cum melancolia ex peccatis nobis obrepit premitque animam, recordemur qualem habeamus patrem magis quàm iudicẽ. Quam miſericordem, vt nobiſcum tranſigat; quomodo Prodigum tractauerit pœnitẽtem, grauiſſimis obſitum peccatis, quam ſuauiter, quam amicè, vt nihil ſponſus amatiſſimæ ſponſæ vltra facere poſſit. Ac tali fiducia adeamus ad thronum, tali pœnitẽtia cum Prodigo redeamus ad Deum. Huc maximè pœnitentiam & reditum eius propoſui, hoc Aduentu, iſto labore quo vidiſtis. Quid tam diu deſidemus in vitiorum noſtrorum ſterquilinio? Surſum, peccatores, Surgite dilectiſſimi, cùm peccata nos circumſtent, retrahamus quam citiſſimè pedem, *exurge*, cum Prodigo, *qui dormis & illuminabit te Chriſtus. Hora eſt iam nos à ſomno ſurgere.* Siue neceſſitate corpori, ſiue infirmitate in curis & operibus verſanti obrepſerit. *Dormitauerunt omnes & dormierunt*: omnes, omnes etiam prudentes Virgines. *Matth. 25*

Horat. in arte.

*Quandoq; bonus dormitat Homerus.*
*Atq; opere in magno fas eſt obrepere ſomnum.*
*Errare, labi, decipi, peccare, humanum eſt.*

Non decurritur hæc vita niſi interpoſito aliquãto ſomno. Oportet tamen ſicut non ſemper dormit corpus, ſed aliquando reuigilat, & ſurgit, ſic & animas ex profundo peccati ſopore aliquando ſuſcitari.

Surgite, ſurgite, ecce Prodigus noſter ſomnolẽtiſſimus, grauiſſimus, negligẽtiſſimus omnium qui fuerunt vnquam, expergiſcitur *in ſe reuerſus*. Surgamus omnes, quid ita ſomnum noſtrum amamus, ſpaſmum & furorem voluntarium? Si ad rabiem pellendam viſitamus S. Hubertum in Ardenna, vel S. Reinaldum in noſtra Hannonia, Si Oreſtes vt liberaretur à furiis Dianam adiit Tauricam, imo quis non adiret Anticyras & centies voraret Helleborum, quis non biberet alacriter aquas Marath: imo quis non ſineret aperiri ſibi caput & fila quædam ſtolæ S. Huberti inſeri (Sancti verè nobis mirabilis, & ipſis venerabilis

hæreticis) & cur pro periculosiori furia, quæ aut sine peccato non est, aut ipsa peccatum est, aut a peccato procedit, aut peccatum causat pedem non mouebimus? nec latum à loco decedemus, vnguem? Pernos stat, dilectissimi, quominus à furoribus nostris liberemur: cooperemur, admoueamus cum Dei gratia manum operi, *qui creauit te sine te, non saluabit te sine te*, inquit S. Augustinus. Cur in phreneti manebimus desperata sanitate, cùm vnus ex maximè phreneticis iam ad se redeat, totus Dei gratia restitutus? *Insanitem reuersus*, redditus sensibus, redditus menti. Si secuti estis furorem ipsius, sequimini etiam correctionem. Quia ipse præcedit, ideone vobis erubescendum sequi? quisquinque sit, sequendus est tanquam dux, si bonum iter ineat. Quæ miseria ita insanire, vt ad mentem redire nobis, mori & nolle reuiuiscere?

*Vt corpus redimas ferrum patieris & ignes.*

Iob 2.] *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.*

Vestis omnis ponitur, imò & pellis, vt corpori vita constet. *Vt mors vitetur pene mors ipsa suscipitur*, inquit S. Augustinus. Vt declinetur, centum mortes vna vere grauiores tolerantur: & quis mortuus, ex iis quos gloria necdum suscepit, non optaret millies vel vna die ad vitam redire, vt quæ perperam egit emendet. Quod corpus mortuum non appetit naturaliter animæ vt materia formæ vnionem? quæ anima beata vnionem corporis non petit, & secundam vitam in gloria? Quæ mulier iniquè repudiata maritum non suspirat? Misera igitur & deploratissima res est, auertendam animæ mortem, ad conseruandam gratiæ vitam, ad recuperandam perditam, & reuiuiscentiam, tam parum à nobis fieri miseris & insensatis, qui nihil omittimus vt minimam corporis inualitudinem vel deformitatem curemus. Videmus, reuidemus, laudamus, obuoluimus, mille linimus vnguentis, currimus, fatigamur. Ferrum pateremur & flammas si reiuueneſcere liceret, lapides pateremur molares, stringeremus nos per angusta cum ser-

pentibus

pentibus foramina, iremus per ignem, excoriaremur viui, vt Sisanes, aut S. Bartholomæus permitteremus nos particulatim à Medea dissecari, lixaremur in cacabo, concoqueremur in herbis, vt Aeson quidam, vel in oleo, vt S. Iohannes Euangelista: exureremus nos libenter in nidulo sicut Phœnix, modo certi essemus de redituræ iuuentute, ac renascentia formæ & vigoris. Ne in lupos transformaremur vt Lycanes, ne in boues vt Nabuchodonosor, nè in porcos vt Vlyssis socij, quid non agereinus, quid non toleraremus? Vt euaderemus ex carcere, vt liberet vxorem ac filios quis non iret ad inferos, cum Orpheo propter Eurydicem, cum Cerere propter Proserpinam, cum Theseo propter eãdem, cum Æneas propter suum patrem, vt poetarum habent fabulæ: vel vt reuera Christus propter detentas sanctorũ patrũ animas, vt fidei nostræ symbolũ docet. Sed quæ miseria est ad animæ internam libertatem, ex bestia in hominem transformationem, ad reuiuiscentiam, nec digitum à nobis moueri, nec oculum claudi? O ignauiam! ô negligentiam mille dignam infernis!

Vale. Flac. in Argonaut. Ouid. 10.

Cant. 6.] *Reuertere, reuertere Sunamitis.*

Isaię 19.] *Intra in cubiculà tua.*

Matth. 6.] *Intra in cubiculum tuum.*

Isaiæ 46.] *Audite me, duro corde.*

Septuaginta habent.] *Audite, qui perdidistis cor.*

Ibid.] *Redite prævaricatores ad cor.*

Isaię 47.] *Sede tacens & intra in tenebras filia Chaldæorum.*

Pers. Saty. 4.] *Tecum habita, vt noris, quam sit tibi curta supellex.*

Hieremiæ 31.] *Vsquequo deliciis dissolueris filia vaga.*

Per fidem vestram dilectissimi, nonne Prodigo deteriores sumus? ipse enim fuit olim quod vidimus, & semel *in se reuersus* pro semper, videre quomodo tandem à tot peccatis se receperit? *Cõuersus sum in ærumna mea dum configitur spina.* De nobis autem dici posset, *Indurauerunt facies suas supra petram & noluerunt reuerti*: mordent frena, nec in viam redeunt,

Psal. 31. Ierem. 5.

quam deseruerunt. Similes bestiis indomitis, quæ semel perfractis elapsæ clatris, nec capi iterum nec reduci se sinunt.

Sunt vt Gryllus quidam ex societate Vlyssis, qui, vt refert Homerus, semel ex homine mutatus in porcũ, carminibus Cyrces meretricis aut veneficæ, ita porcorum vita delectatus est, vt redeuntibus ad priorem formam sociis, ipse iterum homo fieri noluerit, persuadere etiam laborans aliis vitam illam humana meliorem. O obstinationem! ô impœnitentiam intolerabilem! cur non dicimus potius Deo, *conuerte me Domine, & conuertar ego*, vel cum Heliseo, *Domine Deus meus reuertatur obsecro anima pueri huius, in viscera eius.*

3. Reg. 17. Et qua ibimus quam breuissime ad recuperandam pulchritudinem? nisi in nos ipsos? Si suadeamur item auras, sublimitas & alarum defectus nos excusabunt. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ*: si ad mundi fines, pericula, sumptus, fatigatio, æstus, frigus, deserta, plagæ aridæ, & ignotæ linguæ, nos possent retardare (*Populi ignoti sermonis: Barbarus hic ego sum, quia non intelligor vlli*: diceremus nos) Deus autẽ nihil aliud postulat, nisi vt reuertamur in nos, & ibi cum Prodigo aliquantum subsistamus. *In se reuersus: nosce teipsum.* Quã breuis via, quàm facilis, qua venitur ad proprium cẽtrum. Aperiendus tandem est oculus, & claudendus; ad externa: mutanda affectio. Ecce magnum hoc & sanctum iter sine motu sine periculo cõficitur. *Aliud est migrare corpore, aliud corde. Migrat corpore, qui motu corporis mutat locum; migrat corde, qui motu cordis mutat affectum*, inquit magister Theologorum. Dein Deus & bonus Angelus nos illuc deducunt, nescio quæ nos Sybilla comitetur.

Psal. 54.

Lib sentent. ex Aug. & aliis tom. 3. oper. Aug. sent. 341.

Exodi 34.] *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paraui.*

Cant. 2.] *Introduxit me Rex in cellam vinariam.*

Deus lucentem columnã ignis nobis dat vt Israelitis stellam flammantem, vt tribus ab Oriente Regibus: manu nos trahit. *Trahe me in funiculis Adam.* imo

& por-

& portat nos. *Dominus dux eius fuit, atq; portauit in humeris suis.* Ne dicamus, nimium,

*—facilis descensus auerni.*
*Sed reuocare gradum superasq; euadere ad auras,*
*Hoc opus hic labor est.*

Deus gratiæ suæ funes demittit, vt nos sicut Ieremiam de lacu extrahat, sicut Danielem, sicut Iosephũ de cisterna. *Extraham te in sagena mea,* inquit apud Ezechielem. Deus deducit suum fusum, & filum gratiæ, sicut Ariadne ad educendum de labyrintho Theseum. O quam malum est, nolle videre domum suam desertam, & se desertum pati! i. velle vt corpus vacuũ sit sine anima tabernaculum! O quam malum est desiderare domum à fabro factam habitari, ne corruat, ne corrumpatur, ne venenatis seruiat animalibus, aut spectris, aut lemuribus; & nullam habere curam domus Dei manu factę, quæ nos sumus, ne bestiis impleamur, & peccatis! O quã malum est velle habitare in aliena, cùm habeas propriam, quæ necessario habitari debeat: id est, alienas semper scrutari actiones, alienam vitam, cùm in nostra tam multa notanda, & tam multa corrigenda sint? *Si te vigilanter homo attendis* (inquit S. Bernardus) *mirum est si ad aliud vnquam intendas.* Tot oculi quot erant in animalibus quæ vidit Ezechiel, vndique plena oculis, tot quot habebat Argus, qui vndique illis cingebatur, imo quot hiberna nocte in firmamento stellæ, non sufficerent vnicuique nostrum vt satis nos ipsos inspiceremus.

*Ierem. 8. Daniel 14. Genes 37. Ezech. 29.*

*D. Bern. ser. de obedient. patt. & sapi. & ser. 38. in Cant.*

Quare igitur illos declinabimus in alios? flectamus illos potius in ædes nostras, in sinum nostrum. Reuertamur cum Prodigo, reuertamur in nos, & discamus nos ipsos, miserias nostras, peccata, imperfectiones, eaque agnoscentes humiliemus nos, monstremus, confiteamur Deo per Vicarios, per præsides ad hoc cõstitutos: illorum manus & verba sanabunt nos, & restituent animas in statum meliorem, quàm vnquam fuerint; multo commodius, multo certius quam vani promittunt Chymici curare corpora eorum, qui lapide vtuntur philosophico, iactãtes adeo

ſuperlatiue auri ſui ſemina, vt ei etiam tribuant virtutem arboris vitæ, imo vt dicere audeant arborem vitæ Adamo propoſitam, nihil aliud fuiſſe quam lapidem philoſophorum. Eamus cito, cito, ad magnum hoc opus pœnitentiæ, cum noſtro hoc Prodigo: & ſaniores quam vnquam noſtrę redibunt animæ Eamus ad patrem miſericordię; Ille nos expectat, ille nos vocat, ille nos inclamat. Eamus, abiiciamus antiqua veteris Adæ ſcruta, iile nos nouo induet Adamo, Chriſto Ieſu: & ita nos hic adornabit, ita abſoluet, omnibus gratiæ partibus, vt cum fiducia poſt hanc vitam inter Cœlites ad perpetuas Agni nuptias, veſtiti veſtenuptiali ingredi audeamus. Concedat hoc omnibus nobis Dominus. Amen.

*REGI SECVLORVM, IMMORtali, inuiſibili, ſoli Deo, ac Beatæ Mariæ ſemper Virgini, ſtudiorum & conatuum meorum patronæ chariſſimæ, honor & gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen.*

FINIS.

AD LE-

# AD LECTOREM.

*NOTET LECTOR CANDIdus: Cum Academiæ peccatorum sint partes quatuor, & antea constitutum fuisset nobis, singulis partibus addere singulos Indices; tandem (nescio quo interueniente casu) mutauimus consilium, & quatuor Indices conflauimus in vnum. Quatuor igitur numeri, 1,2,3,4, singulas partes; qui his subiiciuntur, partium earundem pagellas indicabunt.*


A

ABBAS quidam factus, ab omnibus nominabatur cognatus & affinis; antea verò simplex adhuc & gregarius religiosus à nemine noscebatur 4.341.

Abel iustus, liberaliter institutus 1.200

Abeundi verbum ad gentiles applicatum, 3.72. Hæreticis accommodatum Ibid. & 76

Abner fugiens seruatus 3.15

Abner qua voce Ioabū à persequendo compresserit 4. 314

Abrahami ad Lotum verba 4.93

Absalon regni cupiditate vacabat audiendo populo 4. 417

Absalonis in Hebron peregrinatio malæ intentionis 4.242

Academici & Stoici de vita misera & beata quid senserint 2.147

Acarnanius Porcellus 3.188

Achæus Lydiæ rex auaritia necatus, in aquis Pactôli pependit 3.148

Acolastus vnde Græcè dictus 1.377

Acrimonia nunc vtendum, nunc lenitudine 2.18

in Actione quauis plurimum valet intentio bona. 4. 237

Actorum loca 4.99.104384

Adagiorum sylua 3.66

Adam si nō peccasset, an verbum

Pp 4

bum fuisset incarnandum 2.190
Adamus perniciosè misericors, & perniciosè crudelis 1.177
Adhæreo, κολλάομαι 3.28
Adolescens & peccator idem 1.120
Adolescentes nullos admittebat Aristoteles ad Ethica 1.115
Adolescentibus prodigalitas propria 1.392
Adolescentia lubrica 1.45
Adolescētia peccatoris temeritatem denotat 1.162
Aduersa aperiunt oculos hominum 4.20
Aduersa magis, quàm prospera conducunt aliquibus 4.26
Aduersi nihil passo nihil infelicius 2.137
ex Aduerso ascendere quid 4.272
Ægris animo diætica medicina 2.267
Æliani locus 3.120.121
Affectuum suorū Dominus, Deo similis 4.556
Agreste dicimus, omne ferum & immite 3.158
τὰς Ἀγρὰς, cur dictum pluraliter 3.166
Alberti Magni locus 4.256.257
Alcibiadis iuuenta 1.115
Alexander Magnus ægrè tulit Aristotelis publicari scripta, inuidens ea plebi 4.408
Alexander Magnus in prælio contra Indos, in summo periculo desertus à suis, vt euaserit 4.336
Alexandri Magni equus 3.33
Alexandri Magni superbia, diuinitatem affectantis, 4.23. Egregiè castigata Ibid.
Alexandri Magni in Darium Persarum regem clementia 4.358
Alimentū hominis nobilissimum panis 4.279
Alphonsi in Caietanos clementia 4.558
Altari seruiens, de altari viuat 4.250
Amaltheæ cornu 1.108
Amasis Ægyti regis, & Polycratis Samiorum historia memorabilis 4.30
Amator omnis militat 3.139
S. Ambrosij locus 3.124.309. 4.18.256.263.309.572.574.576
S. Ambrosij locus 4.511.530.534.549
Ambrosij Noui D. loci 3.184
Amicorum sunt omnia communia 4.304
Amor liberorum cæcus 1.303
Amos prophetæ locus 3.46. 4.302
Amphora cœpit institui: currente rota cur vrceus exit? 1.71
Anaximandri error 1.177

Anaximandri de tonitru sententia 2.38
Androgynis comparati peccatores 3.249
Anginam prætexenti, quid obiectum Demostheni 4. 266.
Angli à Gallis victi, & iniquis conditionibus arctati, resumptis eos viribus in fugam vertunt 4.355
Animarum dignitas 4.84
Animarum rationaliũ transformatio non est realis 3. 236
Animarum transfusio Pythagorica falsitatis plena 3. 243
Animi alimentum sunt virtutes 2.249
Animum rationalem qui petat à Deo peccator necdũ existens 1.239
Animorum nostrorũ cibus, solus Deus, 2.236. Abyssum nihil replet inferius Deo Ibid.
Annulum accipere à Principe aut Rege, nu. 238. honoris erat, 4.559. Accepit Aman ab Assuero, Ibid. & 560. Ioseph à Pharaone, Ibid. 560. Philippus ab Antiocho, Ibid. Prodigus à patre suo Ibid.
Anselmi locus 4.52
Anser Capitolium Rom. seruauit incolume 3 182
Antiochi Regis equus 3.33
Antiqua præferuntur nouis 1.202
M. Antonius apud Ciceronẽ famosus 1.193
Antonius & Paulus Eremitæ, à coruis pasti 4.290
Antonio Philippus proximè accedebat 4.380
Apocalypseos locus 3. 247. 291. 4.104
Appetitus immoderatus secundum tactum, luxuriæ est definitio 1.374
Apri etymologia 3.179
in Aqua & pane ieiunium fortissimum 4.283
Arbitrij libertas astruitur, 1. 320. Autoritate Patrum, Ibid. Philosophorum concessu Ibid. 328
Arbitrij libertate bene donauit nos Deus 1.330
Arena cedere 1.174
Aristides cognominatus iustus, inuisus Themistocli, & in exilium ablegatus, 4. 191. Xerxe Persarum Rege Græciam inuadente, reuocatus ad patriæ defensionẽ Ibid.
Aristidis & Themistoclis cõsilio, parcendum hosti iam deuicto 4.354
Aristodemus Aricinorum tyrannus, Gymnasiis & scholis sublatis, effœminauit iuuẽtutis educationem 4. 408
Aristoteles ad Ethica nullos

admittebat adoleſcentes 1. 115
Ariſtotelis locus 3.15.121.180. 187.254. 4.159.392.527
Arnobij locus 4.32
Ars inuenta per egeſtatem 3. 145
de Arte ſua quiſque libenter verba facit 4.300
Aſael inſequentem ſe occidit 3.13
Aſceres dictus Baſilio monachus 3.37
Aſinum viuere, id eſt, aſininè 3.226
Aſotus quis dicatur 1.375
Atheorum inſipientia 1.187
Attica Muſa dictus Xenophõ 1.280
Auaritia ad ſcelera impellit 1. 98
Auaritia ſenibus propria 1. 392
Auaritia incurabilis eſt 1.393
Auaritia diſcordiarum inter fratres autor 4.428
Auaritiæ vindex hæreſis part. 3.72. Mala Ibid. vide Cupiditas
Auaritiæ pœna 3.148
Auaro tam deeſt quod habet, quã quod non habet 4.318
Auguſti Cæſaris in Cinnam clementia 4.358
S. Auguſtini locus 3. 12. 30. 65.81.103.124. 232. 234.236. 240. 242. 279. 293. 309. 4. 11. 43. 74. 113. 120. 132. 134. 136. 138. 213. 228. 232. 234. 247. bis, 319. 327. 329. 384. 391. 471. 472. 473. 501. bis, 524. 525. 527. 530. 532. 551. 574
Aulæ vituperatio & laus 3.43. 44
in Aulis principum ſunt inordinatè tria 3.324
Auri fames pernicioſa 1.98
Autoris carmen 3.316

B

BAbylonis muri coctiles 1. 218
Bacchi ſacra impudica 1.418
Barlaami locus 4.577
Barthæ Galli locus 4.485. bis, 587
Baruch locus 3.104. 115
D. Baſilij locus 4.473
Bec apud Phryges & Belgas panem notat 4.285
Bedæ locus 421. 352
Beelzebub dæmoniorũ princeps 1.182
Belgicæ pacis conſtituendæ rationes 1367
Belial filij quinam 1358
Bellerophontis & Vriæ literæ 1.346. 347
Belli ſignum apud Romanos 1.163
Bello quatenus mitior fames 2.14
in Bello quid poſſit fames 2.25
S. Bernardi locus 3.13. 44. 56. 61. 62. 74. 131. 165. 201. 229. 244. 262. 324. 349. 366. 572
D. Bernardini locus 3.190

Berrhorij locus 3.310
Bestiæ moderatè sunt tractandæ 4.353
Bestiarum fides erga Dominos 3.33
Bestiarum nomine etiã ignari vocantur 3.248
Bibentes ad numerum 1.381
Blondi locus 3.30.31
Boethij locus 3.225.226.335. 246.255. 4.182.229.240
S. Bonauenturæ dictum, interrogati à marito principis fœminę, cur eam sic intentis oculis obtueretur, 4. 245. Locus Ibid. 312
Bona cur malis admixta in Prodigo 3.23
Bona terrena sunt vmbra cœlestium 2.245
Bonorum malorumve cõsortium quantum valeat 2.67
Bos in lingua 4.267
Boskeri epigramma in Curiã 3.44
Bubulci conditionem Prodigus maleficiis præstulit 3.138
Bucephalus Alexandri Magni equus 3.33
Bulimia 2.11
Bulimia, quæ fames 2.219
Bulimia, morbus equorum 2. 219

C

CÆlij Rhod. loci 3.86.183. 308
Cæsar Borgia Dux Valentinensis, 2.113. Aut Cæsar aut nihil Ibid.
Caij Põpeij lex aduersus parricidas 1.108
Caini errores 1.184
Caini occisor Lamech 4.546
Calamitates iustorũ spectatoribus prosunt 2.114
Calamitatibus iustorũ Deus honoratur 2.115
Calixti locus 3.88.107.163
Caluini locus 3.75.260. 4. 469.
Camillus in exilium deportatus: sed Roma à Brenno & Gallis capta, ad vrbis defensionem reuocatus 4.191
Campis cedere 1.174
Canis reuersus ad suum vomitum 4.162
de Cane memorabilis narratio 4.153
Canum somnia, panes 2.12
Canũ erga dominos fides 3.33
Canities morum 1.112
Canticum Simeonis 4.401
Cãticorum locus 4.164 482. 567.568
Capitolium Romanum anseris beneficio seruatũ 3.182
Caritas perfecta mittit foras timorem 1.366
Carnis vitia velociter fugienda 3.11
Carnium appetentes diuinitus puniti 4.324
Carolo Sexto Gallorum Regi male cessit vindicta dissidij inter Oliueriũ Clissonẽ & Petrum

trum Craonem 4.584
Cartomes insolens adductus in iudicium à patre 1.274
Cassiani loci 4.36.530
Cassiodori locus 4.313.314
Castitatis prælia durissima 4.133
Castoreum, ex animaliũ genitalibus pharmacum 3.94.
Catharinæ, puellæcuiusdam, fornicationes suas nunquam confessæ, miserabilis historia & exitus 4.504.505.506
Catilina seditiosus 1.193
Catilinæ mores 3.26.27
Catonis locus 4.29.60
Catus quamdiu liber, catus est: sed vim passus in clauso loco, fit leone ferocior, furore ac robore incredibili 4.356
Caupona meritoria 3.122
Cauponariæ & meritoriæ 3.122
Charundæ locus 3.121
Chij sellas incãtabant Ephororum 1.363
Chilon extinctus gaudio, deploratus & sepultus à tota Græcia 4.41
Χοιρίον, & χοιρίδιον, quid 3.188
Χοιροπωλεῖν, ambiguæ significationis verbum 3.188
Christiani Dunthmari locus 3.147
Christiani salui non erũt per verba, orare, ieiunare, eleemosynam dari, aliaque opera bona facere: sed per aduerbia, bene, recte, hoc est, bona intẽtione, & absque vitio, orare, ieiunare, eleemosynam largiri, &c. 4.242
Christus pater Prodigi. Patr. 68.73
Christus orator eximius 3.173
Christi seruatoris nostri clementia 4.366
in Christi seruatoris breui responso, Ego sum, quanta virtus 4.356
ad Christi vitã accedebat vita S. Francisci 4.380
ad Christum accedit optimè Veronicæ imago 4.380
Chrysologi locus 4.38.184.229.352
Chrysostomi locus 3.23.65.71.196.204.208.209.249.4.91.348.535.590. Loci tres Ibid. 527
Chusai erga Dauidem fides 3.30
Cibus animorum nostrorum solus Deus 2.236
Ciborum deliciæ 3.296
Cicero ciuitate non pulsus 2.6
Cicero dictus à Sallustio, leuissimus Senator, mercenarius patronus 4.265
Ciceronis locus 3.6.24 31.32.44.45.53.81.93.95.96.173.187.

187.255.307.312.313. 4.27. 61. 68. 74. 153.166.174.183. 188. 191. 238. 305. 306. 308. 309. 357. 359. 364. 428. 437. 586. Loci, 4.252.264.265. 274. 275. 319. 345. 473. 517. 554. 556. 575. 577.
Ciceroni obiecta à Saluſtio 4.265
Ciconiæ pietas in parentes 1. 106
Ciuis & princeps regionis, Diabolus 3.98
Ciuis excipiens Prodigum famis tempore, qualiter ſe habuerit 3.128
Ciui adhæſerunt gentiles, 3. 106. Hæretici Ibid.
Ciuitates duæ totius mundi 4.145. & ſeq.
Claudiani locus 3. 94. 145. 4.29.224.354.355.365.585.
Clementis Alex. loci 3. 107. 132.136. 4.304
Clementi octauo bene ceſſit, quod in gremium ſuum receperit Henricum Quartum Regem Gall. 4.588
Clementiæ exempla 4.358. 359. & ſeq.
Cleobuli philoſophi ſymbolum 1.24
Cochlæi locus metricus 3. 268
Codri Vrcæi locus 3.226
Comiti Flandriæ ſua immiſericordia damno fuit 4. 583
Concilij Triden. locus 3.132
Concionatori non tractanda ſublimia 1.41.42. &c.
Condimẽtum cibi optimum, fames 3.286
Cõfeſſio Prodigi quæ fuerit, & quæ debeat eſſe noſtra 4.491
Confeſſio non integra damnationi obnoxia 4.502. & ſeq.
Confeſſio auricularis cur videatur non eſſe iuris diuini, 4.519. Cur omnino ſit neceſſaria Ibid. 512
Confeſſio auricularis à Deo mandata, vt cõfitentes verecundiam toleremus loco pœnæ, 4. 525. Et humiles facti ſaluemur Ibid.
Confeſſionis formula 4.492
Cõfeſſionis integritas neceſſaria 4.498
Confeſſionis integræ faciendæ modus præſcribitur 4. 506.507
Confeſſionis à ſacerdote non reuelãdæ neceſſitas & certitudo 4.531.532
in Confeſſione volentes à ſacerdote de peccatis omnibus interrogari, malè faciunt 4.508
ſine Cõniugio ſolitudo, in coniugio ſolicitudo 1.40
Conſcientia bona quantum valeat 4.227
Conſcientia diurnæ vitæ ſub noctem diſcutienda 4.509
Conſcientiæ libertas dãnata 1.358

Conſi-

Consilia pro re nata mutare, prudentis est 4.166
Consortium bonorum malorumve quanti 2.67
Consuetudo potens 1.365
Consumere omnem vim eloquentiæ: omnem pingendi artem: omnes affectus, &c. 2.208
Contingendi verbum dativo iunctum, & accusativo 1. 214
Contusio vel plaga humida & purulenta 1.351
Conuasare omnia, & in vnam summam redigere 1.373
Conuersionem in melius meditari, præclarum est 4.367
Conuiuij lex optima 3. 285
Copæ locus 3.234
Coquorum perstringitur insolentia 3.272
ad Corinthios locus 4.71.109. 231.232
Cornelij Galli loci 3. 299. 305
Cornu Amaltheæ, seu copiæ 1.108
Cornum, & Corna 3.273
Corporis sensuumque seruitus 2.293
Corpora transformata non sunt realiter 3. 236
Corpora non agunt in spiritus 2.245
Cras, cras, procrastinatorum vox, nihil vnquam agentium 4.435
Creaturæ omnes vanæ 2. 242
P. Criniti loci 3.245
Crocodili & seruorum lacrymæ falsæ 4.311
Crudelitatis in liberos exempla 1.309
Crudelium exempla 3.24
Cupiditas auaritiaque radix omnium malorum 3.72
Cupiditas habendi discordiarum inter fratres autor 4. 428
Curiæ vituperatio & laus 3. 43.44
Currus rotarum quatuor sub ala muscæ tectus 3.250
Cypriani loci 3.12.13.74.195. 4.349.371.397.598
Cyri Persarū Regis ad Cambysen filium verba 4.586

## D

Dæmones, seu phantasmata, in Africę deserto 3.195
Dæmonum lubricitas 3.189
Dæmonum imbecillitas 3. 193
Dæmonum & porcorū conuenientia 3.190
Dæmonum porcis similium genera tria 3.191
Damnatis capite de trib. pœnis optio data 2.13
Daniel illæsus mansit in lacu leonum 4.200
Danielis locus 4.231.311

Dauid ad Achis regem Geth profugus quanti fuerit apud ipsum 4.447
Deliciæ ciborum 3.296
Delos, quæ & Ortygia, terræmotu concussa, part. 3.126
Demonica proditrix Ephesi, auri pondere oppressa 3.148
Demosthenis locus 4.575.582
Demostheni obiectum angiham prætexenti 4.166
Despauterij versus 4.517
Deus creaturæ non est similis, etsi creatura Deo similis est aliquo modo 1.65
Deus vbique est 1.402
Deus medicus tribulationis medicamentum 2.13
Deus ad iram quo tardior, eo seuerior 2.36
Deus honoratur piorum calamitatibus 2.115
Deus impiorum supplicia cur differat aliquando 2.154. & deinceps
Deus solus animorũ nostrorum cibus 2.236
Deus præmia nobis & pœnas proposuit 4.225
Deus vbique est 4.481
Deus à nobis prope est, nobiscum est, intus est 4.481
Dei membra, vt manus, brachia, pedes, &c. 1.67
Dei subditorum genera tria 4.218
Dei seruus minimus, omni parte felicior maximo Diaboli ministro 4.262
Dei sunt omnia 4.304
Deo simul & mundo vacare non possumus 4.112
Deo per loca neque appropinquamus, neque ab illo remouemur 4.481
Deo nihil inferius abyssum replet animi nostri 2.238
à Deo creata omnis substantia 1.179
à Deo recedenti quid accidat 1.415
à Deo dilectorum paucitas 4.561
Deum esse gens omnis credit 1.188
ad Deum reuersurus, aliis expediat sese occupationibus 4.106
in Deum pugna triplex 4.126. 127.128.129
contra Deum peccator manus vt leuet 1.165
Deorũ Hesiodo triginta millia 1.191
Deuteronomij locus 3.106
Diabolus impiorũ dominus 3.97
Diabolus, ciuis & princeps regionis 3.98
Diabolus ducit in triumphũ peccatorem 3.142
Diabolus author diuisionis 3.167. Hæreticos vt mittat in villam suam Ibid.168
Diabolus peccatori plurimas volupta-

voluptates cur inuideat 3.329.330
Diabolo villæ sunt plures 3. 158
Diætica medicina animo ægris 3.267
Didaci stellæ locus 3.101.205
S. Didaco fratre laico viuēte, cùm fames publica duraret, in conuentu fratrum Minorum erat omnium rerum copia 4.291
Didonis Virgilianæ dira imprecatio 4.147
Dies in medios dormire 2. 156
Dij gentium vulnera & mortes passi 1.164.192
Diogenis dictum de vxore nō ducenda 1.89
Diogenis ratiocinatio, cur sapientum sint omnia 4. 304
Diomedes Venerem vulnerauit 1.164.192
Dionysij Areopagitæ locus 4.471
Dionysij Halicarnassæi locus 4.408
Discentem onerat multitudo librorum 3.40
Dissipare quid 1.398
Distantiæ varia genera 1.404
Diues vnde dictus 1.382
Diuites huius seculi ne sublime sapiant 1.252
Diuini verbi vtilitas 3.69
Diuisionis author diabolus 3. 167
Diuitiæ libidinis fomentum sunt 1.383
Doctis inter libros iucunda conuersatio 4.485.486
Domini vox timoris est, patris amoris 1.217
Dominum diligere cur teneatur seruus 3.33
Dominorum in seruos officium 3.21
in Dominos officium seruorum 3.29
erga Dominos seruorum debes 3.29.30
Dormire in medios dies 2.156

E

Ecclesiastæ locus 4.211. 229.303
Ecclesiastici locus 3.205. 4. 319
Echeneis, seu remora 2.69
Educatio liberorum prima semper manet 1.279
Educatio liberorū ingenua, gloria parentum est 1.287
ex Educatione mala liberorum, dolor est parentum 1. 290
Egestas à paupertate quid differat 2.256
Egestas artis inuentrix 3.145
Eleusin vrbs 3.116
Elias pastus à coruis in deserto 4.290
Eliæ accedebat S. Iohannis Baptistæ vita. 4.380
Elisabeth Iesabel, Angliæ regina,

gina interfectrix Mariæ Stuartæ Scotorum reginæ 2.136.137
Empedoclis error 1.177
Ennij locus 4.273
Enoch prophetauit 1.156
ad Ephesios locus 3.98.130
Ephororum sellas incantabant Chij 1.363
Ephpheta quid 1.152
Epicuri de Diis sententia 4.483
Epitheta seruorum cõtumelioſa 3.134
Equa annosa & bellicosa, cõgressura cum leone, vngulæ suæ vnico ictu stratum in terram, seminecem reliquit 4.356
Equus artificiosè sculptus, viuentis instar 4.86
Equorum erga Dominos fides 3.33
Erasmus impius in B. Virginẽ 4.475.476. Et alios Sanctos Ibid.476
Erasmi error de Sanctorum suffragiis 4.455
Erasmi locus 3.293
Eremitæ nũc ab Angelis, nũc à coruis pasti 4.290
Erubescentia in reprehensione virtutis est 4.183
Esse de facto, & non esse adhuc, sed posse esse in intellectu, &c. 1.31
Ethai fidelissimus comes Dauidi 3.29
Eucharistia sacrosancta à quodam hæretico impugnata 2.45
Eukæria & Eutapia 2.155
Euripidis loci 3.166
Eusebij Cæsar. locus 4.107
Euthymij locus 3.178.204.294
Exempla Sanctorum inuocationis, qui viuos adiuuerint 4.464. & seq.
Exhæredari quibus de caussis possint liberi 1.215
Exodi locus 3.166.167. 4.165.172.292.388
Ezechielis locus 3.90. 4.272.282

F

FAbæ albæ & nigræ 2.179
Fabrorum insignium exẽpla 4.86
Famæ proprietas 4.538
Fames quatenus bello mitior 2.14
Fames in bello quid possit 2.25
Fames remedium commune 2.26
Fames non immittitur, nisi propter immania scelera 2.40
Fames afflixit vniuersam prouinciam, & quare? 2.58. Et innocentem fortè Ibid. 65
Fames bouina, seu vaccina 2.19
Fames qua laborabant publi-

cani, 2.249. Gentilium Ibid. 259
Fames optimum cibi condimentum 3.286
Fames & sitis quid, 2. 199. Sacra Ibid.
Fames Parisiensium 4.280
Famis malum superat omnes passiones, 2.17. Epitheta varia Ibid.
Fame afflictus Prodigus cur illico non redierit ad parentem 3.4.17
Fastus & superbiæ vindex hæresis 3.73
Fertilitatis symbolum, papauer 1.33
Ferrum & immite quiduis, agrestum vocamus 3.158
Feuardentij locus 4.125
Ficulum præsidium 1.192
Filius est sapiens, qui patrem suum norit 4.206
Filij Belial qui 1.358
Filij duo in parabola de Prodigo quid significent 1.75. 76.86
Filiorum nomen acceptum variè 1.72
Fœminæ impudicæ effecta 1.422. & 423
Fœminarum gentilium festis Lupercalibus kagellari scutica mos, quare 4.27
Fornicatio cur hominē maximè infamet 1.423
Fornicationis nomine cur dicta idololatria 1.427
S. Francisci vita accedebat ad vitam Christi, 4.380. Loci 4. 110.139.328
Franciſci Moncæi locus 3. 194
Franciſci Xauerij assiduæ lacrymæ 4.318
Furax, & mendax 3.26
Furciferi qui 2.184

G

ad Galatas locus 4.135. 165
Galeni loci 3.277
Gallorum mos 2.193
Gelasij locus 4.277
Gellij locus 3.226 4.34
Gēma signatoria smaragdina in pelagus abiecta, quo casu recuperata 4.30
Geneseos loci 4.91.107.222. 226.388.502.546
Gens omnis credit esse Deum 1.188
Gentiles adhæserunt ciui 3. 106
Gentilium fames quæ 2.159
Gentilibus quales conueniāt siliquæ 3.305
de Gentilibus & hæreticis 3. 332
ad Gloriam virtutis via peruenitur 4.232
Gnaphæi locus 4.182.344.363
Gnosticis duo principia 2. 53
Γνῶθι σεαυτὸν, dicti quis autor primus, 4.39. Descēdit è cœlo 4.40

Gregorij Theologi loci 2. 265. 3.60.73.124. 4.28.32.34. 52.53.101.146.147.211.216. 218. 220. 229. 239. 240. 244. 249. 269. 272. 394. 399. 471. 488
Gregorij Nazianzeni loci 4. 121 133 495.558.563 586.
Gregorij Nicæni locus 4.38
Gregorij Nyss. locus 4.500
Gregorij Magni precibus ab inferno liberatus Cęsar Trajanus 4.404
Guerrici Abbatis loci 3.65. 101.103.205. 4.325.326.337

H

HAbacuc prophęta ab Angelo per aerē portatus in Babylonē, Danielē cibat in lacu leonum 4.290
Hæresiarchæ libertatem impugnant 1.358
Hæresiarchæ porcarij 3.259
Hæresis vltrix auaritiæ, 3. 72. Fastus ac superbiæ, Ibid. 73. Despectus prælatorum, Ibid. Incontinentiæ, Ibid. 74
Hæresis à Norberto dissipata quæ 2.45
Hæresis vox nudi 3.212
Hæretici notati per Prodigum 1.196
Hæretici iustè puniuntur 1. 361
Hæretici vt peregrini, 1.434. vt luxurioſi, Ibid. Vt in regionem longinquam proficiscantur, Ibid. 436. Vt substantiam suam dissipent. Ibid.
Hæretici vt laborent fame, 2. 261. Sunt absque bonis operibus, Ibid. Absque Dei cognitione, Ibid. 264. Absque veritate, Ibid. Absque sacrificio, cultu verò gratia Spiritus sancti Ibid. 266
Hæretici adhæserunt vni ciuium 3.110
Hæretici Ruremunda exclusi 3.169
Hæretici porci, 3. 259. Immundi sicut porci. Ibid. Carnalibus nimis dediti 3. 260
Hæretici nimis æstuosi & impudici, 3. 261. Murmuratores contra Ecclesiam, Ibid. 265. Immemores vitæ futuræ Ibid. 266
Hæretici famelici vt siliquas appetant 3.318
Hæreticorum pro libertate argumenta 1.358
Hæreticorum arrogantia deridetur à Ronsardo 3. 77
Hæreticorum axioma 3.267
Hæreticis permittenda libertas, 1. 345. Etiam occultis Ibid. 350
de Hæreticis & gentilibus 3. 332
Hæreticos vt mittat in villam suam Diabolus 3.168

Haſtam abiicere 1.174
Hebræi vnde 1.184
ad Hebræos loci 3.303. 4. 238.456.457
Helena fugienda 3.15
Henricus IV. Francorum Rex Metenſi gubernatori ſupplici placatus 4.447
Henrici IV. Gallorum Regis opera, Magnus Imperator Turcarum Societatis Ieſu patres habitare Conſtantinopoli paſſus eſt 4.589
Henricum IV. Gallorum Regem Clemens Octauus in gremium ſuum recepit, cũ felici ſuo ſucceſſu 4.588
Heracliti philoſophi aſsiduæ lacrymæ 4.313
Hermaphroditus 3.307.308
Herodis promiſſa in Bethlehem adoratio coram Magis, fraudulenta 4.243
Hierocles de parẽtibus 1.101. 102
Hieronymi loci 3.16.74.75. 164.192.193.311.334. 4.127. 137.257.264.273.277.311. 312.329.332.333.336.366. 379.383.464.569.
Hier. Laureti locus 3.205
Hilarij locus 4.397
Hiſtoria quid 1.154
Homeri Ilias clauſa nucis putamine, 3.251. Locus 4.206
Homo, initio parabolæ de Prodigo filio, quis 1.68
Homo Tenedus 1.405
Homo res magni momenti 4.73. Propter Dei ſimilitudinem Ibid.79
Homo maximi pretij 4.89
Homo in rebus ſalutis inconſtans maximè 4.140
Homo partes & principem ſæpe mutat 4.148.149
Homo non ducitur, niſi præmiis ac pœnis 4.111
Homo ſolus inter animalia lacrymatur 4.311
Homo ſe debet ad diuina & immortalia trahere, quantum poteſt 4.391
Hominis alimentum nobiliſſimum panis 4.279
Hominis erat omne bonum 4.305
Homini cuiuis ſuus ſenſus, ſuaque voluptas 4.145
Hominem faciunt miſerimum tria 2.177
Homines auidi nouitatis 1. 201
Homines qui moraliter ſignificati 4.210
Homines verè non ſunt omnes, hominis ſpeciem referentes 3.220
Hominum nemo contentus rerum ſuarum finibus 2. 210
Hominum partes mutantiũ duo genera, 4.150. Imperfectiones duæ Deo contrariæ Ibid.159
Hominum ſex genera diuerſę conditionis, quibus inter ſe differant & conueniant 4.204.

Hono-

Honoratium vlterius proficiscendi 3.290
Honores mundi siliquę 3. 297
Horatij loci 3.26.91.95.129. 130. 184. 217. 218. 220. 257. 275. 289. 4 47. 65. 66. 137. 159. 189. 263 338. 437. 438. 442. 509. 512. 514. 562
Horatij Tursellini locus 4. 306
Hospitalitas commendata 3. 120
Hospitalitas remunerata 3. 121. 127
Hospitalitatis laude commendati 3.120
Hospitium quære 1.395
Hosti iam deuicto parcendū 4.354
Hostimentum 3.7
Hostimentum, est retributio, & paris relatio 4.466
Hugonis locus 4.101.569
Hugonotarū axioma 3.267. Vide Hæretici
Hymnus Ecclesiæ de Martyribus 2.116
Hyperbole quid 1.11

I

IAcob quid. par. 1.153
Iacobi locus 4 420.500
Iacobo Patriarchæ erat incredibile, filium suum Ioseph in Ægypto regnare 4. 445
Idololatrarum stultitia. 1.189. Dij multiplices Ibid.
Idololatria cur dicta fornicatio 1.427
Idololatrię origo 1.181
Idolorum materia, colētium arguit dementiam, 1.190. Triginta millia apud Hesiodum Ibid.191
Iecur, sedes amoris 3.301
Ieiunium fortissimum in pane & aqua 4 283
Ieremiæ loci 3.12.150.151.284. 4.116.177.189.394 461
Ierusalem superna 1.141
Ierusalem sola nunc, quæ olim plena 3.231
Iesu pater quatenus Ioseph dictus 1.83
Iesuitarum patres opera Henrici IV. Gallorū Regis habitare Constantinopoli, Rex Turcarum passus est 4.589
Ignari bestiæ vocati 3.258
D. Ignatij locus 3.232. 4.32. 546
Ignoratio nostri quid efficiat 4.57
Ignoratio sui diuersimodè nocet ignoranti 4.59
Ignota discuntur notioribus 1.38
Ilias Homerica nucis inclusa putamine 3.251
Imago seu Idea mentis diuinæ 1.30
Imaginum virtus mira 1.305
Imber aureus est multitudo nummorum 1.431
Imitatio mala 3.88
Imperij maiestas, tutela salu-

tis est 2.6
Impiorum supplicium à Deo cur accelerandum 2.133
Impiorum supplicia Deus aliquãdo cur differat, 2.154. & sequentibus
Impiorum Dominus, Diabolus 3.97
Incarnatio verbi an esset futura, nisi deliquisset Adam 2.190
Incontinentiæ vindex hæresis 3.74
Infantes instruere, facile est 1. 285
ad Infelicitatem vitio sitas an sufficiat 2.147
Infelicius nihil aduersi nihil passo 2.137
Iniustitiæ extremæ, velle iustum videri, qui non sit 1. 87
Iniustitiæ proxima, iustitia nimia 3.24
Intentio bona plurimum valet in omni actione 4.237
Intentio firmat iutamentum, non verba 4 241
Ioabum Abner à persequẽdo qua voce compresserit 4. 354
Iobi loci 3.202.203. 4.126. 153.163.196.229.230.345
S. Iohannis Baptistæ vita accedebat Eliæ 4.380
Iohannis locus 4.523.561
Iohannis Epistol.1. Locus 4. 493
Iohannis Arborei locus 4.332
Ionæ locus 4.574
Ioseph quatenus pater Iesu dictus 1.
Ioseph iuuenis prudentia senili præditus 3.
Iosephi erga Dominam affectus imitandus 3.
ad Iram quo tardior Deus, eo seuerior 2.
Isaiæ loci 3.4.57. 92.111. 4.
116. 229. 292. 363. 389. 394. 453.479.511.558.566.
Isidori locus 3.273. 4.174.497
Israelitarum Regum clementia 4.358.
Itineris tuti literæ 3.290
Iudæi nomen vnde 1 184
Iudæorum populus 1.34
Iudicis officium 4.28
Iudicium locus 3.111
sub Iugum ire 1.174
Iuliani Apostatæ blasphemiarum in Christum pœnæ 4. 127
Iumenti instar coram te sum 3.249
Iuno & Pluto vulnerati 1. 164
Iuramentum non tam firmatur verbis, quam mente 4. 241
Ius duplex, 2.119. Summũ, iniuria summa Ibid.120
Ius summum, iniuria summa 3.24
Iustini Martyris locus 4.473
Iustiniani locus 3.136
Iustitia virgo 2.6
Iustitia Rerumpub. basis 2.6

Iustitia nimia vergit ad iniustitiam 3.23
Iustitia vitæ huius quæ 1.80
Iustitia sublata quid incommodorum sequatur 2.6
Iustitiæ verè cupidus esurienti similis 2.255
Iustitiæ diuinæ decentia in Prodigi conditione 3.146
Iusta agere, & iuste, quid differant 1.323
Iusti cur affligantur in hoc seculo, 2.88. Et est ipsis vtile Ibid.94
Iusti ac sapientes volunt omnes videri 1.119
Iustorũ calamitates prosunt spectatoribus, 214. Calamitatibus honoratur Deus Ibid.115
Iustum videri velle, qui non sit, iniustitiæ est extremæ 1.87
Iuuenalis loci 3.90.95 135. 144.166.186.220.264.275. 284.296. 4.40.60.66.67. 224 264.406 538.539
Iuuenci locus 3.22
Iuuentus pro imprudentia 1. 92.
Iuuentus plerumque senectutem præsagit 1.218
Iuuentus malit æ futuræ prodit signa, 1.223. Deo sic permittente, & cur Ibid.224
Iuuẽtutis attributa 1.120.121

K

Κολλᾶσθαι, adhærere 3.28

L

LAberij poetæ locus 3. 245
Lacrymæ solius hominis sunt 4.311. Crocodili & ceruorũ falsæ Ibid.
Lactantij loci 3.73 175.195. 209.230.300. 4.111.392
Lædens prẽter animi sententiam, reus non est patrati facinoris 4.248
Laertij loci 3.225.244.245. 4.26.304
Lætitiam durabilem præstãt, conscientia pura, & spes bona 4.227
Lamech occisor Caini 4.546
Laudamus interdum nõ laudabilem, vt laudabilis fiat, intelligatq; qualis esse debeat 4.586
S. Laurentij Presbyteri Nouar. loci tres 4.521.522
Leæna scorti hieroglyphicũ 1.378
Leges pœnarum sunt interpretatione potius molliẽdæ quàm exasperãdæ 2.39
Lenarum ingenium quale 3.8
Lenitudine nunc vtendum, nunc acrimonia 2.18
Leonis Papæ locus 3.89 214. 4.95.122
Leontius sculptor artifex 4. 86
Leotychidas inconstantię redargutus, quid responderit 4.166

Leui quid 1.155
Leuini Carthusiani locus 3. 97
Leuitici locus 3.130
Liæ & Rachaelis allegoria 1. 153
Liberi quibus de caussis possint exhæredari 1.215
Liberorum educatio prima semper manet 1.279
Liberorum educatio liberalis, est parentum gloria 1. 287
Liberorũ educatio mala, parentum dolor est 1.290
Liberorum cæcus amor 1. 303
in Liberos impios iustitia prisca, 1.106. Eorum cornu Amaltheæ Ibid.108
in Liberos crudelitatis exempla 1.309
Libertas naturalis, 1.333. Philosophica, Ibid. Per Christum nobis redẽpta Ibid. 336
Libertas politica stat cum alterius imperio, 1.342. Christiana in quo cõsistat, Ibid. 344. An hæreticis permittenda, Ibid.345. Etiam occultis Ibid.350
Libertas à poetis impugnata, 1.357. Et ab Hæresiarchis Ibid.358
Libertatis impiæ descriptio 1.337
pro Libertatis impugnatione, patrum autoritates 1.352
Libertatem volunt peccatores, 1.234. Postulant opes, Ibid.235
Libertatem conscientiis permittere, malitiæ velamen est, mereque Diabolicum dogma 1358
pro Libertate argumenta hæreticorum 1358
Libertino ingrato dictum 3. 19
Liberum arbitrium à philosophis concessum 1.328
Liberum arbitrium patres asserunt 1.320
Liberum arbitrium astruitur 1.320
Libero arbitrio bene donati sumus à Deo 1.330
Librorum multitudo discentem onerat 340
Librorum in mundo nimis est magna copia 4.292
Libros vulgandi non est finis 4.292
Libros inter versari, doctis iucundum 4.485.486
Licinius Imperator studiorũ liberalium & scientiarum hostis 4.408
Linguarum antiquissima, Phrygum 4.285
Literæ tuti itineris 3.290
Literæ Bellerophontis & Vrię 1346.347
Liuij locus 3.30.31
Locorum prouinciarumque aliquarum vitia 3.83
Lucæ locus 3.254. 4.64.70. 72.108.

72.108.119.120.380.384.569.
571.590
Lucani loci 3.27.108.113.138.
4.118.412.451
Lucretij locus 3.182
Ludouici Richeomi narratio
4.356.361
ad Lugdunenſes aras victi,
qua pœna afficerentur 4.
172
Lutherus in Papam, Eccleſiæ-
que ſtatuta blaſphemus 3.
76.77
Lutherus porcus & porcarius
3.268
Lutheri locus 3.262.264
Luxuria quid 1.374
Lycurgus durior 3.121
Lyſimachus neceſſitate con-
ſtrictus, leonem interemit
4.355
Lyſippus nobilis ſtatuarius
4.85.

M

MAchabæorum locus 4.
76.463
Macropedij locus 3.7.8.132.
218.272. 4.75.181.319.
Magalia & mapalia, paſtorũ
caſæ 3.118
Magar vox Punica 3.118
Magdalenæ pœnitentia 4.15
Malachiæ locus 4.213
Maldonati locus 3.129
Mala in hoc ſeculo perpeti,
iuſtis eſt vtile 2.94
Malis præuiſis occurrere ſa-
pientis eſt 1.141
Malis cur admixta bona in
Prodigo 3.23
è Malis tribus vnum 2.13
Malo cuiuis non omne con-
uenit remedium 2.24
Malorum bonorũve conſor-
tium quid poſſit 2.67
Malitiæ futuræ ſigna perdit
iuuentus, 1.223. Deo ſic per-
mittente Ibid.
Manichæis duo principia 2.
53
Manna cœleſte 4.299
Mantuani loci 3.226.228.
250
Manus Regum longę 2.143
Manus leuare contra Deum,
1.165. Dare Ibid. 174
Manus dare 1.174
S. Marci locus 4.495
Marci Varronis locus 3.185.
186.188
Maria Stuarta, Scotiæ glo-
rioſa Regina & martyr 2.88.
136
ad Mariam Virginem optimè
accedit B. Lucæ tabula 4.
380
in Mariam Virginem & San-
ctos Eraſmus eſt impius 4.
476
Mars captus 1.164
Martialis locus 4.338
Matthęi Euangeliſtæ loci 4.
214. 369. 384. 394. 495. 499.
523.524.590
Matthęi & Marci locus 4.117
P. Matthioli locus 3.275

Maximi Tyrij loci 3.84
Medicina quæuis non omni malo conuenit 2.24
Medicina diætica ægris animo 2.267
Medicorum multitudo noxia 3.47
Memoria peccatorum præteritorum 3.300
Memoriæ venter 3.298
Mendax, & furax 3.26
Mens sola iurat, non verba 4.241
Mercenarij quinam dicendi 4.265
Mercenarium Deo contemptum tria faciunt 4.216.217
De Mercenarijs quibusdam 4.325
Mercenarios Dominus quosnam intelligat. 4.253.259. Publicanos Ibid.260
Merces apud Deum magna, si in præsenti pretium non speraremus 4.177
Meretrix à merendo ære dicta. 15378. Lupa. Ibid. Barathrum Ibib. 379
Meretrix præsente pecunia, est parata ad omnia 4.209
Meretricis hieroglyphicum leæna 378
Meretricis effecta 1.422.423
Meretrices famosæ 1.383
Meritoriæ & cauponariæ, 3.122
Metamorphosis corporum non est realis, 3.236. Nec animarũ rationalium. Ibid.
Metamorphosios opinio refellitur 3.238
Mezentius Diuûm contemptor 3.319
Michææ locus 4.215
Michaelis Baij locus 3.98. 110
Miles Donatus rude 2.31
Militum improbitas 3.196
Minos & Rhadamantus inferorum iudices 4.504
Misericordiæ esse, punire quędam 2.88
Missam & Papatum blasphemat Lutherus 3.77
Mithridates ad Arsacem regem 4.452
Mithridates pauci, mithridatores multi 4.269
Monachi monstrum ex vacca natum 3.168
Monachi laborent 4.318
Morum canities 1.112
Mulier quædam adulterio confessione annis vndecim suppresso, pœnis infernalibus adiudicata 4.503
Mulieris nomen pro ignauia 1.92.
Mulieris impudicæ effecta 1. 422. & 423
Mundus totus in duas ciuitates diuisus 4.14
Mundo simul ac Deo non possumus vacare 4.112
Munsteri locus 4.495
Muri Babylonis coctiles 2. 218.
Musa dictus Attica Xenophon

phon 1.280

N

NAbuchodonosor versus in bouem. 3.237. Nomen patris & filij Ibid.
Nabuchodonosoris, honores diuinos affectantis, effigies humana 2.21
Nabuchodonosoris superbia Domita 4.23
Natura non patitur vacuum 2.242
Naturæ ornamenta 1.316
Naturæ conuenienter oportet viuere 1.286
Nauarræ locus 4.235
Necessitatis irritatæ grauissimi sunt morsus 4.355
Negotio moram non patiente, accelerandum 4.236
Ad Nicephori & Vincentij historias responsio 3.240
Niciæ senecta 1.115
Non, vocula desiderata 3.241
Norbertus quam dissipauerit hæresim 2.45
Nosce teipsum, dicti quis autor primus 4.39
Nosse seipsum, hominibus optimum 4.40
Nosse seipsum, quanti sit. 4. 41. 42. & seq.
Notioribus ignota discuntur 1.38
Nouis antiqua præferuntur 1.202 (201
Nouitatis homines auidi 1.
Noxia petunt multi, rati se bona petere 1.260
Numerorum loci. 4.333. 529. 542
Nutritionis præmium 1.105

O

OBsidionis ab hostibus pertinaciter toleratæ exempla 4.362
Oculus in superiori parte sceptri quid 1.23
Oculis nostris apertis in nos ipsos ingrediamur 4.33
Oedipus ænigma sphingis soluit 2.84
Operis aliquid faciendum semper, vt diabolus occupatos inueniat 4.58
Operum admiranda subtilitas. 3.250.251
Opes pulchre dicuntur contingere 1.250.& seq.
Orationis & picturæ similitudo 1.159
Oratoribus summis initiò terreri contigit 1.61
Ordo seruãdus in omnib. 1.7.
Origenis locus 4.528
Ortygia, Delos 3.126
Osee locus 3.326.331.4.196
Ouidij loci. 3.7.10.15.16.22. 23. 96. 104. 115. 125. 143. 144. 145. 148. 164. 177. 183. 201. 235. 244. 250. 255. 258. 259. 273. 285. 288. 299 307. 311. 312. 4. 22. 27. 41. 62 66. 82. 85. 86. 100. 131. 132 141. 158. 185. 188. 205. 239. 241. 243. 246. 249. 266. 276. 283. 300. 311. 324. 341. 347. 348. 350. 353. 354 357. 365. 367. 368.

368.377.436.442.445.446.
455.473.488.527.558.561.
577.579.586.

P

PÆdagogi quatuor vni primogenito filio Persarum Regis instruendo adhibiti 1.280
Palæphates scriptor fabularum 1.202
in Palatiis principum fiunt inordinatè tria 3.321
Palingenesis Pythagorica falsitatis conuicta 3.243
Palmam ferre 2.117
Panis nobilissimum hominis alimentum 4.279
Panis expetitur ab esuriente primus 4.284
Panis albus Græcis in deliciis 4.282
Panis fractio 1.84
Panis vsus necessarius commendatur 4.284.285
Panis magna gloria 4.285.286
Panis nomine omnia significata ad vitam necessaria 4.286.287
Pane cur abundare potius quàm alio cibo 4.322.323
in Pane & aqua ieiunium fortissimum 4.283
Panibus hordeaceis quadrupedes pasti 4.387
de Panibus cur dictum in plurali numero 4.286.300
Papa cur ita dictus 4.398
Papauer symbolum fertilitatis 1.83
Paphnutius cum quatuor aliis Eremitis, ab Angelis quotidie pasti 4.291
Parabola quid 1.10.11.17.18
Parabola omnis similitudinem dicit, 1.14. De Prodigo sit ne historia Ibid.15
Parabolæ de filio prodigo scopus 1.15
Parabolæ omnis sententia non est eiusdem finis, part. 1.58. De Prodigo applicata Ibid.
Parabolæ significatum per omnia non respondit significato 1.213
Parabolæ an dentur in sacris literis, quæ non acciderint verè 1.16
Parabolarum sacrarũ & profanarum definitiones aliæ atque aliæ, 1.12.17. Sacrarum definitiones variæ Ibid.13
Parabolarum, vsus ad illustrandum, 1.38. Ad obscurãdum, Ibid.42. Ad recreandũ tollendumque fastidium, Ibid.43. Ad memoriam iuuãdam, Ibid.48. Ad circumueniendum, Ibid. Ad cõformãdum se recepto regionis more, Ibid.51. Ad persuadendum facilius Ibid.53
Parabolica gesta 1.55
Parembole seu parenthesis quid 1.11

Parentis & Prælati præsentia vtilis gregi 1.391
Parentes qualiter nobis habendi 1.100.101.102
Parentum, dolor ex mala educatione liberorum 1.290
Paris curiosus Helenæ spectator 4.246
Parisiensis fames 4.280
contra Parricidas lex 1.106
Parsimonia magnum vectigal 4.329
Partes an aliquando deserere liceat 4.173
Pascere porcos quid, & pascere qui dicantur 3.257
Pastoris conditio non ignobilis 3.176
Paternitatis genera 1.176
Patris vox amoris est, Domini timoris 1.217
Patrem suum propriè nemo nouit 4.206
Patria forti est, quæuis terra 4.186
Patriæ recordatio suauis 4.185.186
Patria carere, sapientis est 4.186
à Patria suisque aliquandiu abfuisse, multum prodest aliquibus 4.184
Patrios inquirere in annos, quid 1.97
Paulus & Antonius Eremitæ, à coruis pasti 4.290
Pauli locus 3.61. 4.318.569
Pauo laudatus erigit pennas 3.44
Pauperum & abiectorũ pauci sunt amici 4.345
Paupertas inuenit artem 3.145
Paupertas ab egestate quid differat 2.256
Pax in Belgio vt cõstitui possit 1.367
Peccandi assiduitas 3.88
Peccator obscurus, 1.110. Instabilis, Ibid.111 Nobilis inter mundanos Ibid.112
Peccator libidinosus 1.125
Peccator vt leuet manus contra Deum 1.165
Peccator nõdum existens qui petat rationalem animum à Deo? 1.239
Peccator in culpa moritur, & iustitia spoliatur 1.416
Peccator à seipso alienus quomodo 3.66
Peccatoris temeritas per adolescentiam denotata 1.162
Peccatori Diabolus voluptates cur inuideat plurimas 3.329.330
Peccatorem Diabolus in triumphum ducit 3.142
Peccatores instabiles 3.55
Peccatores libertatem petũt, 1.234. Postulant opes Ibid. 235
Peccatores androgynis similes 3.249
Peccatores quinam porcis comparati 3.250
Peccatores porci vocabulo comprehensi 3.251

Peccatores & publicani quē ventrem quibus siliquis gestiant implere 3. 290. 298
Peccatorum vox mundana 4.147
Peccatoribus an interceſſore liceat vti ad Deum, & quo 4.454
Peccatū commiſſum hominis auget inſipientiam 1. 144
Peccatum peccati cauſſa 3.56
Peccatum vnum loci vnius ciuis, cur 3.81
Peccatum enorme 3.88
Peccatum prioris punitiuum coactus non admittit homo 3.63
Peccati ſeruus 1.344
Peccati effigies antiquis vſitata 1.416
Peccata non omnia æqualia 1.414
Peccatis crebris amittitur pudor 2.205
Peccatorum præteritorū memoria 3.300
Pecoris magiſter & villicus, differunt 3.118
Pecuniæ cupiditas impellit ad ſcelera 1.98
Pecuniæ ſtudium 3.72.73
Pecuniam creſcentem ſequitur habendi cupiditas maior 4.263
Penates vnde dicti 3.107
Punitione Pythagorica de parentum cultu 1.100
Perſij locus 3.93.94.145.178 4.47.60.62
D. Petri locus 4.161
Petri Porcij locus 3.181
Petri Rauennatis locus 4.36
Petunt multi noxia, rati bona ſe petere 1.160
Phallon quid 1.428
Pharaonis ſuperbia caſtigata 4.23
Philargyria 3.73
Philippus Antonio proximè accedebat 4.389
Philippi Cancellarij Pariſ. locus 4.306
Philonis Iudæi locus 3.121. 132.140.166
Philoſophi liberum arbitrium concedunt, 1.328. Aduerſantur libertati Ibid. 355
Philoſtrati libri 1.385
Phraotes Indorum Rex non voluit nimium ſeuere leones, aliaſque belluas tractari, ſed moderatè 4.355
Pictorum nobilium exempla 4.86
Picturæ & orationis ſimilitudo 1.159
Pierij locus 3.182
Plaga humida & purulenta 1. 351
Platinæ locus 3.177
Platonicorum dictum 3.332
Platonis dictum, 1.87. Loci 3. 36.56.121. 4.43
Plauti loci 3.7.34.49.108.130. 234.295. 4.60.100.189.196. 210.265.517

Plinij loci 3.234.276. 4.113. 282.343.446.576
Plotini locus 3.245
Plutarchi locus 3.72.143.267. 4.48
Pluto & Iuno vulnerati 1. 164
Pœna tardè licet, raro tamen sceleſtum deſerit 2.138
Pœnæ ad quid 2.89
Pœnarum leges interpretatione ſunt molliendæ potius, quàm exaſperandæ 2. 39
Pœnas & præmia nobis Deus propoſuit 4.225
de Pœnis tribus optio data capite damnatis 2.13
Pœnio, pro punio, apud veteres 4.170
Pœnitentiæ Magdalenę, 4.15. Thaidis, meretricis Antiochenæ Ibid.
Pœnitētiæ dux & exemplum, Prodigus Euangelicus 4. 9.14
Pœnitentię primus gradus, 4. 37. Quem aſcendit Prodigus Ibid.
Pœnitentiæ etymon 4.170
ad Pœnitentiam duo requiſita 4.168
de Pœnitentia tractatus omni loco & tempori conuenit 4.10
Poetæ libertatem impugnāt 1.357
Poetica quatenus amplectēda, aut repudianda, 3.317. Leuitatis plena Ibid.
Polycrates Samiorum Rex, in omnibus proſperrima fortuna vſus, 4. 29, Eiuſdem & Amaſis Ægypti regis, hiſtoria memorabilis Ibid. 30
Polycratis ſignum in ſmaragdo ſculptum 4.557
Pomponij Melæ locus 4.82
Pontifex Romanus verè pater vniuerſalis 4.396. 398
C. Pontij Samnitis votum 4. 270
Porcellus Acarnanius 3.188
Porcij Latronis dictum 4.350
Porcus prodigioſus eſt, figura, 3.179. Ingenio, 180. Cibo, 181. Cibi quantitate & modo, 182. Odoratu, Ibid. Generatione, 187. Stoliditate, Ibid. Luxuria, 188. Iracundia 188
Porci etymologia 3.179
Porci in Gentilium ſacrificiis vſus 3.183
Porcus inter beſtias eſt monſtri inſtar, 3.179.180. & deinceps. Animal vorax, Ibid. 182
Porci Prodigi quid ſignificarent 3.189
Porci proprietates 3.208
Porci vocabulo peccatores comprehenſi 3.251
Porci quinam ſimiles peccatores 3.250
Porcorum Prodigi expoſitio alia 3.204

Porcorum & dęmonum conuenientia, 3.190.191. Eaque triplex Ibid.
Porcos pascere quid 3.257
Potatio super amicorum salutem, & in circulum, damnata 3.285
Prælati & parentis præsentia gregi vtilis 1.391
Prælatorum despectum vindicat hæresis 3.73
Prælij signum apud Romanos 1.163
Præmia nobis & pœnas Deus proposuit 4.225
Praxiteles insignis statuarius 4.85
Princeps vnicus esto 3.36
pro Principe melius est, quã Principem timere 4.353
Principes vtrum melius negotia subditorum scriptis & mediatoribus tractent, quã si partes ipsi audirent 4. 416
in Principum aulis tria inordinatè fiunt 3.321
Principia duo Priscilliano, Manichæis & Gnosticis 2. 53
Priscilliano duo principia 2. 53
Prodigalitas adolescentibus propria, 1.392. Vt curari possit Ibid.393
Prodigus & frater eius quid significent 1.75.76. 86
Prodigus quantam portionẽ petiuerit 1.213
Prodigus optimè fame punitus 2.13
Prodigus quare punitus in loco, vbi deliquerat, 2.181 Cur permissus errare Ibid. 189
Prodigus vnde, cur, & quomodo abierit 3.6
Prodigus in fame cur ilius non redierit ad patrem, 3.4. 17. abiit citissimè Ibid.8
Prodigus docet, velociter esse fugienda carnis vitia 3.11
Prodigus necdum inspiratus cur ad patrem redierit 3.19
Prodigus à Deo simul & afflictus & adiutus 3.20
Prodigus comprobat in miseriis, filium probè instructum 3.25
Prodigus Domini qualitates sapienter spectauit, 3. 34. Constans, Ibid. 41. Adhæsit viro primati, Ibid.42. Cur elegerit curiam Ibid.46
Prodigus Deum timet, conditionem bubulci præferẽs maleficiis, 3.138. Morigerus Ibid.139
Prodigus per contraria punitus 3.175
Prodigus cuiusmodi siliquas petierit, 3 277.278. Appetitu vitiosus Ibid.281
Prodigus excusabilior aliis bonorum suorum dilapidatoribus 3.285
Prodigus Euangelicus exemplum

plum pœnitentiæ 4.9.14
Prodigus opponit vnitati multitudinem 4.178. Statui statum. 179. Loco locum. Ibid. Quantitati quantitatem. 180. Peremptoriæ fami panes. Ibid. In summa perplexitate, cur maluerit ad patrem reuerti, quàm alio. 4.339. Cur tam confidenter ad patrem rectà se verterit, absque literis & intercessoribus 4.403.426.443.
Prodigi filij pater quis 1.68. 73
Prodigi plagæ tres. 2.10. Corruptio cur dilata. 2.164. Parens opulentus. 3.117. Herus in quibus laudabilis. 3.119. Conditio qualis. 3.174. Porcorum significatio. 3.189. Porcorum alia expositio. 3. 204. Peccato conueniens pœna. 3.282. Gula perstringitur autoris inuectiua Ibid. 282. Misertus nemo. 3.323. Apparatus. 372. Profectio. Ibid. 373. Mores. Ibid.
Prodigi ad Deum cõuersi pugna cum Satana, 4.135. Verbis cõtenta miseriarũ exaggeratio maxima, 4.176. Pater & herus, Domini in famulos admodum diuersi, 4. 192. Pater liberalissimus, Ibid. Verba, Surgam & vadam ad patrem meum, gẽtilibus vt conueniant, 4.374. Publicanis tẽpore Christi, & peccatoribus omnibus, Ibid. 381. Hugenotis & hæreticis, Ibid. 396. Cõfessio quæ fuerit, & quæ debeat esse nostra, 4.491. Pater benignissimus, 4.552. Pater tanta sua clemẽtia repræsentat immensam Dei in pœnitẽtes misericordiam, 4.564. Patrem vtinam Reges & Principes in exhibenda clementia sequerentur 4575
in Prodigi sequaces 1.97
in Prodigi conditione diuinæ iustitiæ decentia 3.146
Prodigo pœna conueniens, 2. 30: Satis vnicus fuit Dominus 3.36.
Prodigo notati hæretici 1. 196
de Prodigo Euangelium est parabolicum, 1.8. Sitne historicum? Ibid. 26
de Prodigo Euangelium expositum, vt res propriè gesta, 1.36.37. & deinceps
de Prodigo filio parabolæ scopus, 1.53. Applicatio Ibid.
Prodigũ excipiẽs famis tempore, qualiter ciuis habuerit se 3.128
Proditionis digna affecti pœna 3.148
in Promissis malis rescindenda fides 4.174
Propertij locus 3.210
à Proposita materia non discedendum 1.71
Prospera claudũt oculos homi-

minum 4.22
Prouerbiorum loci.3.198.289 291.4.230.308.309.493.
Prouidentiæ diuinæ ſymbolum 1.23
Prouinciarum quarundam vitia 3.83
Prudentia cũ probitate coniuncta eſt 1.129
Pſalmiſtæ loci.3. 23.127. 140. 196.4.23.143.174.182.219.223 231.238. 249. 265. 290. 293. 298.306. 307.309.367.389. 463. 499. 520. 543. 553. 566. 572.
Pſammetichi Ægyptiorum Regis factum, vt cognoſceret quę linguarum omnium eſſet antiquiſſima 4.284
Publicani qui eſſent. 3. 157 Contenti vitijs regionis aut conditionis.3.89. Qua fame laborarent. 2. 249. Per mercenarios intellecti. 4. 260. Tranſlati ad Iudæos. 4. 261.
Publicani & peccatores quò abierint.3.79.Nobis meliores quatenus. Ibid. 88. 89. Porcos vbi pauerint. 3. 157. Et quomodo. Ibid. 178. Quàm ventrem & quibus ſiliquis implere geſtiant.3. 290.
Publicanis nemo dat. 3.327
Publicanorum intellectus vt ſiliquas appetat.Part. 3.302. Volentium ſeipſos docere. Ibid. Magis attendentium ad ſcribarum eloquentiam, quàm ad veritatem. Ibid. 303. Salutem in ſacrificijs quærentium. Ibid.
Publij Mimi locus.4. 217.218 248
Pudendum muliebre quaſignificatum voce 3.188.206
Pudor crebris peccatis amittitur 2. 205.
Puellæ cuiuſdam Catharinæ, ſuas fornicationes nunquã confeſſæ, miſerabilis exitus 4.504.505.506.
Pugna ſeu bellum contra Deum triplex. 4. 126. 127. 128. 129.
cur Puniantur quædam, alia non 2.88. Quòd ſit illud miſericordiæ, Ibid.
Pygmaleonis clari ſtatuarij, in ſtatuas muliebres à ſe formatas, memorabilis amentia 4.85
Pyrauſtes. 2.236
Pythagoræ ſymbola 1.23
Pythagoræ autoritas 1.130.
Pythagorica palingeneſis, vt falſa redarguitur 3.243
Pythagoricorum Doctrina erronea 3.242.

Q

QVintiliani locus. 3.94. 113.266.563

R

RAchaelis & Liæ allegoria 1.155
Ratio diuinitus homini data, calumniam paſſa 1.311
Regeneratio Pythagorica falſa-

sitatis arguirur 3.243
Regionum quarundam vitia 3.83.
Regnum, splendida seruitus 3.297
Remedium quoduis non omni malo accommodum 2.24.
Res magnę solent habere tardam fidem 4.445.
Rerum suarum finibus nemo contentus 2.210
Respublica nulla sine lege, censore, iudice Protoplasta 1.338
Reuersus in se, vel, contra se, quid 4.123
Rex vnicus esto 3.36
Reges & principes vtinam patris Prodigi clementiam imitarentur 4.575
Regum loci. 329.106.107.4. 150.152.216.222.359.499.
Rhacores (siue Rhacones) insolentis filij sui accusator 1.274.
Rhadamanthus & Minos inferorum iudices 4.508
Riberæ Theologi canon. 1.34
Roboamo sua immisericordia male cessit 4.583
Romæ veteris regiones quatuor 1.373
ad Romanos locus. 3.147. 161.304.332.
P. Ronsardus hæreticorum deridet arrogantiam. 1.354. 3.77
Ruben quid 1.154
Rude donatus miles 2.31
Ruellij locus 3277.
Ruremundani hæretici exclusi ciuitate 3.169
Ruthæ locus 4.309
Rutilius Geminus Syllæ factionibus proscriptus & ab eodem reuocatus 4.192

S

SAcra fames, vnde sic dicta 2.199
Sacramenta legis Mosaicæ cuius efficaciæ 3.303
Salamandra in ignem insilit trahit & absorbet viuas flāmas 4.289
Salarij subtracti pœna. 3.323
Eo fraudare seruos, peccatum graue 3.23
De Salario seruorum lex Dei 3.321.322.
Sallustij loci. 3.26.27.76.266. 4.144.270.345.363.364.452. 582.586.
à Sallustio Ciceroni obiecta 4.265. Et ipsi Sallustio à Cicerone Ibid.
Salomon in iuuentute senex, in senectute iuuenis 1.117.
Rex tandem vitæ perditissimæ 4.152
Salutem nullam sperare, vnica salus est victis 4.355.356
ad Salutem æternam, vtrum sufficiat bene viuere 4.231. 232.233.
Sanctitas simulata, duplex est iniquitas 1.87
Sanctorum suffragia quoque

poſcenda. 4. 455. 459. 460. 461. 462. & ſeq. Poſtulata ſuffragia quantumuis profuerint. 4. 464. & ſeq. Suffragijs quæ obijciuntur, vt ſoluenda. 4. 468. Eorum ſuffragia Caluinus deridet 4. 469
In Sanctos & B. Virginem Eraſmus impius eſt 4. 476
Saperda, vile genus piſcis 3. 94
Sapientiæ locus 3. 206. 4. 24. 147
Sapientis propriũ quid 1. 141
Sapientes & iuſti volunt omnes videri 1. 119
Sapientum ſunt omnia 4. 304
Saul ad biennium integre innocenterque vixit 4. 150
Saxonum ferocitas 3. 83
Sceleſtus raro tandem non punitus 2. 138
Scipionis Africani de beatis in cœlo 4. 473
Scopus materię non deſerendus 1. 71
Scorti hieroglyphicum leęna 1. 378
Scribendi libros nullus eſt finis 4. 292
Scripturæ ſacræ antiquitas, 1. 156. Loci, 3. 15. 18. 19. 22. 24. 104. 120. 142. 166. 167. 169. 174. 225. 231. 252. 253. 291. 296. 303. 323. 4. 10. 20. 21. 26. 54. 56. 61. 70. 71. 78. 83. 117. 219. 223. 229. 231. 238. 239. 290. 394. 485. 491. 567.
Secula culpæ fœcunda 2. 46
Secura mens quaſi iuge conuiuium 4. 306
Seipſum noſſe, hominibus optimum 4. 49
Seipſum noſſe, quãti ſit, 4. 41. 42. & ſeq.
Seipſum noſſe, præſeruat à peccato 4. 73
Seipſum ignorare, proprium eſt impiorum, 4. 46. & ſeq. Quanti ſit mali, Ibid. Quid efficiat 4. 57
Seipſum non nouiſſe proximo nocet, 4. 68. Ac Deo, Ibid. 70.
Seneca notatus à Tacito 4. 274
Senecæ locus 3. 17. 40. 46. 116. 134. 4. 22. 42. 50. 54. 60. 61. 114. 227. 239. 240. 274. 275. 276. 356. 364. 373. 451. 473. 582. 585. 586
Senectus pro prudentia 1. 92
Senectutis præſagium plerũque eſt in iuuentute 1. 218
Senex fias mature, ſi diu velis eſſe ſenex 1. 113
Senes bis pueri 1. 117
Senibus propria eſt auaritia 1. 392
Senſus diuiſus non compoſitus 1. 85
Senſibus ſingulis eſt obiectũ proprium 2. 243
Senſuum corporiſque ſeruitus 3. 293
Seruij locus 3. 126. 4. 483
Seruus induat affectus Domini ſui, 3. 34. Cur diligere Dominum teneatur, 3. 33. Dei

minimus, omni parte felicior maximo Diaboli ministro 4.262
Seruorum cõmendatio, 3.132 Epitheta contumelioſa, 3. 134. In Dominos officium, 3.29. Erga Dominos fides 3. 29.30.31
in Seruorum perfidiam legibus vindicatum 3.31
de Seruorum ſalario lex diuina 3.321.322
Seruos fraudare ſalario, grande peccatum 3.323
in Seruos officium Domini 3. 321.322
Seueri Imperatoris edictum contra ſeruorum perfidiam 3.31
Sexti Neronis clemẽtia 4.358
Sibæ erga Dominum ſuum Miphiboſeth perfidia 3.31
Siliqua ſpecies arboris quoque, part. 3.274. Et fructus, Ibid. Victus ſobriorum & pauperum Ibid.275
Siliquæ quid, 272.273. A porcis comeſtæ Ibid.273.274. Fructus qualitates, 3.276. Diuerſæ, 3.291. Diuitię, Ibid. Honores, voluptates, tactus impudici, viſus inhoneſti aſpectus, carnalitas, beſtialis voluptas, omnia denique peccata, Ibid. 292. Stultorũ cibus, 3.294. Gẽtilibus quales conueniant 3.305
Siliquas Prodigus quales petierit 3.277.278
Siliquis quibus quem ventrẽ publicani & peccatores implere geſtiant 3.290
de Siliquis opinio Autoris, 3. 279. Non admittentis ordinarias Ibid.
Simeon quid 1.155
Simeonis canticum 4.491
Similitudo pulchra 3.64
Simplicij locus 3.229
Sirenũ cantus & fabula 1.146
Sitis & fames quid 2.199
Sixtus Quintus ex Cordigero factus Papa 4.191
Sleidani locus 3.75
Smaragdina gemma ſignatoria in pelagus abiecta, quo caſu recuperata 4.30
Socratis dictum ad adoleſcẽtem, an vxor ſibi ducenda, quærentem 1.89
Socratis dictum, Vnum ſcio, quod nihil ſcio 4.318
Solis acceſſu rerũ ortus exiſtit, eiuſdem receſſu interitus 1.256
Sophoclis locus 4.189
Sperare qui nihil poteſt, deſperet nihil 4.351
Spes inter homines numen, 4.348.350. Quę differtur, affligit animam, 4. 447. Eius effecta varia 4.350
Sphingis ænigma ſoluit Oędipus 2.84
in Spiritus non agunt corpora 2.245
Splen, ſedes riſus 3.301
Stoa quid eſſet 3.44

Stoicorum & Academicorũ de vita misera & beata opinio 2.147
Stola prima vestis innocentię 1.416
Struthio ferrum deuorat, ac digerit 4.289
Stultorũ cibus, siliquæ 3.294
Sublimia concionatori non tractanda 1.41.42.&c.
Substãtia omnis à Deo creata 1.179
Substantiæ vox accepta variè 1.233
Substantiam suam dissipare quid 1.136
Subulci munus quale 3.174
Summum ius, iniuria summa 2.120
Supplicium impiorum cur accelerandum à Deo 2.133
Supplicia impiorum Deus aliquando cur differat 2.154. & deinceps
Sus lota in volutabro suo 4. 162
Sus dictus est & porcus domesticus, & syluaticus, siue aper 3.179
Syllæ crudelissimi prosperitas 2.79
Symbolum quid 1.11
Symbolum Cleobuli philosophi 1.24
Symbolum Pythagoræ 1.23

T

TAciti locus de Seneca 4. 274
Tantalus felicitatis suæ conscius, 3.51. Eius fames ac sitis apud inferos 2.18
Tarpeia virgo Capitolij proditrix, aureis armillis & clypeis obruta 3.148
Tarquinij superbi factũ 1.13
Tenedus homo 1.45
Terentij locus 3.47.68.144. 17.60.170.271.311.346.&. 435.563.564 580.582.
Terrena bona sunt vmbra cœlestium 2.15
Tertulliani locus 3.188.&
Thaidis Antiochenæ meretricis pœnitentia 4.
Themistocles per ingratitudinem patria pulsus, à Xerxe Persarum Rege, cuius antea bello nauali classem *dissipauerat*, receptus est, & honestè sustentatus, 4.369. Profugus ad Reges, Admetũ & Xerxem, capitales alioquin hostes, quam bene ab illis habitus 4.447.448.458
Themistoclis & Aristidis cõsilio, hostem iam deuictum non amplius persequẽdum 4.354
Theodorici Regis locus 4. 86.88
Theophylacti locus 3.167. 209.210. 4.211.216.217.389
Threnorum locus 3.150.151. 4.177.531
Threpterion quid 1.105
Tibulli locus 3.185.258.4.137
Timet alios, à quibus quis timetur

metur 4.429
Tobiæ locus 4.467
Tonitrua sunt nubis ictæ sonus 2.38
Traianus Cæsar ab inferno liberatus S. Gregorij precibus 4.404
Transformationis refutatio 3.238.242
Transformatio corporũ non est realis, 3.236. Nec animarum rationalium Ibid.
in Transformationis fauorẽ obiectiones 3.237
è Tribus malis vnum 2.13
Triremis alis apiculæ cooperta 3.251
Troianorum senum erga Helenã affectus imitandus 3.15

V

VAcuum nõ est in rerum natura 2.242
Valerij Max. locus 3.19
Vanitas inest omnibus creaturis 2.242
Vatabli locus 4.569
Venator ab vrso inuasus, in tergum eius vt eques insiliens, liberatus est 4.356
Venter memorię 3.298
Venter sedes concupiscentiæ 3.301
Venus fugienda 3.16
Venus à Diomede vulnerata 1.164.192
Verbum, Abiit, ad gẽtiles applicatum, 3.72. Accommodatum hæreticis Ibid. & 76
Verbum an fuisset incarnandum, si non peccasset Adam 2.190
Verbi Dei vtilitas 3.69
Veritatis odium 3.251
ob Veritatem prædicatã varij varia passi 1.148
Veronicæ imago optimè ad Christum accedit 4.380
Verres apud Ciceronem 1.193
Victor sui ipsius, fortior est vrbium munitarum expugnatore 3.96
Victus simplex & vniformis corpori salubris 3.279
Villa publicanorum & peccatorum, 3. 157. Significat peccata brutalia Ibid.
Villæ Diabolo sunt plures 3. 158
in Villam mitti, quid 3.160
in Villam suam diabolus vt mittat hæreticos 3.168
Villamontani de Mauris & Arabibus narratio 4.284
Villicus & magister pecoris, differunt 3.118
Vina dabis docto, rudibus de flumine cocto 4.199
ad Vincentij & Nicephori historias responsio 3.240
Vindicij serui in Dominum Brutum fides 3.30
Vindicta vnde appellata 3.95
Vir præter ætatem, aut sexum etiam signat magnanimitatem quandoque. 1.91
Virgilij loci. 3.9. 10. 12. 16. 26. 49. 86. 90. 108. 116. 120. 127. 40. 149. 150. 174. 178. 185. 192.

194. 205. 214. 233. 234. 276. 302 305. 312. 315. 4. 69. 70. 76. 87. 137. 147. 177. 189. 344. 345. 364. 372. 375. 422. 430. 446. 483. 508. 509. 538. 547. 561.
Viribus suis nihil maius tentandum 4. 66
Virtus homini naturalis 1. 287. Eius quanta vis 3. 53
Virtutis via peruenitur ad gloriam 4. 231
Virtuti congruenter viuere quid 1. 286
Virtutes & vitia quandoque signantur ætatibus 1. 90
Virtutes, animi sunt alimentum 2. 249
Visibile Theologico more sumptum 1. 24
Visus in sensibus primatum tenet ideoque intermiscetur omnibus 1. 13
de Vita misera & beata Stoici & Academici quid senserint 2. 147
in Vita hac nemo contentus rerum suarum finibus 2. 210
Vitia carnis velociter fugienda. 3. 11. Prouinciarum quarundam. 3. 83. Regioni aut conditioni propria. Ibid. 87
Vitiositas an ad infelicitatem sufficiat 1. 147
Vitulus ad puluerem contritus, Israeli potandus in aqua datus 4. 172
Viuere bene sit ne satis ad æternam salutem 4. 231. 232. 233.
Viuere secundum virtutem quid 1. 286. Conuenienter naturæ oportet Ibid.
Vltor vlciscitur vltorem 1. 10
de Vnitate discursus 3. 38. &c.
Vnum quæritis, & multos occiditis 3. 20
Voluptas malis quatuor sociata 3. 29
Voluptates siliquæ 3. 19
in Voto turpi mutanda sententia 4. 174
Vpupæ auis in pullos suos caritas 1. 106
Vriæ & Bellerophontis literæ 346. & 347.

X

XEnophon Attica Musa dictus 1. 28
Xenophontis locus 3. 288. 4. 64. 586.

Z

ZOna & Zun, quid 3. 122
Zuinglij locus 3. 262

FINIS.

Conciones
Boskieri

Th
3306